PONTIFICIUM INSTITUTUM INTERNATIONALE
"ANGELICUM"

DE EUCHARISTIA

Accedunt

DE PÆNITENTIA

quæstiones dogmaticæ

Commentarius in Summam theologicam S. Thomæ

Disseruit

REGINALDUS GARRIGOU-LAGRANGE, O. P.

S. Theologiæ Magister

Professor Instituti "Angelicum" de Urbe
et Socius Academiæ Romanæ S. Thomæ Aq.

L. I. C. E. - R. BERRUTI & C. - TORINO

DESCLÉE DE BROUWER & C. - PARIS



SANCTAE DEI GENITRICI

MATRI OMNIUM HOMINUM

MEDIATRICI UNIVERSALI

ET REGINÆ PACIS

IN SIGNUM GRATI ANIMI

ET FILIALIS OBEDIENTIÆ

AUCTOR

LIBENTISSIME DEDICAT

Attente examinavimus tractatum P. Garrigou-Lagrange, *De Eucharistia*, et judicamus editionem ejus peropportunam esse et maxime utilem professoribus et studentibus operum S. Thomæ.

Fr. MICHAEL BROWNE, *O. P. S. Theol. magister.*
Fr. ROSARIUS GAGNEBET, *O. P. S. Theol. doctor.*

Romæ, Angelico, 24 octobr. 1942.

Imprimi potest.

Romæ, S. Sabina, 26 octobr. 1942.

Fr. M. ST. GILLET, O. P. *Magister generalis.*

Imprimatur.

Taurini, die 6 augusti 1943.

Sac. ALOISIUS QUAGLIA, *Cens. Eccl.*

Imprimatur.

Can. FRANCISCUS GOLZIO, *Prov. Gen.*

Stabilimento Grafico Moderno - G. Volante - via Brindisi, 9 — Torino, 1948

PRÆFATIO

Hic tractatus De Eucharistia *pertinet ad Cursum theologiæ dogmaticæ, cujus duo priores tractatus jam typis mandati sunt:* De Revelatione per Ecclesiam proposita[1] *et* De Deo uno[2]. *Speramus mox edere tractatus de* Deo Trino et creatore, de Christo Salvatore, *et deinceps* de Gratia.

In his omnibus tractatibus attente sequimur S. Thomæ doctrinam, secundum ipsum ordinem quæstionum, quemlibet articulum considerando cum principalibus controversiis, quæ circa eos ortæ sunt usque ad hodiernum diem.

In presenti volumine, initio invenitur conspectus de Sacramentis in communi, ac compendium quæstionum S. Thomæ de baptismo et de confirmatione.

Quoad sacramentum Eucharistiæ specialiter insistimus in doctrina S. Thomæ de transsubstantiatione, secundum quam substantia panis totaliter convertitur in Corpus Christi, ita ut nullo modo mutetur in se Christi Corpus, et omnia ad præsentiam ejus realem pertinentia sequantur ex transsubstantiatione sic concepta, secundum principium œconomiæ, absque ulla alia interventione Dei extraordinaria. In hoc profunde differt, ut videbimus, transsubstantiatio conversiva seu proprie dicta a transsubstantiatione adductiva, quæ proprietatem vocis « conversionis » non conservat.

Agendo de Sancta Communione ejusque effectibus, notamus quod quælibet communio debet augere in nobis caritatem et proinde normaliter nos disponere ad meliorem communionem pro die sequenti, secundum quamdam accelerationem, quæ est lex superior vitæ gratiæ.

Quoad sacrificium Missæ animadvertimus quod positio quæstionis notabiliter differt ante et post protestantismi apparitionem: antea communiter ponebatur quæstio ut apud S. Thomam III^a^, q. 83, a. 1: « Utrum in celebratione hujus mysterii Christus immoletur »; et theologi communiter respondebant per verba S. Augustini (Ep. ad Bonifacium): « Semel immolatus est in semetipso Christus, et tamen quotidie immolatur in sacramento » *seu* sacramentaliter.

Post apparitionem protestantismi quæstio sic ponitur: An Missa sit verum sacrificium proprie dictum. Ad hoc autem probandum plures theologi voluerunt in ea invenire realem immutationem victimæ oblatæ, id est Corporis Christi, quod impossibile est, nam Corpus Christi nunc,

[1] F. FERRARI, Romæ, 3ª editio, 1925.
[2] Desclée de Brouver, Paris, 1938.

ut gloriosum, est impassibile. Redimus ergo ad doctrinam traditionalem, scil., est immolatio sacramentalis *Corporis Christi, quæ, ut sacramentalis, est in genere signi, non vero realis seu physica, quæ tamen realiter fundatur in duplici transsubstantiatione, prout « aliquid fit circa victimam oblatam », in quantum conversio substantiæ panis proprie terminatur ad solum Corpus Christi, et conversio substantiæ vini ad solum ejus Sanguinem, quamvis per concomitantiam ambo sint sub qualibet specie.*

Insistimus deinde in hoc puncto quod « Christus semper vivens ad interpellandum pro nobis » actualiter *offert Missas quæ quotidie celebrantur, ita ut quælibet habeat valorem infinitum non solum ex parte victimæ oblatæ, sed etiam ex parte principalis offerentis.*

Post tractatum de Eucharistia accedunt de pœnitentia quæstiones dogmaticæ, et specialiter quærimus quid ad attritionem sufficientem cum sacramento ad justificationem, requiritur, « ut excludat omnem peccandi voluntatem *»; requiritur ne ad eam initialis amor benevolus Dei ut est fons omnis justitiæ, distinctus a caritate?*

In fine brevissime agitur de sacramento Ordinis et de duabus controversiis: an ordines minores sint sacramenta, ut partes potentiales sacramenti Ordinis, et an Episcopatus sit sacramentum a presbyteratu distinctum.

Theologia positiva in hoc opere exceptis quæstionibus de institutione Eucharistiæ, de præsentia reali, et quibusdam aliis, parum evolvitur; quoad hanc partem elementa in præcipuis manualibus hodiernis inveniuntur, et ad integraliter ac exacte tractandas has quæstiones positivas exigitur specialis labor valde distinctus a labore theologiæ speculativæ, et peritiam distinctam requirens; de facto hoc hodie evolvitur partim in cursu theologiæ biblicæ, partim in Patrologia, aut in historia dogmatum, et optime exponitur in diversis monographiis infra citandis.

In expositione doctrinæ S. Thomæ attente sequimur reiterata consilia et ordinationes Summorum Pontificum, præsertim Leonis XIII et successorum ejus, ad exacte servandam et explicandam hanc doctrinam ut necessarium est ad deviationes præsentis temporis vitandas. Utinam semper illum attingamus scopum, ad rectam formationem intellectualem studentium, ad eorum pietatem fovendam, ut deinde cum fide viva donis Spiritus Sancti illustrata et cum vero zelo apostolico laborent ad animarum salutem.

AUCTORES CONSULENDI

S. THOMAS, *Summa Theologica*, IIIª, q. 73-90, ed. leonina, Romæ, 1906. *Contra Gentes*, l. IV, c. 70, 71, 72, ed. leonina.

Commentatores ejus:

CAJETANUS in IIIam, P. ed. leonina, Romæ, 1906.

JOANNES A S. THOMA, *Cursus Theologicus*, Tom. IX, Paris, 1886.

J. B. GONET, *Clypeus theologiæ thomisticæ*, t. VI, Paris, 1876.

SALMANTICENSES, *Cursus theol.*, t. XVII et XVIII, Paris, 1881.

V. L. GOTTI, *Theol. scholastico dogmatica*, t. XIII, Bononiæ, 1733.

BILLUART, *Summa S. Thomæ*, t. VIII, IX, Lyon, 1857.

Cf. etiam SUAREZ in IIIam, P. S. Thomæ, Paris, 1876.

BELLARMINUS, *Disputationes* etc., t. IV, *De Eucharistia et de sacrificio Missæ*, libri sex, Venetiis, 1622.

Circa Concilium Tridentinum.

THEINER, *Acta genuina S. S. Œcum. Conc. Trid.*, Agram, 1874, t. I, p. 406-530; t. II. p. 7., 57. — LE PLAT, *Monumentorum ad historiam Conc. Trid... amplissima collectio*, Lovanio, 1783-1785.

MERKLE, *Concilii Trid. diariorum* Pars Iª, Freiburg-Brisg., 1901, Pars IIª *ibid.* 1911. — S. EHSES, *Actorum pars altera, ibid.*, 1911, et pars Vª 1919.

Tractatus recentiores de Eucharistia:

J. B. FRANZELIN, *De Sacramentis in genere*, ed. 5ª, Romæ, 1910, *Tractatus de SS. Eucharistiæ sacramento et sacrificio*, Romæ, 1868.

N. GIHR, *Die hl. Sakramente der Katolischen Kirche*, 2 vol. ed. 3, Freiburg, 1918, 1921. *Das h. Messopfer, dogmatisch, liturgisch, und aszetich erklärt*, Ed. 14-16, Freiburg, 1919.

L. BILLOT, *De Ecclesiæ sacramentis*. t. I, ed. 6, Romæ, 1924, t. II, ed. 6, Romæ, 1922. — G. MATTIUSSI, *De sacramentis in genere et de Eucharistia*, ed. II, Romæ, 1925.

E. HUGON, *Tractatus dogmatici*, t. I, IV, et V, Paris, 1920, 1925.

— *La Sainte Eucharistie*, ed. 2, Paris, 1917.

A. TANQUEREY, *Synopsis theologiæ dogmaticæ*, t. III, Paris, 1919.

M. LEPIN, *L'idée du Sacrifice de la Messe d'après les théologiens, depuis l'Origine jusqu'à nos pours*, Paris, 1926.

LA TAILLE (M. de) *Mysterium Fidei, De Augustissimo Corporis et Sanguinis Christi sacrificio atque sacramento*, ed. 3, Paris, 1931.

— *Esquisse du Mystère de la Foi, suivi de quelques éclaircissements*, Paris, 1924.

J. GRIMAL, *Le Sacerdoce et le sacrifice de N. S. Jésus Christ*, 4ª ed., Paris, 1926.

V. HERIS, *Le Mystère du Christ*, Paris, 1928, p. 354-369.

E. MASURE, *Le sacrifice du Chef*, Paris, 1932.

A. VONIER, *Une clef de la doctrine de l'Eucharistie*, 1925, trad. fr.

A. D'ALES, *De SS. Eucharistia*, Paris, 1929.

G. PETAZZI, S. J., *I Sacramenti. - L'essenza del sacrificio della Messa*, Trieste, 1939.

J. BRINKTRINE, *Der Messopferbegriff in den ersten zwei Jahrh.* Freiburg, 1918.

— *Die h. Messe in ihrem Werden und Wesen*, Paderborn, 1931.

Dictionnaire Apologétique de la Foi catholique, art. Eucharistie (J. Lebreton). — *Dictionnaire de Théologie catholique*, art. Eucharistie (C. Ruch, G. Bareille, A. Michel), art. Messe (C. Ruch, A. Gaudel, J. Rivière, A. Michel).

Quoad particularia opera theologiæ positivæ:

P. BATIFFOL, *Etudes d'histoire et de théologie positive*, 2e *série*: *L'Eucharistie, la presence réelle et la transsubstantiation*, 7e ed. Paris, 1925.

J. CORBLET, *Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du sacrement de l'Eucharistie*, Paris, 1885, sq.

G. RAUSCHEN, *Eucharistie und Bussakrament in den sechs ersten Jahrhunderten der Kirche*, 2e ed. Freiburg, 1910.

V. ERMONI, *L'Eucharistie dans l'Eglise primitive*, 2e ed. Paris, 1904.

W. GOOSSENS, *Les origines de l'Eucharistie*, Louvain, 1931.

INTRODUCTIO

BREVIS CONSPECTUS TRACTATUS S. THOMÆ DE SACRAMENTIS IN COMMUNI

S. THOMAS IIIª q. 60 in prologo ait: « Post considerationem eorum quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati considerandum est de Ecclesiæ sacramentis quæ ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent ».

Propter eandem rationem, juxta plures theologos modernos ut A. Gardeil, L. Billot, hic potest institui pariter tractatus theologicus de Ecclesia a Christo instituta, de ejus intima constitutione, de ejus hierarchia, de duplici potestate ordinis et jurisdictionis. Attamen convenit ut, in theologia fundamentali, post quæstiones de Christo a Deo legato ad plenitudinem revelationis tradendam, exponatur pars apologetica tractatus de Ecclesia, scil. quod historice instituta est a Christo ad Revelationem conservandam, infallibiliter proponendam et explicandam, et quod visibilis est Ecclesia ac discernibilis a falsis sectis per quatuor notas. Hæc omnia pertinent ad tractatum de Revelatione divina per Ecclesiam proposita, deinde considerandum est quid continetur in ipsa Revelatione, etiam circa ipsam Ecclesiam, circa ejus hierarchiam etc.

* * *

Nunc autem proponitur brevissimus conspectus tractatus de Sacramentis in communi, notando principales quæstiones quæ in eo inveniuntur et principia quibus illustrantur subsequentes quæstiones.

Hic tractatus de sacramentis in communi, continet quinque quæstiones:

1° quid sit sacramentum. - 2° de necessitate sacramentorum ex fine. - 3° de effectibus sacramentorum, scil. de gratia sacramentali et de charactere. - 4° de causa sacramentorum. - 5° de eorum numero.

Sic considerantur eorum quatuor causæ: *quid* (causa formalis et materialis), *finis* et *effectus* qui est finis in executione, *causa* efficiens scil. Deus et Christus, et denique de numero sacramentorum, ubi agitur de divisione et subordinatione sacramentorum.

Quid sit sacramentum (q. 60).

Sanctus Thomas ostendit quod sacramentum est signum rei sacræ, et rei sacræ sanctificantis homines, scil. gratiæ quæ ab eo producitur. Sed simul est commemoratio Passionis a quo derivatur et pignus seu signum prognosticum futuræ beatitudinis.

Ita baptismus est signum gratiæ baptismalis, confirmatio est signum gratiæ ab ea collatæ, item absolutio sacramentalis, pariter extrema unctio. Item eucharistia prout continet corpus Christi per modum cibi, est signum gratiæ cibantis. Unde sacramentum est proprie quid sensibile significans gratiam quam producit.

In eadem quæstione 60, ostenditur quod in quolibet sacramento sunt *res sensibilis* et *verba,* quæ constituunt unum sacramentum, prout conveniunt *in uno* scil. *in significando,* et in significando active, imo in causando. Unde *res* vg. *aqua* in baptismo, dicitur *materia* sacramenti et *verba sacramentalia* dicuntur *forma sacramenti;* quia magis determinant significationem rei sensibilis; unde manifestum est quod *analogice* et non univoce agitur de materia et forma in hoc tractatu. Sensus est quod sicut in rerum natura forma specifica vg. auri determinat materiam ad talem speciem, quæ est radix harum proprietatum, ita proportionaliter seu analogice verba sacramentalia vg. baptismi determinant significationem practicam rerum sensibilium vg. aquæ baptismalis, chrismatis, panis consecrandi.

Sunt tamen quædam difficultates infra examinandæ ad determinandum in quibusdam sacramentis, vg. in matrimonio et in pœnitentia, ubinam est materia: in pœnitentia sunt actus pœnitentis, sensui subjecti, in matrimonio sunt pariter actus eorum qui conjugendi sunt. Suppl. 42, a. 2.

Quoad institutionem materiæ et formæ a Christo videbimus quod sufficit Christum dixisse se velle aliquod sacramentum ad producendum *talem determinatum effectum,* vg. quod deleantur reliquiæ peccati ante mortem. Hoc sufficit quia signum sacramentale SPECIFICATUR ab *effectu sacramentali significando et producendo, ad quem est essentialiter relativum ut signum practicum.* Ibi est relatio transcendentalis quæ est de essentia sacramenti.

Necessitas sacramentorum (q. 61).

Sumitur ex hoc quod homines manuducuntur ad spiritualia per sensibilia.

Sacramenta legis naturæ fuerunt indeterminata;

Sacramenta legis mosaicæ fuerunt magis determinata a Moyse;

Sacramenta legis evangelicæ sunt alia quæ supponunt jam adventum Christi et operantur virtute Passionis Christi jam præteritæ, non solum sunt signum gratiæ producendæ, sed *causa.*

De causalitate sacramentorum (q. 62).

Utrum sint solum causa moralis, ut charta monetaria quæ dat jus ad accipiendum aurum vel argentum, an sint causa physica instrumentalis.

Primo est de fide quod sacramenta novæ legis producunt gratiam *ex opere operato,* scil. ex se, non ex opere operantis, nam actus humani non sunt de essentia sacramentorum habentium materiam corporalem, sed *dispositive* se habent 84, a. 1 ad 1. Attamen quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur et ille qui magis accedit ad fontem lucis et caloris magis illuminatur et calefit.

Etiam in sacramentis quorum materia sunt actus humani (vg. actus pœnitentis in pœnitentia et actus conjungendorum in matrimonio), gratia sacramentalis non producitur *ex opere operantis* (sicut quando justus per actum caritatis meretur augmentum hujusce virtutis), sed *ex opere operato,* scill. eo ipso quod constituitur sacramentum per unionem ejus formæ cum materia; vg. per absolutionem sacramentalem, qua attritus fieri potest contritus, dum non potuisset mereri gratiam contritionis, nec statum gratiæ, qui est principium meriti.

Sed supposito quod sacramenta novæ legis producunt gratiam sacramentalem ex opere operato, quæritur utrum eam producant *solum moraliter,* ut charta monetaria est id quo obtinetur argentum, an etiam *physice, id est instrumentaliter physice.* Hoc adhuc hodie disputatur [1].

S. Thomas aperte docet causalitatem instrumentalem physicam sacramentorum in q. 62, a. 1 quia, inquit, *alioquin « sacramenta novæ legis nihil plus essent quam signa gratiæ* (producendæ); cum tamen ex multis sanctorum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta novæ legis *non solum significant,* sed *causant gratiam...* Et ideo dicendum est quod sunt causa instrumentalis gratiæ ». Ad 1um: sic communiter dicitur « *efficiunt id quod figurant* ». Ad 2um: « Instrumentum habet *duas actiones*: unam *instrumentalem,* secundum quam operatur, non in vir-

[1] Negant Scotus, scotistæ, quibus adhærent Vasquez, Lugo, Tournely et plures moderni. Affirmant S. Thomas et thomistæ, uno aut altero excepto, et plures extranei, ut S. Bellarminus, Suarez, Valentia, Fonseca.

Notandum est quod Patres loquuti sunt de causalitate sacramentorum cum magno realismo v. g. S. Leo Serm. 4 de Nativ.: « Omni homini renascenti aqua Baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit et virginem ». Item Aug. in Joan. t. 80: « *Unde tanta virtus aquæ ut corpus tangat et cor abluat* ». Hæc vis, inquit, est « rore subtilior ». De Baptismo, c. 4. Item S. Chrysostomus: « quod est matrix embryoni, hoc est fideli aqua ».

tute propria, sed virtute principalis agentis; aliam autem actionem propriam, quæ competit sibi secundum propriam formam;... sic securis scindendo facit lectum... ita aqua baptismi, abluendo corpus secundum propriam virtutem... *abluit animam in quantum est instrumentum virtutis divinæ* ».

Item a. 3: « Sacramenta novæ legis continent gratiam, seu *gratia continetur in eis ut in causa instrumentali* ». A. 4. « In sacramentis *est aliqua virtus causativa gratiæ* » sicut in penna est virtus causativa scripturæ intelligibilis, sicut in penicillo Raphaelis est virtus ad pulcherriman picturam producendam. Sacramenta sunt quasi penna et penicillum Dei ad scribendum et pingendum in anima christiana; scribitur in ea non atramento sed gratia sacramentali.

Item q. 62 a. 5: Sacramenta novæ legis hanc virtutem habent *ex passione Christi.* Sic *humanitas* Christi cum suis gloriosis cicatricibus et suo vivo desiderio sanctificationis nostræ, est *instrumentum conjunctum divinitati,* dum sacramentum est instrumentum separatum. Ita in scriptore, manus ejus est instrumentum conjunctum artis suæ, et penna est instrumentum separatum.

Quæstione 62, a. 6: « *Sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem* (derivatam a Passione Christi, quæ nondum adimpleta erat) *qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem;* sed *solum significabant fidem* (de futura Christi passione) per quam justificabantur homines ». Ita v. g. circumcisio remittebat peccatum originale producendo, ut signum praticum, gratiam habitualem (cf. etiam q. 66, a. 1).

Hi textus S. Thomæ sunt clari et expliciti; juxta eos, si sacramenta novæ legis essent solum causa moralis vel intentionalis ad modum meri signi practici (ut vult cardinalis Billot), non distinguerentur a sacramentis veteris legis, quæ erant solum signa gratiæ, non vero causa gratiæ.

Hoc clarius apparet si comparentur sacramenta novæ legis cum vi impetratoria orationis; oratio petitionis est causa moralis gratiæ quam obtinet, pariter meritum; sed nec oratio nec actio meritoria *producunt* gratiam, eam solum *obtinent* sive impetratorie, sive meritorie.

De gratia sacramentali (cf. q. 62, a. 2).

Dicit S. Thomas, loc. cit.: « Gratia sacramentalis, vg. baptismalis, addit super gratiam communiter dictam et super virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem». Sic Adam innocens habuit gratiam habitualem communiter dictam, quæ est participatio divinæ naturæ, seu vitæ intimæ Dei, pariter habuit virtutes infusas et septem dona, sed non habuit gratiam proprie *baptismalem*, quæ est gratia proprie *christiana*, quæ derivatur a meritis Christi redemptoris; Adam innocens non erat redemptus. *Gratia ut christiana* nos *configurat Christo* et diversimode secundum diversa sacramenta baptismi, confirmationis, eucharistiæ etc.

Ex his quæ dicta sunt a S. Thoma in hoc articulo constat quod gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum et donorum *modalitatem quamdam habitualem,* quæ dat aliquod jus ad accipiendas gratias actuales saltem sufficientes, (et si eis homo non resisteret, acciperet gratiam efficacem) vg. gratia baptismalis ad christiane vivendum, gratia confirmationis ad firmam fidei christianæ confessionem, gratia cibans producta a communione eucharistica dat jus ad gratias actuales necessarias ad majorem cum Christo unionem, tanquam ejus membra magis ac magis vivificata; gratia sacramentalis pœnitentiæ dat jus quoddam ad gratias actuales ad vitandas occasiones peccati; gratia sacramenti ordinis dat aliquod jus ad gratias actuales ad sancte et semper sanctius celebrandum etc.

Sic gratia sacramentalis est velut lineamentum nostræ physionomiæ spiritualis. Quædam animæ, quæ vident secreta cordium, videntur accipere spirituales photographias quarumdam aliarum animarum, et sic vident lineamenta earum physionomiæ spiritualis quæ evolvitur et tendit ad perfectionem, velut ad spiritualem ætatem perfectam. Gratia sacramentalis est velut spirituale lineamentum physionomiæ animæ, et secundum hoc lineamentum fiunt diversi motus physionomiæ, velut moderatus risus, ictus oculi, lacrimæ, etc.

* * *

Principalis objectio contra causalitatem instrumentalem physicam sacramentorum est ista:

- Virtus spiritualis non potest recipi in corpore.
- Atqui virtus instrumentalis ad productionem gratiæ est spiritualis.
- Ergo non potest recipi in sacramento sensibili, vg. in aqua aut chrismate.

Respondetur: Distinguo majorem: non potest recipi *permanenter* in corpore, ut proprietas ejus vel ut accidens permanens, concedo; non potest recipi *transeunter,* nego. Quia id quod recipitur transeunter in aliquo subjecto non ei proportionatur, sed termino producendo et subjecto transmutando, scil. in præsenti proportionatur animæ perficiendæ. Ita vg. similitudo corporum transit per aerem ad visionem producendam in oculis nostris.

Ita etiam, in ordine naturali, in vultu sensibili transit lumen intellectus per oculos, per ictum oculi; dicitur de aliquo homine: habet oculos intelligentes; ita in accentu vocis transit affectio animæ, amor vel ira.

Insuper Deus utitur corpore, vg. aqua baptismali, non ut proprie est corpus, sed ut est ens creatum sibi subjectum, et ex potentia obedientiali aquæ educit prædictam virtuten instrumentalem.

Denique hæc virtus instrumentalis potius dynamice continet materiam sacramenti quam continetur in ea, sicut anima potius continet corpus quam continetur in eo.

De charactere (q. 63).

Character est alius effectus quorundam sacramentorum, scil. baptismi, confirmationis, ordinis. Est, ut nomen ejus indicat, velut sigillum in anima impressum.

Sed sigillum istud spirituale ad aliquos actus religiosos valide adimplendos ordinatur. Propterea concipitur a theologis et speciatim a sancto Thoma, *ut spiritualis potestas* ad tales actus religiosos *valide adimplendos,* dum gratia sacramentalis adjuncta est ad hos actus licite et *sancte* adimplendos.

Hæc omnia sunt revelata et de fide definita. Revelatio autem harum veritatum facta est quasi in concreto, per praxim administrationis sacramentorum, vg. baptismi. Hoc factum complexum (baptismus) potest enim exprimi in multis propositionibus: ex parte materiæ, formæ sacramentalis, ministri, subjecti et effectuum. Ex usu non reiterandi baptismum plura constant de his effectibus.

Sic character baptismi est alius a charactere confirmationis et ordinis, quia sunt ad distinctos actus (q. 72, a. 5).

Character baptismi est potentia passiva (ad alia sacramenta valide recipienda), sed character confirmationis et ordinis est potentia activa (q. 63, a. 3).

Hi characteres sunt proprie characteres Christi, tanquam ducis, quibus configurantur fideles sacerdotio Christi (q. 63, a. 3).

Per oppositum character bestiæ est obstinata malitia vel professio illiciti cultus (q. 63, a. 3 ad 3um).

Character manet in damnatis quia est indelebilis (63, a. 2 et 5); gratia autem sacramentalis amittitur cum gratia virtutum et donorum, cujus est modalitas, sed restituitur cum ea per reviviscentiam.

Christus habuit gratiam, imo plenitudinem gratiæ capitalis, nullum vero characterem. Christus ipse est character Patris (q. 63, a. 1 ad 2um et a. 5 et 6).

De causa sacramentorum (q. 64).

ART. 1. — Solus Deus interius operatur (ut causa principalis) in sacramentis, quia ille solus est causa principalis gratiæ, et etiam characteris spiritualis impressi in anima. Christus vero ut homo est conjuncta causa instrumentalis gratiæ, ut dictum est.

ART. 2. — Solus Deus potest instituere sacramentum, quia virtus sacramenti ad producendam gratiam est a solo Deo tanquam a causa principali. Virtus sacramenti non potest esse ab eo qui utitur sacramento jam instituto, quia ille est solum minister.

ART. 3. — Christus, ut Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem; secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie (olim), et *efficienter sed instrumentaliter* (nunc). Cf. IIIam q. 13, a. 2, 3. Ipse est instrumentum divinitati conjunctum et principale.

Item « ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in ejus nomine (et propter ejus merita infinita) sacramenta sanctificantur... Sic *Christus potuit instituere sacramenta* (non solum ut Deus, sed ut homo quia meruit de condigno effectus omnium sacramentorum); insuper potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre » vg. remittendo paralytico peccata ejus, et Magdalenæ, et bono latroni.

Imo secundum Concilium Tridentinum sess. 7, cap. I: « Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo instituta, an. sit ».

Sufficit tamen, vg. pro extrema unctione, quod manifestaverit se velle aliquod signum sensibile ad hunc effectum determinatum producendum, scil. ad reliquias peccati tollendas ante mortem; sacramentum enim extremæ unctionis *specificatur* et ab aliis distinguitur ab isto effectu producendo, ad quem est essentialiter relativum.

* * *

Quid importat potestas excellentiæ quam habuit Christus circa sacramenta instituenda?

Potestas excellentiæ Christi circa sacramenta importat quatuor: 1° quod ejus meritum operetur in sacramentis ad eorum effectum; 2° quod sacramenta in ejus nomine administrentur; 3° quod potuerit instituere sacramenta; 4° quod potuerit effectum sacramenti, scil. gratiam, sine sacramento sed solo imperio conferre.

Hæc potestas excellentiæ (sublato tamen valore infinito meritorum et satisfactionis) potuisset communicari puro homini, qui accepisset a Deo plenitudinem gratiæ capitalis, ut potuisset mereri de condigno, sed non rigorose satisfaciendo, pro aliis hominibus. Ita Billuart diss. V, a. 1 et plures alii (cf. sanctum Thomam q. 64, a. 4). Imo Christus ipse potuisset talem potentiam excellentiæ alteri homini communicare sed non fecit, ne fideles spem ponerent in homine.

De ministro sacramentorum (q. 64, a. 5 sq.).

Mali ministri etiam hæretici et pagani valide conficiunt sacramenta, modo aliunde omnia ad illorum validitatem necessaria adhibeant, materiam scil., formam, et *intentionem faciendi quod facit Ecclesia.*

Ita pagani possunt valide conficere baptismum, non vero alia sacramenta. Sed sacerdos peccator, imo hæreticus, si sit valide ordinatus, valide consecrat.

Ratio est quia malus minister non potest impedire potestatem Domini; ita Augustinus tract. 5 in Joann.; Concilia decreverunt quod baptizati ab hæreticis non debent rursus baptizari (nisi sub conditione quando dubitatur de validitate baptismi collati). Item Concilium Tridentinum sess. 7, can. 12.

Ratio theologica est: minister est solum *instrumentum*, et sufficit quod velit facere id quod facit Ecclesia, servando ea quæ ad validitatem sacramenti pertinent.

Quoad hoc per accidens est quod minister si hæreticus, sicut quod medicus sit ægrotus.

Malus minister non operatur in sacramentis de suo, sed ex virtute Christi (cf. Billuart solutionem objectionum ex locis difficilibus Patrum).

Objectio a ratione: Qui amisit fidem non potest velle facere id quod facit Ecclesia.

Respondetur: Non potest hoc velle, ipse credendo efficacitatem supernaturalem sacramenti, concedo; non potest velle *facere signum quod Ecclesia credit esse supernaturaliter efficax,* subdistinguo: si tollit quid necessarium ad validitatem, aut si *irrisorie* agit, concedo; secus, nego. Ita medicus materialista potest valide baptizare parvulum dum serio vult facere id quod mater christiana ab eo postulat.

Non sufficeret tamen intentio ministri si vellet facere *ritum mere externum,* quia non vellet facere id quod facit Ecclesia (cf. art. 8 e 9). Requiritur *interna et seria* intentio faciendi id quod facit Ecclesia, quia minister est instrumentum animatum et sui conscium; attamen hæc intentio potest existere in eo qui non habet fidem de efficacitate sacramentorum.

Ita minister regis potest valide deferre litteram regis, etsi non credat id quod in ea continetur, sed vult facere id quod vult rex scil. hanc litteram portare (cf. q. 64, a. 9, 1um in fine. *Item* a. 10: *legere*).

Requiritur *intentio interna virtualis* (non tamen *actualis*) id est intentio quæ fuit actualis et non retractata est.

Mali ministrantes sacramenta peccant sic agendo, quia gravem irreverentiam committunt contra Christum, auctorem sacramentorum, nam sancta sancte sunt tractanda. (cf. S. Thom., cit., a. 6).

Attamen in statu necessitatis non peccant saltem graviter.

De intentione subiecti recipientis sacramentum.

In adultis requiritur ad validitatem sacramenti intentio interna recipiendi illud ut rem in Ecclesia sacram (excipitur Eucharistia, quæ existit ante susceptionem ejus).

Ratio est quia adultus non justificatur per gratiam nisi ad eam se disponat per modum liberi arbitrii. Sed sufficit intentio virtualis.

Quoad conditiones requisitas in subiecto. Peccatori occulto occulte petenti, et publico sive occulte sive publice petenti, extra periculum mortis, deneganda sunt sacramenta, excepta pœnitentia, et in aliquo casu (propter tranquillitatem reipublicæ) matrimonio.

De numero et ordine sacramentorum (q. 65).

QUATUOR SUNT ARTICULI:

ART. I. — **Sunt septem sacramenta.** Est de fide contra Lutheranos et Calvinistas qui duo vel tria tantum agnoscunt, scil. baptismum et Cœnam. Cf. Concilium Florentinum et Tridentinum.

Et sanctus Thomas optime ostendit quod convenienter sunt septem, prout perficiunt hominem spiritualiter, et removent defectus peccati. Etenim vita spiritualis, sicut et corporalis,

1° debet *accipi,* et hoc fit per *baptismum,*

2° debet *augeri* ad robur, et hoc fit per *confirmationem,*

3° debet *nutriri,* et hoc fit per *Eucharistiam,*

4° post peccatum debet *restitui,* et hoc fit per *pœnitentiam,*

5° ad reliquias peccati removendas datur insuper *extrema unctio* ante mortem et ut firmetur moribundus in agonia.

6° in ordine ad communitatem et exercitium cultus publici et ad regendos fideles datur *ordo.*

7° ad familiam christianam constituendam *matrimonium,* scil. ut in hac familia regnet non concupiscentia sed spiritus Dei, et ad educationem christianam prolis.

ART. II. — **De comparatione sacramentorum ad invicem.** Sacramenta quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ naturaliter præcedunt ea quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis, quia unum est prius quam multitudo. Sic ultimo ponuntur ordo et matrimonium.

Inter priora sic est ordo: baptismus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, extrema unctio; quia prius est id quod ordinatur ad perfectionem vitæ spiritualis, quam id quod removet nocivum superveniens.

ART. III. — **Potissimum sacramentum est Eucharistia.** Quia continet non solum gratiam, sed auctorem gratiæ, et datur ad consummationem vitæ spiritualis, nos intimius conjungendo cum Christo in communione, et simul cum aliis fidelibus per Christum et in ipso.

Alia sacramenta sic ordinantur ad Eucharistiam ut ad finem (cf. art. 3, corp. fin.). Coroll. Eucharistia sic præsupponit alia sacramenta et etiam omnia alia Christianismi mysteria, scil. Incarnationis redemp-

tivæ Filii Dei, Trinitatis, peccati originalis, elevationis ad ordinem gratiæ et gloriæ: proinde unum solum miraculum eucharisticum, scil. confirmans veritatem præsentiæ realis, confirmat consequenter veritatem aliorum mysteriorum fidei et sacramentorum, imo validitatem ordinationum in præterito usque ad Christum. Hoc prædicandum est.

ART. IV. — **Tria sacramenta sunt absolute de necessitate salutis.** Baptismus; pœnitentia supposito peccato mortali; ordo pro vita Ecclesiæ. Ad melius esse necessaria sunt confirmatio, eucharistia, extrema unctio, matrimonium pro multitudine Ecclesiæ per propagationem conservatæ.

Compendium quæstionis

DE BAPTISMO

(q. 66 - 71 inclusive)

Agendo de Baptismo qui est janua aliorum sacramentorum, sanctus Thomas dicit adhuc plura de sacramentis in communi; sicut in Iª Parte agendo de angelis, seu de prima creatura, plura dicit de ente creato ut sic.

Agitur: 1° de baptismo in se et quoad necessitatem ejus;
» 2° de suscipientibus baptismum;
» 3° de effectibus.

Circumcisio ut sacramentum veteris legis præparabat Baptismum, remittebat peccatum originale et conferebat gratiam, prout erat signum fidei de futura passione Christi, sic ex opere operato non active, sed passive. Non imprimebat characterem, nec aperiebat cælum, quia nondum erat solutum pretium.

Baptismus Joannis magis proxime præparabat baptismum Christi.

1° - **Baptismus** est *sacramentum maximæ necessitatis* prout dat vitam supernaturalem initialem, semen gloriæ. Sed potest suppleri quoad gratiam (non quoad characterem) per *baptismum sanguinis,* ut in sanctis innocentibus, et per *baptismum desiderii,* seu per actum caritatis, in quo est votum saltem implicitum sacramenti baptismi. Q. 66, a. 11; q. 69, a. 5, ad 1um; q. 68, a. 2; q. 72, a. 6, ad 1um (cf. tract. de peccato, ultim. artic. I-II, q. 89, a. 6).

Non debet iterari, nam imprimit characterem indelebilem et peccatum originale remissum non reviviscit.

Materia est aqua, et forma: « Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ». Cum hæc forma determinata sit a Christo, non sufficeret dicere: « in nomine Trinitatis ».

2° - **De suscipientibus baptismum,** q. 68. — *Fides est necessaria in baptizandis adultis* quoad gratiam, non autem quoad characterem (q. 68, a. 8). — *Fides non est necessaria in baptizantibus* (q. 64, a. 9; q. 68, a. 8).

In habentibus usum rationis baptizandis requiritur contritio (saltem imperfecta), sive devotio, ad recipiendam gratiam baptismalem; si vero est obex recipitur solum character, et postea recedente (per pœnitentiam) obice, producitur gratia baptismalis (q. 69, a. 10 et 9) [1].

[1] Verbi gratia, quando momento receptionis baptismi aliquis credit habere dispositionem sufficientem ad sacramentum et ejus effectum, et tamen non habet, postea recedente (per pœnitentiam) obice, producitur gratia baptismalis.

Tunc per accidens sacramentum non est causa instrumentalis physica gratiæ, nisi mediante charactere; et in casu simili, sacramenta quæ characterem non producunt, non sunt causa gratiæ nisi moraliter.

Quidam ex hoc facto particulari negant in universali causalitatem physicam sacramentorum. Ad hoc respondendum est: hoc fit per accidens ratione obicis, in casu præsenti, et ea quæ sunt per se et ordinaria non sunt judicanda ex eis quæ sunt per accidens.

Aliquis *fictus* accedit ad baptismum quadrupliciter: non credens, contemnens baptismum, non servans ritum Ecclesiæ, indevotus, seu non volens effectum sacramenti. Et hæc quatuor sunt per accidens.

Pueri infidelium, antequam habeant usum rationis, non sunt baptizandi invitis parentibus, quia secundum jus naturale sunt adhuc sub cura parentum, et deinde est periculum apostasiæ si educantur inter infideles (q. 68, a. 10) - (cf. Codicem juris canonici).

Baptismus est janua omnium sacramentorum. Aliquis moriens statim post baptismum, extemplo volat ad cælum, quia est in statu gratiæ absque ullo peccato et ulla pœna subeunda (cf. q. 69, a. 2 et 7): est donum præclarum Regis primo advenientis in anima.

Pueris baptizatis subvenit meritum Christi ad beatitudinem consequendam, licet desint eis merita propria, nam per baptismum efficiuntur membra Christi. Sic obtinent beatitudinem titulo hereditatis, non meriti.

3° - **De effectibus baptismi,** q. 69. — Producit gratiam qua homo justificatur et fit filius Dei adoptivus, et characterem baptismalem, ad valide suscipienda deinde alia sacramenta (cf. q. 72, a. 6).

In baptismo amplior gratia datur quam in circumcisione; habet vim illuminativam et fecundativam ad bona opera. Gratia baptismalis sufficit (scil. est gratia sufficiens) ad concupiscentiam totaliter reprimendam et ad merendum, non autem gratia quæ per circumcisionem conferebatur (q. 70, a. 4).

Omnibus rite baptizatis etiam pueris conferuntur gratia habitualis, virtutes infusæ, septem dona (q. 69, a. 4 et 5). Et in catechumenis jam justificatis hæc augentur.

Omnes pueri æqualem gratiam consequuntur per baptismum, quia non inæqualiter disponuntur; adulti autem gratiam inæqualem accipiunt, sec. gradum devotionis (q. 69, a. 8).

In baptismo homo participat totaliter virtutem passionis Christi, proinde si statim moritur postea, transit in cælum sine mora in purgatorio. Hoc non facit sacramentum pœnitentiæ, quo deletur peccatum, non vero semper tota pœna temporalis peccato debita (q. 86, a. 4 ad 3um).

Homo per baptismum in mortem Christi quasi moritur peccato et novam vitam obtinet (q. 68, a. 5). Baptismus delet quoad personam omnem culpam originalem et actualem seu personalem, *non vero pœnalitates vitæ præsentis,* quæ sequuntur ex peccato originali, quia natura humana nondum est perfecte regenerata, sic adhuc subjicitur concupiscentiæ, dolori, morti, ad exercitium virtutis (q. 68, a. 1 ad 2um; 69, a. 3). Legendus est hic art. ultimus et ad 3um.

Attamen per baptismum fomes concupiscentiæ mitigatur ne dominetur (q. 66, a. 3; 69, a. 4; 86, a. 5). Quatuor vulnera quæ sunt sequela peccati originalis, sunt in via cicatrizationis [1].

Baptismus sanguinis est melior et efficacior ceteris baptismis, includit baptismum flaminis seu desiderii, supplet baptismum fluminis, in necessitate solum (q. 66, a. 11, 12), sed non imprimit characterem (Ibid.). Legendi sunt hic ultimi articuli.

[1] Hæc quatuor vulnera, ut exponitur I-II, q. 85, a. 3, sunt ***infirmitas*** (ad bonum morale etiam ordinis naturalis faciendum et in eo perseverandum), ***ignorantia*** (ex qua oritur sæpe error practicus contra prudentiam), ***malitia*** (ex qua procedit injustitia), ***concupiscentia*** (ex qua oritur luxuria, gula etc.). Sec. S. Thomam concupiscentia est in appetitu sensitivo concupiscibili, infirmitas in irascibili loco fortitudinis, ignorantia in ratione præsertim practica, malitia in voluntate. Legendus est hic articulus. Hæc quatuor vulnera post baptismum sunt in via cicatrizationis, sed rursus aperiuntur per peccata actualia.

Compendium quæstionis

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

(q. 72)

Confirmatio consideratur 1° in se, 2° quoad effectus, 3° quoad subjectum et ministrum.

1° Est sacramentum quo confertur plenitudo gratiæ et Spiritus Sancti, ad robur, ut christianus fiat miles Christi, aliquomodo sicut Apostoli die Pentecostes confirmati sunt per missionem visibilem Spiritus Sancti, qua illuminati et roborati sunt ad fidem strenue prædicandam usque ad martyrium.

2° Confirmatio simul confert characterem ad defensionem fidei, et gratiam ut hæc defensio sit non solum firma, sed etiam cum aliis virtutibus, scil. cum caritate, prudentia, etc.

Confirmatio est nobilius sacramentum baptismo, quoad ministrum (episcopum) et gratiam, et simpliciter, sed quoad remissionem peccatorum est e converso (a. 11).

Chrisma, id est oleum olivarum cum balsamo, est propria materia ejus (a. 2). Habet determinatam formam, scil.: « Consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ».

Sic datur homini spirituale augmentum gratiæ, virtutum ac donorum, quo promovetur justus in spiritualem ætatem quasi adultam (a. 1, 5 et 7).

Non est de necessitate salutis, sed ad bene esse spiritualis vitæ (a. 4).

Fuit immediate instituta a Christo quando imposuit manus super pueros, non exhibendo, sed promittendo (a. 1 ad 1um).

3° Confertur tantum ab Episcopo, sed potest tamen conferri a simplici sacerdote ex commissione Summi Pontificis.

Confirmans et confirmandus debent esse in gratia. Et debent esse confessi et jejuni de consilio, non autem de præcepto (a. 7 ad 1um).

Datur in fronte ad liberam confessionem nominis Christi et ad fortiter defendendam dignitatem acceptam.

Sic confirmati magis conformantur Christo et configurantur ei per signum Crucis.

Impositio manus fit ad significandum copiosum effectum gratiæ qui datur ad roborandum, ad pugnam spiritualem.

Eucharistia roborat etiam sed non eodem modo, roborat enim hominem *in se* quoad caritatem, confirmatio vero *contra alios* in pugna, ad defensionem fidei (a. 9, ad 2um).

Sic confirmatio perficit effectum baptismi et pœnitentiæ (a. 7 ad 2um).

Confirmati habent majorem gloriam in cælo quam non confirmati.

Hæc omnia speciatim prædicanda sunt juvenibus qui pertinent ad Actionem catholicam ut vere sint Christi milites; acceperunt characterem non sacerdotalem sed Confirmationis et gratiam annexam.

DE EUCHARISTIA

Ad digne tractandum de Eucharistia, oporteret habere non solum exactam cognitionem fontium Revelationis et profundam cognitionem metaphysicam eorum quæ ad substantiam et accidentia pertinent, sed insuper imo et præsertim magnum fidei spiritum et simul pietatis, ut apparet in l. IV Imitationis Christi. S. Theologia enim est scientia studio humano quidem acquisita, sed radix ejus est fides infusa, unde eo vividior est quo procedit a majori spiritu fidei, seu ab alta fide donis Spiritus Sancti illustrata. Sic pervenit ad notitiam vivam mysteriorum et fructuosissimam ut dicitur in Conc. Vaticano, sess. III, cap. IV.

CONSPECTUS GENERALIS HUJUSCE TRACTATUS

De Eucharistia tractaverunt inter Patres latinos, præsertim sanctus Ambrosius, *Officiis* I, 42, 238; sanctus Augustinus, *in Joan.* tr. 26. Inter Patres græcos sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesis* 22ª; sanctus Joannes Chrysost., *in Matth. Homil.* in c. XXVI, 26; *in Joann. h.* 46, et *in I Corinth.* XI, 24. - Dionysius, *de Ecclesiastica hierarchia*, c. 3; sanctus Damasc. l. IV, c. 4. - Item de ea ex professo sermo est in operibus Lanfranci, Algeri, Paschasii.

Inter Scholasticos præsertim consulendus est P. Lombardus, Magister Sententiarum, in IV S., dist. 8 ad 13 incl.; S. Bonaventura in IV S.; S. Albertus Magnus in IV, et in suis duobus operibus *de Eucharistia* et *de Sacrificio Missæ*. - S. Thomas *in IV Sent.*, in *Summa theol.* et etiam *IV C. Gentes* c. 61, 63, 68 etc., *in Ep. I Cor. XI*, lect. 4, 5, 6, 7, *in Joan.* VI, lect. 6, *Quodl.* 6 a. 9, *quodl.* 7, a. 8, *quodl.* 9 a. 5 et aliis locis infra citandis.

Commentatores sancti Thomæ legendi sunt, inter quos Cajetanus, Joannes a S. Th., Gonet, Salmanticenses.

Sub aspectu spirituali egregie scripsit de Eucharistia auctor *Imitationis Christi* l. IV.

Contra Protestantes speciatim consulendi sunt sanctus Bellarminus, *de Eucharistia*, card. Gotti, *Theol.*, Benedict. XIV, *de SS. Missæ Sacrificio*. - S. Alphonsus, *Opera*, ed. ult., l. VI, ac denique recentiores theologi de quibus infra. Post Concilium Trid. multum evolvitur contra objectiones Protestantium theologia de sacrificio Missæ.

DIVISIO TRACTATUS

Hic tractatus sancti Thomæ, ut dicitur in prologo dividitur in septem partes. Si vero consideratur ejus structura intima in eo inveniuntur duæ partes fundamentales omnibus notæ:

Iª *de Eucharistia ut est sacramentum;*

IIª *de Eucharistia ut est sacrificium sacramentale*, quæ continet duas ultimas quæstiones.

Iª pars subdividitur in duas sectiones:

Iª est *de ipso Eucharistiæ sacramento et de præsentia reali* (a. q. 73 ad 78 incl.). In ea agitur 1° de ipso sacramento a Christo instituto; - 2° de ejus materia ac de conversione hujusce materiæ; - 3° de ejus forma, ex cujus analysi profundius manifestatur transsubstantiatio et realis præsentia.

IIª sectio Iªᵉ partis est *de effectibus sacramenti Eucharistiæ et de communione* (q. 79-81).

IIª pars est *de Eucharistia ut est sacrificium* in qua prius agitur de sacerdote consecratore (q. 82), deinde de consecratione sacramentali seu de ipso sacrificio Missae (q. 83).

Sic sunt tres partes principales: de præsentia reali, de communione et de sacrificio Missæ.

Structura hujusce tractatus melius sic apparebit:

De Eucharistia	*ut sacramento*	*de ipso sacramento et de præsentia reali* (q. 73-78): de ipso sacramento in communi - de ejus materia ac de conversione ipsius - de ejus forma.
		de effectibus sacramenti et de communione (q. 79, 80, 81).
	ut sacrificio sacramentali	*de ministro consecratore* (q. 82).
		de consecratione sacramentali (q. 83).

Hæc divisio bona est, prout opponuntur sacramentum et sacrificium, in hoc quod sacramentum datur a Deo hominibus, dum sacrificium offertur Deo ab hominibus. Sed in expositione tractatus apparebit Missam esse sacrificium sacramentale, in quo immolatio sacramentalis est. Unde conveniens est tractare de Eucharistia ut est sacramentum antequam de Eucharistia ut est sacrificium.

S. Thomas initio tractatuum et quæstionum non dat semper rationem primæ divisionis et subdivisionum, enumerat solum partes examinandæ, ut vg. in Iª q. 14, de scientia Dei, ubi distinguuntur quatuor-

decim articuli, sed facile est distinguere quinam pertinent 1° ad ipsum intelligere Dei - 2° ad ejus objectum primarium - 3° ad ejus objectum secundarium - 4° ad modum intelligendi. Ita pariter nunc in divisione præsentis tractatus.

* * *

Prædicta divisio longe superat eam secundum quam dividitur tractatus de Eucharistia *in Sententiis Petri Lombardi,* quæque exponitur in IV Sent. dist. 8 in prologo et commentario sancti Thomæ: (Quæstiones sunt fere eadem ac apud plerosque antecessores):

« Tractatus dividitur in partes duas:

Iª pars de ipso sacramento,

IIª de dispensantibus sacramentum, dist. 13.

Iª pars sic subdividitur:

1° - *De Sacramento Eucharistiæ in generali*: scil. de ejus institutione, materia, forma (dist. 8) - de usu sacramenti (d. 9).

2ª - *De Sacramento Eucharistiæ in speciali*: quod sic subdividitur:

a) *de ipso vero corpore Christi* quod est res et sacramentum, ubi de præsentia reali et de transsubstantiatione.

b) *de speciebus panis,* quæ sunt sacramentum tantum, et quasi obiter de sacrificio Missæ dist. XII (hæc quæstio de sacrificio Missæ quasi per accidens connectitur cum alia de accidentibus Eucharisticis et parum explicatur in Comm. S. Thomæ, multo longius in Comm. S. Alberti).

c) *de effectu sacramenti* qui est res tantum.

Denique in fine *de dispensantibus sacramentum,* id est quis potest consecrare et dispensare hoc sacramentum.

Si comparatur hæc divisio tractatus P. Lombardi cum divisione data a S. Thoma in Summa theologica, apparet notabilis evolutio et major perfectio in secunda. Melius enim est tractare de sacramento secundum materiam et formam, nec non de præsentia reali et de transsubstantiatione, seu de materiæ conversione, antequam de usu sacramenti. Imo mirum est omnino quod P. Lombardus tractet de usu hujusce sacramenti, d. 9 antequam de præsentia reali et de transsubstantiatione, qua constituitur ipsum sacramentum.

Insuper S. Thomas multo profundius tractavit de transsubstantiatione et de accidentibus eucharisticis; Magister Sententiarum enim parum versabatur in rebus metaphysicis, non satis ad profunde tractandum de hoc mysterio.

* * *

An. S. Albertus perfecerit doctrinam Petri Lombardi?

Certo certius, et hoc jam apparet in suo Commentario in IV Sent. dist. XII, ubi longius tractat de sacrificio Missae quam ipse S. Thomas in hanc distinctionem; imo objectiones quæ postea a protestantibus propositæ sunt contra Missam fere ad litteram sunt apud S. Albertum in Sententias et eis jam profunde respondet, ut infra videbimus.

Insuper S. Albertus præter Commentarium suum in Sententias et varios sermones de hoc mysterio, scripsit duo opera circa Eucharistiam: *De sacrificio Missæ,* ubi explicat diversas Missæ orationes (cf. Opera ejus completa, ed Borgnet, t. 38) - et ibidem *De Eucharistia,* ubi theologice exponit id quod pertinet tum ad sacramentum, tum ad sacrificium, secundum hunc ordinem in sex partes: 1° Quomodo hoc sacramentum sit *in genere gratiæ* (quasi cumulum gratiæ continet) - 2° quomodo sit in genere *doni* - 3° in genere *cibi* et *potus* (ubi est quasi integer tractatus de pretiosissimo sanguine) - 4° quomodo sit in genere *communionis* (ubi exponit quomodo hoc sacramentum faciat communicare passionibus mystici corporis) - 5° quomodo sit in genere *sacrificii* (scil. de hujus sacrificii auctoritate et antiquitate, sanctitate, acceptabilitate et veritate) - 6° quomodo sit in genere *sacramenti* (de ejus institutione, de ejus materia et forma ac de ritu hujusce sacramenti).

Hæc divisio in sex partes juvat quidem ad expositionem mysticam eorum quæ ad Eucharistiam pertinent, et plura in hoc opere sunt pulcherrima. Sed sub aspectu methodico, divisio tractatus S. Thomæ excellentior est, prout incipit tractare de ipso sacramento et de partibus ejus, materia et forma, antequam de ejus effectibus et usu.

* * *

Denique si comparatur divisio tractatus S. Thomæ cum distributione tractatuum modernorum, dicendum est quod moderni, post tridentinam damnationem protestantismi, longius quidem tractant de sacrificio Missæ, sed sæpe non perfectius.

Generaliter a tempore protestantismi commentatores S. Thomæ evolvunt partem ultimam tractatus de sacrificio Missæ. Ita inter thomistas Joannes a S. Thoma, Salmanticenses, Gonet, Billuart, recentius Billot, Hugon, Zubibaretta. P. Billot et P. Hugon dividunt suum tractatum secundum ordinem quæstionum Summæ S. Thomæ evolvendo in fine ea quæ ad sacrificium pertinent. Et hæc divisio videtur magis methodica quam plures aliæ a diversis auctoribus hodiernis propositæ.

Tanquerey sic dividit tractatum:

1° *De mysterio præsentiæ realis;* - 2° *de sacramento,* quoad ejus existentiam et naturam, id est de ejus materia et forma, nec non de effectibus; - 3° *de sacrificio Missæ,* ejus existentia, essentia, et effectus.

Hæc divisio videtur minus perfecta quam divisio S. Thomæ, nam 2ª pars non vere distinguitur a 1ª, quoniam quæstio de existentia et natura sacramenti importat expositionem mysterii præsentiæ realis et transsubstantiationis. Insuper convenit incipere, ut facit S. Thomas, per defini-

tionem nominalem hujusce sacramenti, ejusque institutionem, ideoque agendum est initio de sacramento Eucharistiæ in se, ut est quid sensibile, antequam disputetur de profunda quæstione de transsubstantiatione et de præsentia reali.

Ita de facto evenit progressus dogmaticus.

Eadem animadversio valet quoad divisionem propositam a *D. Hervé* in sua Theologia, scil. 1° de præsentia reali per transsubstantiationem, 2° de sacrificio, 3° de sacramento. Insuper in tractatu de sacramentis prius convenit considerare Eucharistiam ut sacramentum, et solum postea ut sacrificium, ut communiter fit, quia est sacrificium sacramentale, per immolationem sacramentalem.

Principales errores circa Eucharistiam sunt sequentes:

SÆCULO XI:

Berengarius Turonensis primus in Ecclesia palam negavit transsubstantiationem et præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia contenditque omnia in figuris et signis consistere (cf. Denz. n. 355, Concil. Romanum XI an. 1079, sub S. Gregorio VII).

SÆCULO XII:

Petrus de Bruys tenuit Christum quidem panem in corpus suum convertisse, sed sacerdotes non habuisse talem potestatem. Versus finem sæculi XII, *Waldenses, Pauperes de Lugduno, Albigenses* veritatem transsubstantiationis negaverunt.

SÆCULO XIII:

Wicleffus in Anglia negavit præsentiam realem et postea *Joannes Huss.* Damnati sunt in Concilio Constantiensi sub Martino V (cf. Denz. n. 583 et sq.).

Inter Protestantes denique, *Lutherus* præsentiam realem non negavit, sed consubstantiationem sustinuit, scil. esse in Eucharistia corpus Christi cum substantia panis remanente. Quidam protestantes admiserunt præsentiam realem, sed *solum momento Cœnæ,* seu communionis, non vero in hostiis consecratis quæ postea conservantur. Plerique autem discipuli Lutheri aperte negaverunt præsentiam realem, inter quos Oecolampadius, Carlostadius, Zwinglius, Bucerus, et alii *sacramentarii* dicti, quos secuti sunt Sociniani et protestantes liberales [1].

Calvinus, mediam viam inter Lutheranos et sacramentarios tenens, docuit corpus et sanguinem Christi *virtualiter* esse in Eucharistia, sicut sol præsens est terræ per virtutem seu per calorem. Si ita esset Eucharistia non superaret alia sacramenta, in quibus est virtus ad producendam gratiam; secundum Traditionem e contra Eucharistia continet non solum gratiam sed etiam gratiæ auctorem [1].

[1] Cfr. *Dict. théol. cath.* art. *Sacramentaire* (controverse). Luther appelle sacramentaires les adversaires de la presence reelle, cfr. in hoc articulo col. 451.

Plerique *Anglicani* præsentiam realem rejiciunt, paucis exceptis, præsertim Ritualistis.

Modernistæ sequuti sunt protestantes liberales, et docuerunt Eucharistiam esse solum signum passionis Christi et fraternæ caritatis, non a Christo, sed a prima christianorum generatione institutum, cf. Decretum *Lamentabili* circa errores modernistarum (Denz. 2045, 2049), ubi damnantur hæ propositiones: « Non omnia, quæ narrat Paulus de institutione Eucharistiæ (I Cor., XI, 23-25), historice sunt sumenda »; « Cœna christiana paulatim indolem actionis liturgicæ assumente, hi, qui Cœnæ præesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt » (cf. Denz. 2026).

Contra hos errores, *Summa doctrinæ catholicæ de Eucharistia* invenitur in Concilio Florentino (Decretum pro Armenis) et in Concilio Tridentino.

In Concilio Florentino (Denz. 692, 698) definitur præsentia realis et transsubstantiatio.

In Concilio Tridentino longe agitur de Eucharistia in sess. 13 (Denz. 874 et sqq.): c. 1 de reali præsentia Christi; c. 2 de institutione SS. Eucharistiæ; c. 3 de excellentia SS. Eucharistiæ, c. 4 de transsubstantiatione, c. 5 de cultu et veneratione SS. Eucharistiæ, c. 6 de asservatione et delatione ad infirmos, c. 7 de præparatione ad sumptionem, c. 8 de sumptione sacramentali et spirituali.

Tota hæc doctrina pertinet ad Eucharistiam ut sacramentum et reducitur ad undecim canones (Denz. 883-893).

In eodem Concilio Tridentino sess. 21 (Denz. 930 sq.) negatur quod omnes fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debeant.

Denique in sess. 22 agitur de *sanctissimo Missæ sacrificio*: in c. 1 de ejus institutione, cap. 2 de ejus charactere propitiatorio, c. 3 de missis in honore sanctorum, c. 4 de canone Missæ, c. 5 de Missa solemni, c. 6 de Missa in qua solum sacerdos communicat, c. 7 de aqua in calice offerendo vino miscenda, c. 8 de Missa non in lingua vulgari celebranda.

Hæc autem doctrina catholica de Missa reducitur ad novem canones: (Denz. 948-956).

In indice systematico Enchiridionis Henrici Denzinger p. (33) tota doctrina Ecclesiæ de Eucharistia reducitur ad tria capita: 1° Realis præsentia quæ transsubstantiatione efficitur, 2° communio, 3° sacrificium Missæ.

Hæc ultima divisio bona est, prævalet nunc inter theologos et coincidit cum divisione tractatus S. Thomæ supra explicata, scil. dum septem partes hujusce tractatus reducuntur ad tres principales.

[1] Cfr. *Dict. théol. cath.* art. *Réforme*, col. 2073 ss.: Opinions de Calvin sur l'Eucharistie.

QUAESTIO LXXIII

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ SECUNDUM SE

Hæc quæstio dividitur in sex articulos:

1° - Utrum Eucharistia sit sacramentum, est prima quæstio examinanda, alioquin non appareret quare agendum sit de ea in tractatu de sacramentis.

2° - Utrum sit unum sacramentum an plura.

3° - Utrum sit de necessitate salutis, seu de fine ejus.

4° - De nominibus ejus, ubi magis explicatur ejus definitio.

5° - De ejus institutione seu de ejus causa efficienti.

6° - De figuris ejus in V. T.

Par positiva tractatus pertinet præsertim ad ejus institutionem. Sic jam est sermo de quatuor causis ejus, quamvis magis explicite in duabus quæstionibus sequentibus agendum sit de materia et forma hujus sacramenti.

ART. I. — UTRUM EUCHARISTIA SIT SACRAMENTUM

Status quæstionis exponitur in tribus difficultatibus initio articuli positis, scil. 1° ad idem non debent ordinari duo sacramenta; atqui ad perfectionem jam ordinatur sacramentum confirmationis. Ergo non apparet ad quid novi ordinaretur sacramentum Eucharistiæ.

2° Sacramenta debent efficere id quod figurant, sic ablutio aquæ baptismalis efficit ablutionem spiritualem. Atqui species panis et vini figurant, sed non efficiunt, præexistens corpus et sanguinem Christi.

3° Sacramenta novæ legis perficiuntur in ipso usu materiæ; ideo Eucharistia deberet perfici in communione, non vero in consecratione.

Et sic Eucharistia non existeret nisi in momento communionis, ut dicent postea protestantes. Sic S. Thomas in enunciatione hujusce difficultatis quasi prævidit hunc errorem protestantium.

Hæ tres difficultates methodice ordinantur ut ex earum solutione appareat altitudo sacramenti Eucharistiæ supra alia sacramenta.

Responsio est affirmativa: *Eucharistia est sacramentum.*

1° *De fide* est Eucharistiam esse verum et proprie dictum sacramentum, distinctum ab aliis (cf. Denz. 367, 402, 430 contra Albigenses; 542 contra errores Armenorum; 626, 666, 698: c. Flor.; - 874: c. Trid.).

Hæc fidei veritas facile explicatur ex ipsa definitione sacramenti in communi; sacramentum enim est signum sensibile practicum gratiæ quam producit. Eucharistia autem est signum sensibile per species panis et vini, et signum practicum gratiæ secundum illud Joan. VI, 59; « Qui manducat hunc panem vivet in æternum ». Insuper est sacramentum a Christo institutum, ut infra dicetur (cf. Luc., XXII, 19; I Cor., XI, 24).

Notandum est quod Lutherani et Calvinistæ non directe negaverunt Eucharistiam esse sacramentum, sed dicunt eam habere solum vim excitandi objective fidem qua justificamur. Et generaliter tenent quod hostiis reservatis nullus cultus est exhibendus, quia juxta eos, sacramentum Eucharistiæ consistit non in re permanente, sed in actione transeunte communionis, sicut sacramentum baptismi in ablutione.

Ecclesia vero definivit præsertim in Concilio Trid. (Denz. 886) quod sacramentum Eucharistiæ consistit in re permanente, et non in usu vel sumptione, ut infra explicandum est.

2° *In corpore articuli,* S. Thomas ostendit *convenientiam* hujusce veritatis fidei. Ejus argumentatio ad hoc reducitur:

Sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali.

Atqui ad vitam spiritualem, sicut ad corporalem, requiritur non solum generatio per baptismum, nec solum augmentum per confirmationem, sed *et alimentum,* quo homo conservatur in vita.

Ergo oportuit esse sacramentum Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum.

Hæc ratio convenientiæ evolvitur in responsione *ad 1um* ubi distinguitur perfectio quæ datur a confirmatione, quando puer fit velut miles Christi, et perfectio quæ habetur ex alimento spirituali. Analogia cum vita corporali apparet, prout etiam post augmentum corporale requiritur quotidiana alimentatio, ut homo jam adultus conservetur in vita. Sic non ad eundem finem ordinantur confirmatio et Eucharistia; est solutio 1ae difficultatis. Notandum est tamen quod alimentum eucharisticum non solum conservat vitam spiritualem, sed etiam auget gratiam et caritatem, usque ad plenitudinem ætatis spiritualis quæ non habetur nisi in patria.

Ad 2um. Item solvitur 2a difficultas, scil. species panis et vini, virtute veri corporis Christi realiter præsentis, efficiunt in nobis *spiritualem refectionem,* quam figurant, sicut aqua baptismi virtute Spiritus Sancti efficit spiritualem ablutionem quam figurat. Jam autem in hoc apparet differentia inter Eucharistiam et alia sacramenta, prout alia continent tantum virtutem causativam gratiæ, dum Eucharistia continet, ut infra dicetur, ipsum gratiæ auctorem. Textus hujusce responsionis afferri potest ad ostendendum quod S. Thomas admittit causalitatem physicam instrumentalem sacramentorum.

Ad 3um. Pariter jam notatur eminentia hujusce sacramenti per respectum ad alia: « Sacramentum dicitur ex eo quod continet aliquid

sacrum. Sed Eucharistia continet aliquid *sacrum absolute*, scil. ipsum corpus Christi, dum alia sacramenta continent aliquid *sacrum in ordine ad aliud*, scil. virtutem ad sanctificandum. Et ideo solum sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ, non in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum ».

Corollarium enuntiatur in fine responsionis ad 3um: « *In Eucharistia res et sacramentum est in ipsa materia non in suscipiente* ». Nam in Eucharistia id quod est *res et sacramentum, est corpus Christi*, quod est res sacra et signum alimentationis spiritualis; id quod est *res tantum* est gratia cibans producta; id quod est *sacramentum tantum* sunt species panis et vini. Hæc est antiqua terminologia quam veteres theologi volebant applicare omnibus sacramentis.

E contrario in baptismo *res et sacramentum* non est in ipsa materia sed est in suscipiente (scil. character), sicut gratia baptismalis quæ est res tantum. Pariter in confirmatione, res et sacramentum est character impressus in suscipiente. Sed in sacramentis quæ non imprimunt characterem difficilius est invenire id quod vocaretur « res et sacramentum », dum faciliter assignatur sacramentum tantum seu signum et ex alia parte res significata, seu gratia producta.

* * *

Circa hunc articulum 1um aliquid addendum est *de Eucharistia prout consistit in re permanente et non in usu vel in sumptione.*

De hac re habetur definitio in Concilio Tridentino (Denz. 886) contra Lutheranos et Calvinistas, scil.: « si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, *sed tantum in usu dum sumitur*, non autem ante et post, et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem servantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, an. sit ».

Tunc enim corpus Christi præsens fuit sub speciebus panis, quando Christus dixit: *Hoc est corpus meum*, alioquin dixisset falsum; atqui hoc dixit Christus antequam Apostoli manducarent. Item verba consecratoria in Missa efficiunt id quod significant, significant autem corpus Christi, et pronuntiantur ante usum.

Constat etiam ex aliqua praxi Ecclesiæ quod Eucharistia servabatur post Missam in templis, adorabatur et perferebatur ad infirmos. Hujus praxis testes sunt columbæ et turres aureæ vel argenteæ in templis suspensæ, in quibus servabatur corpus Christi.

Corollarium: *Hostiæ consecratæ servatæ adorandæ sunt cultu latriæ.* Cf. Concilium Tridentinum (Denz. 878): « Neque ideo minus est adorandum quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus

introducens in orbem terrarum dicit: *Et adorent eum omnes angeli Dei*, quem Magi procidentes adoraverunt, quemque denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse S. Scriptura testatur ».

Dubium: *Quid habeat proprie rationem sacramenti in Eucharistia?* Quidam reponunt rationem sacramenti in consecratione, alii in sumptione, alii in speciebus consecratis, alii in corpore Christi et speciebus simul.

Communior autem sententia inter Thomistas quibus adhærent plures extranei est: *Species consecratæ*, ut continentes corpus et sanguinem Christi, *constituunt totam essentiam sacramenti Eucharistiæ.*

Alia, scil. consecratio et sumptio, sunt quid extrinsecum, sed tamen essentialiter connotatum, consecratio ut causa efficiens, sumptio ut finis.

Probatur: Sacramentum est signum sensibile practicum gratiæ. Atqui species consecratæ sunt sensibiles, gratiam cibantem significant et instrumentaliter causant. Ergo. Ita S. Thomas q. 73, a. 6 c. et Catechismus Romanus, de Eucharistia, n. 8, Sic non est verum dicere: Eucharistia est Christus, sed dicendum est: Eucharistia est sacramentum continens corpus Christi. Verbum *est* exprimit identitatem realem subjecti et prædicati.

Corollarium: Proinde Eucharistia sic *definiri potest physice*, scil. prout constat, ex materia et forma: « *species panis et vini consecratæ sub præscripta verborum forma, continentes corpus et sanguinem Christi, ad causandam gratiam cibantem* ». Si vero Eucharistia potius *logice* quam physice consideratur, prout constat ex genere et differentia specifica, tunc sic definienda est: « *sacramentum corporis et sanguinis Domini, ad spiritualem animæ refectionem* ».

q. 73, a. 2.

Art. II. — UTRUM EUCHARISTIA SIT UNUM SACRAMENTUM AN PLURA

Status quæstionis: Agitur de unitate specifica sacramenti quod est in genere signi practici, non vero de speciebus physice consideratis, nam manifestum est quod species panis physice loquendo specifice differunt a speciebus vini.

Id est quæritur: Eucharistia est ne unum specie sacramentum?

Difficultas est quia videtur quod sit duplex sacramentum:

1° post communionem enim sacerdos dicit in collecta: « purificent nos, Domine, sacramenta quæ sumpsimus »; 2° quia in Eucharistia sunt plura signa: panis et vinum; 3° quia sunt duæ consecrationes.

Conclusio tamen est: *Eucharistia est unum specie sacramentum.* Est sententia communior et certa, explicite tradita a Catechismo ro-

mano: de Eucharistia n. 10. Insuper concilium Florentinum et concilium Tridentinum loquuntur de Eucharistia tanquam de uno sacramento.

Probatur ratione theologica, in corpore articuli, sic:

— *Sacramentum,* ut *signum practicum* gratiæ, est unum specie *propter unitatem effectus significati,* licet ex diversis partibus materialiter componatur, nam signum est in genere relationis, quæ specificatur a suo termino.

— Atqui Eucharistia ordinatur *ad unam specie refectionem spiritualem* tanquam ad finem et effectum significatum, sicut cibus et potus ordinantur *ad unam refectionem corporalem.*

— Ergo Eucharistia est formaliter unum specie sacramentum.

Sic habetur una cœna ex cibo et potu, quæ specificatur, sicut omnis actio, a suo objecto seu fine.

Ad 1um: Hoc sacramentum est duplex, materialiter tantum.

Ad 2um *et ad* 3um: In ea sunt plura signa materialiter et inadæquate, non vero formaliter et adæquate.

Pariter in extrema unctione sunt plures unctiones et tamen unum sacramentum, quia ista plures unctiones ordinantur ad unum finem et effectum, qui est tollere reliquias peccatorum.

Deducuntur plura corollaria:

1um **corollarium:** *Unitas specifica Eucharistiæ non est repetenda, ut quidam volunt, ex unitate corporis Christi,* tum quia non proprie consistit in eo, sed in speciebus consecratis, ut dictum est: tum quia foret unum numero sacramentum Eucharistiæ in tota Ecclesia, cum sit unum numero corpus Christi sub diversis speciebus consecratis.

2um **corollarium:** *Qui solam speciem panis sumit, non recipit totum sacramentum formaliter in ratione signi,* sed recipit totum sacramentum ex parte rei contentæ, quia sanguis Christi, ut infra dicetur, est per concomitantiam sub specie panis, et sic concomitanter totus effectus refectionis spiritualis producitur. (Hoc facile intelligitur, considerando quod Eucharistia est sacramentum quod consistit in re permanente et non in usu vel sumptione; e contra, si diceretur solum media pars consecrationis vel absolutionis, non conficeretur sacramentum).

3um **corollarium:** *Sacramentum Eucharistiæ, quod est specie unum, est multiplex numero,* nam species consecratæ in diversis locis sunt numero plures et *ad refectiones numero plures ordinantur.* Item ut videbimus infra, dicendum est de sacrificio Missæ: est specie unum et multiplex numero. Et tamen corpus Christi est unum numero.

4um **corollarium:** *Unitas numerica hujusce sacramenti sumitur formaliter ab ordine ad unam refectionem;* unde si unus sumat simul vel continuatim *plures hostias,* est unum numero sacramentum, quia est una numero refectio. E contra si plures ex eadem hostia in partes divisa sumant, erunt plura numero sacramenta, quia plures erunt numero refectiones. Tot sunt enim refectiones quot sunt refecti.

5um **corollarium:** *Plures hostiæ consecratæ in eodem altari seu ciborio repositæ sunt unum convivium* et unum sacramentum in actu primo: dum autem a pluribus sumitur, fit multiplex in actu secundo, sicut dum panis ordinarius frangitur pro diversis, fit multiplex alimentum in actu secundo.

Confirmatur ex hoc id quod docetur in tractatu de sacramentis in communi, scilicet: Quoad institutionem alicujus sacramenti a Christo videtur sufficere quod Christus dixerit: volo quod sit speciale sacramentum ad talem finem ordinatum, nondum determinando explicite materiam et formam, quia ut dicitur in corpore articuli: « sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali » et jam determinatur species sacramenti, vg. baptismi, pœnitentiæ, extremæ unctionis, ex speciali effectu ad quem essentialiter ordinatur, definitur nempe per relationem essentialem seu transcendentalem ad talem effectum. Unde sufficit ad institutionem ejus a Christo, quod Christus dixerit: volo quod sit speciale sacramentum ad talem specialem effectum producendum, vg. ad absolutionem peccatorum, etiamsi non determinaverit explicite formam et materiam talis sacramenti, vg. formam absolutionis cujus materia remota sunt ipsa peccata post baptismum commissa, et materia proxima tres actus pœnitentis: contritio, confessio et satisfactio.

ART. III. — UTRUM EUCHARISTIA SIT DE NECESSITATE SALUTIS

Status quæstionis: Est pulcher articulus, sed quandoque modo nimis complicato exponitur.

Considerata definitione Eucharistiæ, hic agitur de ejus fine et de necessitate ejus ad finem. Est sermo de necessitate medii; nam de necessitate præcepti agitur infra q. 80.

Hic articulus est ad explicanda verba Ev. sec. Joan. VI, 54, citata in prima difficultate: « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* ». Quibusdam visum est tempore S. Augustini ex hoc textu quod communio *sacramentalis* sit de necessitate medii ad salutem. Ita etiam inter damnatas propositiones Rosmini, 32a (Denz. 1922), affirmat quod « his qui baptismate salvantur et qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi subministratur hic cælestis cibus in futura vita, in ipso mortis instanti. Hinc etiam sanctis Veteris Testamenti potuit Christus, descendens ad inferos, seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem Dei ».

Hæc interpretatio citati loci Ev. sec. Joan. confirmaretur ex hoc quod spirituale alimentum videtur de necessitate salutis animæ, sicut materiale alimentum de necessitate salutis corporis. Denique Eucharistia est sacramentum dominicæ passionis, sine qua non est salus.

Responsio S. Thomæ est: *Eucharistia est necessaria necessitate medii: 1° non quoad sumptionem realem sacramenti - 2° sed quoad rem significatam, scil. unionem cum Christo, voto saltem implicito desiderandam* - 3° non obstante hac restrictione est vera necessitas medii et non solum præcepti. Primo legendus est articulus. Postea tres ejus conclusiones defendendæ sunt:

Ia Pars negativa: 1° *Probatur auctoritate S. Augustini,* citati in argumento *sed contra.* Et postea declaratum est a concilio Tridentino Denz. 933: « parvulos non obligari ad communionem sacramentalem, siquidem *per baptismi lavacrum regenerati* (Tit. III, 5) et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt ».

Item concilium Trid. 937: « Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, an. sit ». Hoc est contra quasdam græcos schismaticos, quibus subscripserunt plures Calvinistæ contendentes communionem sacramentalem esse necessariam necessitate medii ad salutem, eaque de causa viguisse antiquitus morem administrandi Eucharistiam infantibus statim post baptismum. Hæc autem consuetudo, quæ in quibusdam locis viguit, non probat intentum, imo est alia antiqua consuetudo in oppositum, scil. mos denegandi etiam in articulo mortis communionem sacramentalem lapsis in graviora peccata, ut in adulterium, sicut nunc adhuc denegatur phreneticis et infirmis ad vomitum proclivibus.

2° *Probatur hæc 1a Pars negativa ratione theologica*: Eucharistia non confert primam gratiam, unde non est necessaria sicut baptismus ad inchoandam spiritualem vitam, sed præsupponit sacramentum baptismi, vi cujus salvari potest homo absque communione sacramentali.

IIa Pars responsionis est: « *Votum seu desiderium saltem implicitum Eucharistiæ, ut per eam habeatur consummatio vitæ spiritualis, est necessarium necessitate medii ad salutem* ».

1° *Probatur auctoritate* Ev. sec. Joan. VI, 54: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ». In hoc textu quædam necessitas medii ad salutem exprimitur, si autem id quod sic necessarium est non est ipsa communio sacramentalis, debet esse saltem desiderium ejus, et deficiente cognitione explicita, hoc desiderium sæpe non potest esse nisi implicitum.

Probatur etiam auctoritate S. Augustini citati ad 1um et ex explicatione quæ ibidem datur a Pseudo Beda.

2° *Probatur ratione theologica,* in corpore articuli.

— Intentio finis includitur in volitione aut in susceptione mediorum.

— Atqui Eucharistiæ effectus est consummatio spiritualis vitæ et omnium sacramentorum finis, quorum baptismus est de necessitate salutis.

— Ergo eo ipso quod aliquis suscipit baptismum (vel gratiam ejus per baptismum desiderii) intendit implicite effectum Eucharistiæ, seu rem ab ea significatam et productam.

Major patet, quia omnis inchoatio tendit ad suam consummationem et omne imperfectum ad suam perfectionem, tanquam ad finem, ut puer ad ætatem adultam.

Minor autem sic explicatur a S. Thoma in corpore articuli: « Res hujus sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus » (id est *unio cum Christo redemptore*); hæc enim unitas seu unio cum Christo perfecte habetur per Eucharistiam, quæ dat « consummationem vitæ spiritualis ». Hæc est res significata per Eucharistiam.

Sic facile intelligitur quod Eucharistia sit finis omnium sacramentorum. Omnia enim sacramenta causant unionem cum Christo, sed non ita perfecte sicut Eucharistia. Eucharistia producit per se et essentialiter hanc unionem, prout continet substantialiter ipsum Christum, et ejus passionem mystice seu sacramentaliter exhibitam. Alia vero sacramenta hanc unionem important participative tantum. Hæc autem *unio cum Christo* per Eucharistiam a quibusdam vocatur *res sacramenti,* ab aliis *manducatio spiritualis,* prout distinguitur a sacramentali communione.

Et igitur, *in genere unionis cum Christo, Eucharistia est finis omnium sacramentorum,* et sic saltem implicitum desiderium Eucharistiæ includitur in desiderio baptismi, seu in baptismo desiderii, quod est de necessitate salutis pro his qui non possunt recipere baptismum aquæ (IIIa q. 68, a. 2). Item effectus baptismi aquæ in parvulis per se tendit ad effectum Eucharistiæ, sicut *omnis inchoatio tendit ad suam perfectionem* sicut puer ad ætatem adultam. Cf. infra q. 80, a. 9 ad 3um.

Quare *votum explicitum* non sit necessarium?

Quia non necesse est, necessitate medii, explicite desiderare *gratiam secundam,* ut *secundam* et *cibantem,* quæ confertur per Eucharistiam ut est particulare sacramentum ab aliis distinctum: sufficit desiderare efficaciter veram vitam supernaturalem cujus consummatio habetur per communionem eucharisticam.

Insuper de facto plures adulti inculpabiliter ignorant existentiam Eucharistiæ, eam non cognoscunt explicite, nec proinde possunt eam explicite desiderare.

Denique non necesse est quod, pro parvulis, hoc implicitum votum sit *elicitum,* nam desiderium elicitum, vel emissum a voluntate sequitur elicitam cognitionem actualem, quam non possunt habere parvuli. Sed eo ipso quod per baptismum aquæ accipiunt gratiam baptismalem tendunt inconscienter ad consummationem vitæ spiritualis, sicut in ordine naturali puer ad ætatem adultam.

E contra pro adultis qui non receperunt baptismum aquæ, requiritur desiderium explicitum inchoationis vitæ spiritualis quæ est effectus baptismi, et post peccatum mortale requiritur desiderium explicitum remissionis hujusce peccati, quæ est effectus pœnitentiæ.

Unde si non requiritur *votum explicitum* effectus Eucharistiæ hoc est propter altitudinem et perfectionem hujusce effectus, qui præsupponit *inchoationem* vitæ spiritualis, explicite desiderandam. Hæc autem inchoatio est explicite desideranda, quia ratione suæ imperfectionis non præsupponit quid minus perfectum in suo ordine [1].

IIIa Pars theseos: Non obstantibus prædictis restrictionibus quæ se tenent ex parte nostri, *necessitas Eucharistiæ in se est vera necessitas medii* (ex natura rei significatæ) et non est solum necessitas præcepti: Est enim multo major necessitas quam necessitas præcepti, vg. auditionis Missæ die dominica aut jejunii quadragesimalis. Necessitas præcepti fundatur non in natura rei præceptæ, sed in voluntate præcipientis quæ quidem debet esse conveniens.

In hanc tertiam partem insistunt auctores spirituales et merito, et in eam volebat insistere pius Rosmini, sed non adhibuit distinctiones convenientes, et nimis materialiter rem concepit, declinando ad necessitatem medii ipsius communionis sacramentalis etiam pro parvulis.

Ratio profunda hujusce tertiæ partis exprimitur in verbis Domini explicandis: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis ». Id est: *sine unione cum Christo Salvatore,* quæ perfecte habetur per Eucharistiam, *non accipietis vitam æternam.* Ipse Christus est via ad vitam æternam et continetur in Eucharistia, ac proinde *res significata per Eucharistiam scil. unio cum Christo,* non solum ex præcepto, sed *ex natura sua, in actuali salutis oeconomia, est via necessaria ad salutem,* imo ex natura sua hæc unio perfecta est *medium per excellentiam ad salutem.* Et si non requiritur explicitum votum ejus, hoc est præcise, ut diximus, propter ejus excellentiam, quæ præsupponit inchoationem vitæ spiritualis explicite desiderandam. Propterea S. Thomas dicit articulo 5, ad 4: « *Eucharistiæ sacramentum est prius in intentione baptismo* ».

Unde Eucharistia etiam *independenter a præcepto, ex natura rei ab ea significatæ* et ex ejus institutione, est *medium ad salutem necessarium.*

E contra id quod est necessarium solum necessitate præcepti, non ex natura sua, neque ex sua institutione, est medium positive necessa-

1 Notandum est quod aliquid potest *explicite* desiderari, etiamsi solum *confuse* cognoscatur. Ita ad salutem necessarium est pro adultis explicite credere quod « *Deus est et remunerator est* » (cfr. II-II, q. 2, a. 3 et 5). « Quantum ad (duo) prima credibilia, quæ articuli sunt fidei, tenetur homo explicite credere, sicut et tenetur habere fidem (infusam) » ut dicitur ibidem a. 5. Et ibi agitur de fide de *Deo auctore salutis* et non solum auctore naturæ. Attamen non necesse est quod homo *distincte* cognoscat, ut theologi, distinctionem iter ordinem naturæ et ordinem gratiæ. Sed si non ponit obicem gratiæ prævenientis, pervenit ad fidem infusam cujus actus terminatur ad Deum auctorem gratiæ et non solum ad Deum auctorem naturæ. Ita in ordine naturali, rudes nescirent distincte formulare quodnam est primum cognitum ab intellectu nostro, scil. *ens intelligibile* et non solum phænomena sensibilia; attamen eorum intellectus *attingit ens intelligibile* et prima entis principia, ut principium contradictionis, causalitatis, quamvis nesciant hæc principia formulare.

rium ad salutem, quia præceptum est, ut jejunium quadragesimale, vel auditio Missæ die festo.

Ex hoc illustratur alia thesis, scilicet quod fides (saltem implicita) in Incarnatione, seu in Christo Salvatore, est necessaria, non solum necessitate præcepti, sed necessitate medii ad salutem (cf. II-II q. 2, a. 7).

Imo post promulgationem Evangelii fides explicita de Incarnatione est necessaria necessitate medii saltem per se; per accidens vero non, ubi deest sufficiens Evangelii promulgatio ut certis remotissimis regionibus ad quas non pervenerunt missionarii. Hoc multi docent, ut Salmanticenses.

A fortiori diligere Deum auctorem naturæ et gratiæ super omnia est necessarium necessitate medii ad salutem, independenter a præcepto superaddito. Est necessarium ex natura Dei, ex natura salutis, ex natura gratiæ habitualis et caritatis, et aliqualiter ex natura animæ.

Pariter ipsa fides infusa et spes infusa sunt necessariæ necessitate medii ad salutem, independenter a præcepto superaddito; non sunt quid bonum quia præceptum, sed quid præceptum quia in se bonum et necessarium. Hæc omnia præsentem quæstionem ex alto illustrant.

Hoc evolvendum est agendo de profunda convenientia communionis.

Nunc apparet verus sensus articuli, scil. Eucharistia non est necessaria necessitate medii *quoad sumptionem realem, quia non dat primam gratiam* quæ per baptismum confertur.

Sed est necessaria necessitate medii *quoad rem significatam* saltem voto implicito desiderandam, *ad quam tendit inchoatio vitæ spiritualis* quæ per baptismum confertur.

Brevius: Eucharistia necessaria est *non in re* quia non dat primam gratiam, sed *in voto* quia prima gratia de se trahit ad effectum Eucharistiæ.

* * *

Solvuntur obiectiones dicentium sumptionem realem Eucharistiæ necessariam esse necessitate medii:

Ad 1um: ostenditur S. Augustinum confutasse hanc opinionem.

Ad 2um: Alimentum materiale est omnino necessarium quidem ad salutem corporis, non vero receptio sacramentalis alimenti spiritualis ad salutem animæ. Disparitas est, quia alimentum corporale convertitur in substantiam hominis et non valet nisi realiter sumatur; e contrario alimentum spirituale non convertitur in substantiam hominis, *sed convertit hominem in seipsum,* eum incorporando Christo, quæ incorporatio fieri potest voto mentis, sub illuminatione fidei.

Ad 3um: Jam baptismus est sacramentum mortis et passionis Christi, sic ex eo habetur principium vitæ spiritualis, et, hoc principio non destructo, salvatur homo.

Alia objectio: Salus fieri nequit nisi applicetur passio Christi in re. Sed Eucharistia est applicatio passionis. Ergo ad salutem requiritur Eucharistia in re.

Respondetur: Distinguo majorem: salus fieri nequit nisi in re applicetur passio Christi, saltem per modum regenerationis, concedo; etiam per modum consummationis, nego.

q. 73, a. 4.

ART. IV. — UTRUM HOC SACRAMENTUM CONVENIENTER PLURIBUS NOMINIBUS NOMINETUR

S. Thomas hic explicat quinque nomina Eucharistiæ, quæ reducit ad triplicem significationem, *per respectum ad præteritum, ad præsens et ad futurum.*

1ª *significatio est respectu præteriti,* scil. respectu sacrificii Crucis, et sic Eucharistia dicitur *sacrificium,* prout nobis commemorat Passionem. Est, ut videbimus, sacrificium sacramentale.

2ª *significatio est respectu rei præsentis,* scil. unionis fidelium cum Christo, sic vocatur *communio,* vel σύναξις, sed hoc est potius usus sacramenti.

3ª *significatio est respectu futuri,* seu patriæ cælestis, sic vocatur *viaticum* aut etiam *Eucharistia,* id est bona gratia, inchoatio vitæ æternæ [1], aut etiam *assumptio* μετάληψις, quia per hoc Filii Deitatem assumimus, vel potius incorporamur in Ipso.

Ad 2um: Dicitur *Eucharistia* antonomastice seu per excellentiam, quia non solum continet virtutem causativam gratiæ sicut alia sacramenta, sed et ipsum Auctorem gratiæ, sic est fons omnium gratiarum.

Dicitur etiam *hostia* prout continet Christum, qui est hostia salutaris. Aliis etiam modis convenienter nominatur, scil. *panis vitæ, cœna Domini* (I Cor. XI, 20), *convivium, Corpus Domini, Sanctissimum Sacramentum,* finis aliorum, *Fractio panis* in Actibus Apost., II, 42.

Prævaluit vox *Eucharistia,* quasi *bona gratia,* vel *gratiarum actio.* Est enim *bona gratia* tum quia gratiæ Auctorem continet, tum quia est pignus vitæ æternæ. Est etiam *gratiarum actio* multipliciter: 1° quia Christus hoc sacramentum instituendo, gratias egit; 2° quia est sacrificium pacificum, quod vi sui Deo gratias pro nobis rependit; 3° quia nos movet ad gratiarum actionem; 4° quia in illo Christus ipse est, sive ut victima, sive ut sacerdos, nostra immensa gratiarum actio.

q. 73, a. 5.

ART. V. — UTRUM INSTITUTIO HUJUS SACRAMENTI FUERIT CONVENIENS (cf. Concilium Trid. Denz. 874, sq. 938, 949).

Status quæstionis: S. Thomas hic agit de convenientia hujusce institutionis; non quærit proprie utrum Eucharistia fuerit a Christo instituta. Hoc certum est, ut a Deo revelatum et infallibiliter ab Ecclesia

[1] Alii et melius dicunt: vocatur Eucharistia, quia Christus in ejus institutione *gratias egit,* in græco εὐχαριστήσας, ut refertur apud Luc. XXII, 18 et I Cor., XI, 24.

propositum. Theologia enim fundatur formaliter non in historia sed in fide supernaturali, quæ certior est quam historia. Attamen institutio Eucharistiæ ab ipso Christo est simul historice certa, ut longe exponitur in Exegesi S. Scripturæ et in historia dogmatum [1]. Sed etiamsi periissent omnia documenta historica, fides Ecclesiæ remaneret.

Videamus prius quid sit de fide circa hoc secundum Ecclesiam, postea quomodo hæc fides exprimitur in S. Scriptura; deinde erit sermo de convenientia hujusce institutionis seu de intentione Christi.

Fides Ecclesiæ asseritur in Canone Missæ, ante consecrationem panis: « *Qui* (Christus) *pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas: et elevatis oculis in cœlum* etc. ».

Concilium Tridentinum dicit (Denz. 874): « Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, *hoc tam admirabile sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse,* cum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est; quæ verba a sanctis Evangelistis commemorata (Mt. XXVI, 26 sq.; Mc. XIV, 22 sq.; Luc. XXII, 19 sq. et a Divo Paulo postea repetita (I Cor., XI, 23 sq.) *cum propriam illam et apertissimam significationem* præ se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum est... ad fictitios et imaginarios tropos... detorqueri » (cf. etiam concilium Trid. Denz. 938 et 949 de institutione sacrif. Missæ).

Unde institutio divina Eucharistiæ secundum hanc declarationem est plus quam historice certa, est fide infallibiliter certa propter auctoritatem divinæ Revelationis ab Ecclesia conservatæ, explicatæ et propositæ.

Insuper est declaratio authentica et infallibilis sensus litteralis textuum S. Scripturæ qui hanc institutionem commemorant.

Citanda est alia declaratio concilii Trid. de præsentia reali, cf. Sess. XIII can. 1 (Denz. 883): « Si quis negaverit in SS. Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate D. N. Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut signo vel figura aut virtute, a. s. ».

Hinc, ut communiter dicitur, de fide est totum Christum esse in Eucharistia *vere, non in signo* tantum, ut contendebat Zwinglius; *realiter,* non *in figura* tantum, contra Œcolampadium; *substantialiter non in virtute* solum contra Calvinum, dicentem: Christus est in Eucharistia sicut sol præsens est terræ per virtutem et calorem; sic Christus non magis esset præsens in Eucharistia quam in aliis sacramentis.

[1] Cfr. infra q. 75, a. 1: *Utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem;* id est: utrum verba consecrationis sint proprio an metaphorico sensu accipienda.

Sic est duplex dogma, scil. institutionis Eucharistiæ a Christo, et ipsius Eucharistiæ in qua vere et realiter præsens est Christus.

* * *

In S. Scriptura explicite revelatum est hoc dogma divinæ institutionis Eucharistiæ. Ita melius thesis exprimitur quam cum dicitur: hoc dogma probatur ex S. Scriptura [1]. Ratio est quia quæ sunt fidei non proprie probantur, et quibusdam videretur quod probatio sit præsertim historica, scil. ex S. Scriptura, ut est liber historicus; melius est dicere: ostenditur fundamentum doctrinæ Ecclesiæ in S. Scriptura, quæ adhibetur proprie ut liber inspiratus, canonicus et ab Ecclesia cum auxilio Traditionis explicandus, sed etiam cum auxilio historiæ, nam theologia positiva utitur historia, sicut theologia speculativa utitur metaphysica, tanquam scientia inferiore [2].

Cf. M. J. Lagrange, *L'évangile selon saint Marc* 4e, 1929; *L'évangile selon saint Luc* 3e, 1927; *L'évangile selon saint Mathieu* 3e, 1927, cf. Dict. theol. cath. t. V, c. 989-1121 art. « Eucharistie », a C. Ruch; et Dict. Apol. t. I, c. 1548-1585, art. Euch. a P. J. Lebreton. Ostendendum est contra Liberales et Modernistas Eucharistiam ab ipso Christo institutam esse.

1 Hæc tamen verba « probatur ex Sacra Scriptura » sumi debent in bono sensu, scil. probatur hoc dogma esse de fide, prout constat illud esse in deposito revelationis in S. Scriptura et Traditione. Non tamen semper necesse est quod hoc historice constet, vg. pro Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis. Sed quandoque Ecclesia ipsa declarat quod aliquid, vg. Resurrectio Domini, est historice certum, tunc historice probari potest et debet.

In aliis locis hæc expressio « probatur ex Scriptura », significat, non quod aliqua veritas sit revelata secundum sensum litteralem S. Scripturæ, sed quod ex isto sensu deducitur illative ut conclusio theologica proprie dicta.

2 Attente in hoc consideranda est *subordinatio trium certitudinum*, scil. *fidei infusæ, theologiæ positivæ*, et *historiæ*, quæ est instrumentum theologiæ positivæ. Ita in ordine naturali est subordinatio trium certitudinum 1° intellectus de veritate primorum principiorum; 2° conscientiæ (cogito); 3° experientiæ externæ; ita ut superior certitudo scil. intellectus de veritate principiorum non dependeat formaliter ab aliis, sed materialiter tantum. E contra negato valore reali principii contradictionis ruit valor realis testimonii conscientiæ et experientiæ externæ.

Est aliquid quasi simile in ordine supernaturali, est *certitudo essentialiter supernaturalis fidei* (vg. de institutione Eucharistiæ a Christo ipso et de præsentia reali), *hæc certitudo non formaliter dependet a certitudine theologiæ positivæ, nec a certitudine naturali historiæ.* Et quando dicitur sine explicatione: « Dogma probatur ex S. Scriptura » plures auditores expectant demonstrationem historicam omnino certam, ac si certitudo fidei formaliter resolveretur in inferiori certitudine historiæ. Si Ecclesia declarat quod aliquid de fide, ut Resurrectio Domini, est simul sub alio aspectu historice certum, ostendendum est fundamentum hujusce certitudinis historicæ; sed hoc non verum est pro quolibet dogmate, vg. Immaculata Conceptio B. Mariæ Virginis non fuit historice certa, sed sola fide tenetur, cum aliquo fundamento plus minusve explicito in S. Scriptura et Traditione.

Unde in his quæstionibus oporteret magis attente distinguere 1° quid habetur ex historia, 2° quid ex theologia positiva quæ suo modo jam argumentatur supponendo inspirationem S. Scripturæ et valorem Traditionis, 3° ex fide definita.

Prænotamen historicum, considerando valorem historicum Epistolarum S. Pauli et Evangeliorum [1].

Ex testimonio S. Pauli I Cor., XI, 23-24 quid habetur historice. Hoc testimonium ita est: « Ego enim accepi a Domino (Gal. I, 12) quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit et dixit: Accipite et manducate: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.* Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem* » [2]. Decretum Lamentabili damnavit hanc propositionem modernistarum (Denz. 2045): « Non omnia quæ narrat Paulus de institutione Eucharistiæ sunt historice sumenda ».

Historice e contrario notandum est quod ex isto testimonio S. Pauli, jam saltem an. 57, imo probabiliter ab anno 53 in quo probabiliter scripta est hæc epist. I. Cor., ut fatetur Harnack, celebrabatur Eucharistia 1° *non ut cœna vulgaris, nec ut ritus humanus,* sed *ut ritus sacer* ab ipso Christo institutus, secundum verba S. Pauli, in memoriam ejus mortis. 2° *Hic ritus non erat omnino novus,* quia jam abusus in eum irrepserant, quos Paulus corrigere satagebat. Impossibile autem est ut temporis spatio tam exiguo facta fuerit, in communitate quæ a novitatibus abhorrebat, evolutio, et idealizatio ad quam protestantes liberales et modernistæ appellant, nempe mutatio cœnæ vulgaris in ritum sacrum et sacramentalem. 3° Constat quod *hic ritus erat permanens*: « hoc facite in meam commemorationem ».

Insuper hoc etiam historice constat, quoad institutionem, *ex Evangeliis synopticis,* etiam ut sunt libri historice fide digni (cf. Matth. XXVI, 26-28; Marc. XIV, 22-24; Luc. XXII, 19-20).

Apud Matth. legitur: « Vespere autem facto discumbebat Jesus cum duodecim... Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem et benedixit et fregit, deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite: *Hoc est corpus meum.* Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* ». Item apud Marcum XIV, 17, 22, et apud Lucam XXII, 14 ubi v. 19 insuper legitur sicut in I Cor., XI, 24, 25: « *Hoc facite in meam commemorationem* ».

Hæc ultima verba desunt quidem apud S. Matthæum et S. Marcum, sed silentium non est negatio; et relatio quam uterque ponit inter ultimam cœnam et agni paschalis manducationem ostendit Jesum voluisse novum pascha permanens instituere.

Ex his textibus Evangeliorum Synopticorum, etiam historice constat sicut ex verbis S. Pauli in I Cor. XI, quod Christus instituit ritum religiosum et permanentem, seu duraturum in Ecclesia.

1 Cfr. *Dict. de la Bible,* suppl. art. Eucharistie (J. COPPENS). - WERNER GOOSSENS, *Les Origines de l'Eucharistie Sacrement et Sacrifice,* 1931, Louvain.

2 Cfr. Galat. I, 11: « Notum enim vobis facio, fratres, evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, nec didici, sed per revelationem Jesu Christi ».

Objectio: Quidam objiciunt tamen ex hoc quod Evangelium secundum Joannem de hac institutione non loquitur:

Quomodo explicandum est *silentium* S. Joannis Evangelistæ circa institutionem SS. Eucharistiæ?

A priori exspectatur, Joannem discipulum dilectum scripsisse de testimonio supremæ dilectionis Christi, præsertim quia cap. XIII et XIV narravit Cœnam paschalem et sermones Domini in cœnaculo.

Hæc quæstio examinatur a P. Vosté in suo libro *Studia Joannea*, 2ª ed. 1930, p. 199: Respondet quod S. Joannes Evangelista loquutus est de Eucharistia in c. VI, 48-72, ubi est sermo de pane eucharistico: « Ego sum panis vitæ... Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur... Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis ». Quidam interpretes dubitaverunt quidem quod, in hoc cap. VI Joannis sit proprie sermo de pane eucharistico; sed, agitur, ut aiunt, de manducatione mere metaphorica seu de spirituali participatione sacrificio Crucis per fidem. Si vero ita esset, S. Joannes solus inter Evangelistas non loquutus esset de Eucharistia, quia de ejus institutione non loquitur. Sed hæc interpretatio capitis VI Joannis fundamento caret, et est contra unanimem traditionem Patrum, et contra declarationes Conciliorum.

« Ex alia parte, ait ibidem P. Vosté, *silentium* quarti evangelii circa ipsam *institutionem*, relatio vero *sermonis promissorii Eucharistiæ* facile explicantur, considerato charactere narrationis joanneæ. *Solet enim Joannes omittere quæ a Synopticis jam narrata sunt, supplere quæ ab illis omissa sunt.* Atqui promissionem omiserant, fuse autem institutionem descripserant ». Hæc est responsio communiter recepta.

Insuper, ut ibidem ostenditur, est adæquatio perfecta inter verba institutionis prout a Synopticis referuntur et verba Domini in hoc capite VI Joannis (cf. hoc caput VI, 52: « si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum »; 54-57: « Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis... »). Cf. Bossuet, *Méditations sur l'Evangile*, 1ère Partie, 33e jour. Notat quod si Christus dicendo ea quæ referuntur in C. VI Joannis noluisset promittere Eucharistiam quam deinde instituere debebat, locutus fuisset *fortuito* seu *a casu*, non prævidendo ea quæ deinde facturus erat [1].

Sic sufficienter constat historice de expressione fidei in S. Scriptura.

* * *

Probatur thesis, *argumentatione theologiæ positivæ,* quæ considerat Evangelia et Epistolas non solum ut libros historicos, sed ut libros infallibiliter veros tanquam a Deo inspiratos. Hic agimus potius de

1 « C'est vouloir dire que Jésus Christ, qui est la sagesse éternelle, parle et agit au hasard ».

institutione quam de præsentia reali, de qua agendum est infra IIIª q. 75, a. 1: utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.

1° *Probatur institutio Eucharistiæ ex verbis promissionis Eucharistiæ, in cap. VI Joannis* [1]. In hoc capite quatuor partes distinguuntur: 1ª qua narratur panum multiplicatio quæ fuit occasio promissionis (1-26); 2ª qua Christus disserit de pane vitæ qui de cœlo descendit (27-51); 3ª ubi de necessitate manducandi carnem et bibendi sanguinem Christi (52-59; 4ª ubi de discipulorum incredulitate et confessione Petri.

In tertia parte capitis quæ expressius ad rem pertinet, dicitur v. 52-57: « Panis quem ego *dabo*, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo ». Sensu obvio hic manifeste agitur de reali, non de symbolica manducatione. Hoc confirmatur ex scandalo quod certe Jesus declaratione sustulisset; sed e contrario iteravit affirmationes suas.

Confirmatur etiam ex v. 58 sq.: « sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit... Qui manducat hunc panem, vivet in æternum ». Id est, ut notat P. Lebreton, sicut Christus realiter ad nos venit per Incarnationem, ita realiter ad nos propius accedit per Eucharistiam .

2° *Institutio probatur ex ipsis verbis institutionis.* Id enim quod Christus promiserat, fideliter dedit: cf. Matth. XXVI, 26-28; Marc., XIV, 22-24; Luc., XXII, 19-20; I Cor., XI, 23-25. Pridie quam pateretur, post celebrationem cœnæ paschalis « accepit Jesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis et ait: Accipite et comedite: *Hoc est corpus meum* quod pro vobis datur (vel tradetur). Et accipiens calicem gratias egit et dedit eis dicens: Bibite ex hoc omnes: *Hic est enim sanguis meus* ».

Si autem hæc verba intelligenda sunt *sensu litterali et proprio,* clare et invicte demonstrant institutionem Eucharistiæ a Christo et simul etiam præsentiam realem.

1 Protestantes liberales et A. Loisy fatentur doctrinam eucharisticam quam Ecclesia profitetur contineri in hoc capite, sed historicitatem hujusce narrationis negant. Immerito tamen, ut ostendit M. Lepin: *La valeur historique du IV Evangile* 1910: sermo iste connectitur enim omnino cum factis quæ eum præcedunt et sequuntur, et verba promissionis omnino consonant cum verbis institutionis apud Synopticos.

2 *Dict. Apologétique*, art. *Eucharistie*, T. I, c. 1559-1562.

Si e contrario hæc verba sumuntur in sensu metaphorico, ita sunt obscura et ænigmatica, ut, fatentibus adversariis, nonnisi post plura sæcula hæc interpretatio proposita fuerit, et jam ab anno 1557 ducentæ numerarentur hæreticorum expositiones, quarum nulla plene eis placuit. Hoc clarius infra patebit q. 75, a. 1, agendo de præsentia reali, ubi ostenditur quod quando sensus proprius de se clarus est, non recurrendum est ad sensum metaphoricum obscurum et ambiguum.

In locutione: « Hoc *est* corpus meum » verbum *est* non significat: Hoc figurat corpus meum; hoc nullo modo postulatur a contextu, nec ex natura panis, aut ex prævia monitione loquentis. E contra si, ostendendo statuam Christi, diceretur: « hoc est Christus », tunc ex ipsa natura rei seu statuæ appareret quod verbum *est* vult dicere *figurat;* quia statua de sua natura figurat seu repræsentat hominem; non vero panis.

Insuper Apostoli qui erant homines simplices, simpliciter fidem adhibentes verbis Christi, et non raro miraculorum testes, intellexerunt prædicta verba in sensu litterali et proprio, non metaphorico. Etiam ad hanc intelligentiam dispositi fuerant ex verbis promissionis, quæ referuntur in capite VI Ev. sec. Joannem.

Denique Christus instituendo Eucharistiam, dixit se instituere *novum Testamentum,* seu fœdus. Dixit enim: « Hic est sanguis meus Novi Testamenti » et addidit: « Hoc facite in meam commemorationem ». Atqui hæc omnia excludunt sensum metaphoricum qui difficile intelligitur. Testamentum enim clarum esse debet; et pariter obligatio expressa his verbis: « Hoc facite in meam commemorationem ». Imo si Christus metaphorice tantum loquutus fuisset, discipulos suos exposuisset per plura sæcula periculo idololatriæ, scil. periculo adorandi ut verum corpus Domini quod nihil aliud esset quam fragmentum panis.

Confirmatur præcedens argumentatio ex verbis S. Pauli I Cor., XI, 27-29: de indigna communione: « Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, *reus erit corporis et sanguinis Domini... non dijudicans corpus Domini* ». Si autem panis eucharisticus sit solum figura corporis Christi, indigne communicans dici nequit « reus corporis et sanguinis Domini ».

Item I Cor., X, 16, S. Paulus ait: « calix benedictionis... nonne *communicatio sanguinis Christi est*? et panis, quem frangimus, nonne *participatio corporis Domini est*? ». Non possumus autem corpori et sanguini Christi in Eucharistia communicare, nisi sint ibi realiter.

Unde jam est *de fide secundum sacram Scripturam* quod Christus ipse instituerit Eucharistiam, hoc est fide certum ex ipsa Sacra Scriptura, antequam sit de fide solemniter definita ab Ecclesia præsertim in Concilio Tridentino, contra negationes protestantium. Conclusio laboris theologiæ positivæ est minus certa quam ipsa fides, sed manifestat sensum Sacræ Scripturæ fide tenendum.

Testimonia autem Traditionis et multa afferri possunt, sed melius erit ea afferre postea q. 75, a. 1, agendo proprie de præsentia reali: Utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.

Sufficit nunc dicere quod, teste Zwinglio, tempore S. Augustini sententia de præsentia reali corporis Christi in Eucharistia a Christo instituta jam erat communiter recepta.

Quoad testimonia Patrum sæculi II at III et IV cf. Rouet de Journel, *Enchiridion patristicum,* cf. in hoc opere, in fine p. 865 index theologicus n. 483, 485, 486. Referuntur quoad institutionem et præsentiam realem textus obvii S. Ignatii Antiochensis, S. Justini, S. Irenæi, necnon Clementis Alexandriæ, Originis, Tertulliani et posteriorum Patrum (cf. infra de præsentia reali, q. 75, a. 1).

Unde institutio Eucharistiæ a Christo est 1° historice certa, 2° est de fide secundum Sacram Scripturam et Traditionem, 3° est de fide etiam solemniter definita, præsertim in Concilio Tridentino, contra negationes protestantium.

* * *

Quoad convenientiam hujusce institutionis in se et quoad circumstantias temporis, S. Thomas initio articuli enuntiat quatuor difficultates, scil.: 1ª jam baptismus est spirituale nutrimentum, ergo non convenit aliud spirituale nutrimentum; responsio erit: primum est per modum regenerationis, secundum per modum manducationis.

2ª difficultas: Hæc institutio non debebat differri usque ad cœnam Domini, quia etiam homines qui fuerunt ante Christum indigebant uniri cum eo. — 3ª difficultas: Ex alia parte hoc sacramentum ut memoriale Passionis institui debebat post eam, non ante eam. — 4ª: Imo ipse baptismus, qui ad Eucharistiam ordinatur, institutus est tantum post Passionem. Hæc difficultas provocat, ut videbimus, pulchram et altam responsionem.

His difficultatibus non obstantibus, S. Thomas ostendit convenientiam hujusce institutionis triplici ratione. Hæ autem tres rationes non solum juxtaponuntur, sed ordinantur ad modum pulchræ elevationis.

1ª convenientia est ratione contenti, 2ª ratione significationis, 3ª ratione finis:

1ª *convenientia, ratione contenti,* ea est: Christus in propria specie discessurus, convenienter in sacramentali specie seipsum nobis reliquit. Ita in absentia imperatoris exhibetur veneranda ejus imago; sed Christus potuit nobis relinquere non solum imaginem suiipsius, sed et seipsum realiter et substantialiter præsens in hoc sacramento.

S. Thomas hanc 1am rationem sic exprimit in hymno *Verbum supernum prodiens*:

« In mortem a discipulo
suis tradendus æmulis,
prius in vitæ ferculo
se tradidit discipulis ».

Et in hymno *Pange lingua*:

« In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
observata lege plene
cibis in legalibus,
cibum turbæ duodenæ
se dat suis manibus ».

2ª *convenientia est ratione significationis, scil.*: Eucharistia est commemorativum passionis Christi, sine qua non est salus; hoc autem signum commemorativum, præfiguratum ab agno paschali, convenientissime datum est, pro omnibus generationibus subsequentibus, *imminente Passione,* et celebrata legali festivitate agni paschalis, quæ « dum mutatur impletur » ut ait S. Leo papa.

Hæc 2ª ratio sic exprimitur in Sequentia *Lauda Sion*:

« In hac mensa novi Regis,
Novum Pascha novæ legis
Phase vetus terminat.
Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat ».

3ª *convenientia sumitur ratione finis.* Major hujusce argumenti est pulcherrima, et evolvenda est in concione sacra, scil.: « *Ea quæ ultimo dicuntur maxime ab amicis recedentibus* (aut morientibus) *magis memoriæ commendantur,* profundis animo imprimuntur et magis inflammant affectum ». Eucharistia autem est maximum amoris pignus, ad caritatem inflammandam ordinatum. Ergo « convenientissime Dominus in ultimo discessu suo a discipulis hoc sacramentum instituit ».

Hæc pulcherrima ratio enuntiatur non solum in liturgia, sed et in ipso Evangelio dum dicitur apud Joannem, XIII, 1: « Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus, *quia venit hora ejus* ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, *in finem dilexit eos* » (cf. Commentaria in Joannem S. Augustini, S. Alberti Magni, S. Thomæ et Bossuet).

Ad illustrandam vim hujusce pulchri argumenti, notandum est quod sæpe parentes in articulo mortis vellent relinquere filiis suis ultima verba summo modo sui amoris expressiva; quandoque sufficientia verba non inveniunt. Christus autem non solum invenit verba summo modo expressiva, sed et verba consecrationis quæ *efficiunt* id quod significant; sic *semetipsum realiter* reliquit discipulis suis ad caritatem eorum augendam.

Solvuntur objectiones:

Ad 1um: Baptismus jam quidem est quoddam alimentum spirituale, per modum regenerationis, sed convenientissime aliud instituitur per modum manducationis. Ex eisdem nutrimur ex quibus sumus, non tamen eodem modo advenientibus.

Ad 2um: Eucharistia ut continens ipsum Christum non potuit institui ante Incarnationem; sed tunc erant sacramenta præfigurativa dominicæ passionis. Et homines bonæ voluntatis salvabantur propter merita Christi futura, sic figurata.

Ad 3um: Eucharistia non debuit tamen institui post Passionem, sed ut *annuntians eam,* et ut in futurum esset memoriale ejus. Certo hoc summe conveniebat ad præparandas mentes discipulorum ad sacrificium Crucis, quo terminabatur figura agni paschalis. Et non obstante hac præparatione Petrus durante Passione non potuit portare mysterium istud; et Dominum negavit. Unde dicitur in liturgia: « Fac ut portem Christi mortem », ad hoc juvat communio eucharistica.

Ad 4um: Sacramentum Eucharistiæ convenienter instituitur ante Baptismum, *quia est prius baptismo in intentione.* Nam consummatio gratiæ prior est intentione quam ejus inchoatio, quæ non est nisi propter consummationem.

Concilium Tridentinum (Denz. 875) agendo de Institutione Eucharistiæ (sess. XIII, cap. 2) triplicem assignat convenientiam ejus, scil. 1° ut Christus divitias amoris sui effunderet; 2° ut recoleremus memoriam ejus; 3° ut incruente annuntiaretur passio et Mors Christi. Legitur in hoc capite: « Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris veluti effudit, *memoriam faciens mirabilium suorum* (Ps. CX, 4) et in illius sumptione colere nos *sui memoriam* (I Cor., XI, 24) præcepit, suamque *annuntiare mortem donec ipse* ad judicandum mundum *veniat* ». Dicit enim: « Hoc facite in meam commemorationem ». I Cor., XI, 24; Luc., XXII, 19.

In Ecclesia existit specialis cultus ad gratias agendas pro Institutione Eucharistiæ, est *Cultus erga SS. Cor Jesu Eucharisticum* cum Missa propria et Officio. De eo dicit P. Hugon, in Sua Dogmatica, t. II, p. 654: « Hæc devotio non est distincta ab ipsa devotione erga Sacratissimum Cor Jesu, sed est in ea *specialis* respectus ». Considerat enim Cor Jesu ut nobis *dans* Eucharistiam olim et quotidie usque ad consummationem sæculi. Sic Cor Jesu dicitur eucharisticum ratione ejus doni, sicut aer dicitur sanus prout dat sanitatem.

Ut aiebat Leo XIII, approbando hunc cultum et erigendo archiconfraternitatem Cordis Eucharistici: certo institutio Eucharistiæ merebatur specialem gratiarum actionem. Dicitur enim in Ev. secundum Joannem XIII, 1, ubi agitur de Cœna paschali: « *In finem Jesus dilexit eos* », magnam igitur gratitudinem habere debemus pro isto summo beneficio.

Hæ omnes rationes convenientiæ colliguntur in oratione: « O sacrum convivium, in quo Christus sumitur: recolitur memoria Passionis

ejus; mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur ». In hac oratione apparet quod Eucharistia recolit præteritum, mirabiliter præsens fecundat et æternam vitam annuntiat.

q. 73, a. 6.

ART. VI. — UTRUM AGNUS PASCHALIS FUERIT PRAECIPUA FIGURA HUJUSCE SACRAMENTI

Status quæstionis: Maximum sacramentum novæ legis, finis aliorum, præfiguratum est diversis modis in Veteri Testamento: Patres cum pia diligentia multas figuras ejus invenerunt, quæ non omnes tantam similitudinem videntur habere ut sint proprie figuræ, sed obumbrationes allegoricæ, vg. arbor vitæ in paradiso terrestri, aut fœderis archa non tantam similitudinem habent cum Eucharistia, ut vere in eis præfiguretur. Sed aliunde in V. T. inveniuntur veræ figuræ de quibus locutus est ipse Christus, et postea S. Paulus in Epistola ad Hebræos; de his Concilia loquuntur, ut Concilium Tridentinum (Denz. 938), scil.: *sacrificium Melchisedech* qui vinum et panem obtulit, ita ut Christus dicatur in Epistola ad Hebr., V, 10 et VII, 11, pontifex secundum Ordinem Melchisedech. Item *manna,* divinitus datum israelitis in deserto, est figura Eucharistiæ; item *agnus paschalis* et *sacrificium expiationis* quando summus pontifex Veteris Testamenti semel in anno introibat cum sanguine *in sancta sanctorum,* ut refertur in Epistola ad Hebr., IX, 7. Etiam *Isaac* significavit Christum, in quantum oblatus est in sacrificium a patre suo Abraham, secundum ordinem Dei.

S. Thomas quærit quænam, inter has figuras Eucharistiæ, præcipua fuerit. Lutherus irridet piam diligentiam quam sanctus Doctor adhibuit in explicandis hujus mysterii figuris. Sed in hoc Lutherus contemnit Paulum dicentem de fidelibus Veteris Testamenti: « Omnia in figura contingebant illis ».

Responsio S. Thomæ: distinguuntur in Eucharistia: 1° *sacramentum tantum,* scil. species panis et vini, 2° *res et sacramentum,* scil. corpus Christi verum, quod est res sacra, significans unitatem corporis mystici per gratiam, et 3° *res tantum,* scil. gratia cibans qua nutritur corpus mysticum.

Hac distinctione posita respondetur:

1° *Quoad sacramentum tantum* potissima figura fuit *oblatio Melchisedec,* qui obtulit panem et vinum. Ita concilium Tridentinum, Denz. 938, sic Christus dicitur sacerdos secundum Ordinem Melchisedech: Hebr., V, 10.

2° *Quoad rem et sacramentum,* id est quoad ipsum Christum contentum in Eucharistia, præcipua figura erat solemnissimum sacrificium expiationis quando summus pontifex Veteris Testamenti semel in anno intrabat cum sanguine in sanctum sanctorum, ut refertur in Epistola ad Hebr., IX, 7. Item, ait S. Thomas, omnia sacrificia Veteris Testamenti, speciatim, ut notatur in II-II, q. 85, a. 1. ad 2: « Isaac significavit Christum, in quantum ipse oblatus est in sacrificium » et sese tradens in manus patris sui prophetice figuravit Christum qui in cruce moriendo dicere debebat: in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Hæc figura sub aliquo aspectu est omnium altissima, id est sub aspectu sacrificii voluntarii, seu voluntariæ immolationis innocentis. Inter facta in Veteri Testamento narrata, pauca ad hanc altitudinem mysticam attingunt.

3° *Quantum ad rem seu effectum sacramenti figurandum,* principalis figura fuit *manna* divinitus datum in deserto israelitis. « Habebat in se omnis saporis suavitatem » (Sap. XVI, 20) sicut et gratia hujus sacramenti quantum ad omnia reficit mentem. Item panis subcinericius quem propheta Elias a sommo surgendo invenit ad caput suum, cum vase aquæ, ut legitur in III Regum, XIX, 8: « comedit et bibit et ambulavit, in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb ».

S. Thomas exponit has varias figuras in Officio SS. Sacramenti. Est pulcherrima poesis divina, quæ differt ab humana poesi, ut notat S. Doctor I-II, q. 101, a. 2, ad 2 et aliis locis, prout poetica humana utitur metaphoris, *propter defectum rerum humanarum,* quas lyrice majores facit, scil. magnificat et nimis amorem profanum, dum poesis divina Sacræ Scripturæ utitur metaphoris *propter excessum rerum divinarum* quæ non possunt exprimi ut sunt in se, nec semper propriis terminis, sic propter earum altitudinem recurrimus ad metaphoras poeticas.

Inter autem has pulchras Eucharistiæ figuras quænam est magis expressiva?

S. Thomas respondet: est *figura agni paschalis,* quoad tria prius distincta simul sumpta, scil. 1° *quoad sacramentum tantum,* quia manducabatur agnus paschalis cum panibus azymis, Exod., XII, 8; 2° *quoad Christum contentum* in Eucharistia, quia agnus paschalis immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quarta decima luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus: « *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi* », et Eucharistia manducari debet ab omni multitudine christianorum; 3° *quoad effectum* pariter agnus paschalis est perfecta figura, quia per sanguinem ejus protecti sunt filii Israel a devastante angelo, et educti de servitute Ægypti.

Attamen quoad immolationem voluntariam et quoad meritoriam obedientiam usque ad mortem, altissima figura sacrificii crucis commemorati in Missa est oblatio voluntaria pueri Isaac perfectissime obedientis patri suo.

Lutherus irridet hanc explicationem a S. Thoma sic expositam, sed ipse tollit veram et altam poesim Sacræ Scripturæ et liturgiæ, quæ multoties his figuris utuntur (cf. *Dict. Théol. cath.* art. « Euchari-

stie » col. 1183-1207, et *Dict. Biblique*, art. « Agneau » Sufficit in memoriam breviter revocare principales textus circa hanc figuram agni. Isaias, LIII, 7 dicit de Christo: « quasi agnus coram tondente se obmutescet ». Joan, I, 29: « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi ». I Petr., I, 19: Redempti sumus « pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi ». Apoc., V, 12: « Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam etc. ». Apoc., VII, 17: « Agnus reget illos et deducet eos ad vitæ fontes aquarum ». Apoc., XV, 2: « Qui vicerunt bestiam, cantantes canticum Agni ». Apoc., XII, 11: « Vicerunt eum propter sanguinem Agni ». Apoc., XXII, 14: « Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni ». Apoc., XXI, 23: « Claritas Dei illuminavit eam (novam Jerusalem) et lucerna ejus est Agnus ».

RECAPITULATIO QUOAD METHODUM

S. Thomas secundum consuetudinem suam incepit a definitione nominali Eucharistiæ, quærit ejus definitionem realem, per genus et differentiam specificam. Hoc facit sub luce revelationis per analysim conceptualem ac philosophicam, dividendo genus sacramentum, et inductive ex revelatis inquirendo differentiam specificam Eucharistiæ, antequam conclusiones theologicas deducat.

Si igitur in hac 1ª quæstione sunt syllogismi seu discursus, sunt solum discursus *explicativi*, aut ad plus discursus *subjective illativi*, non vero discursus *objective illativi*, qui pervenirent ad novam veritatem solum virtualiter contentam in veritatibus revelatis. Discursus subjective illativus ostendit solum quod talis formula explicita æquivalet alteri minus explicitæ sed ejusdem veritatis, vg. quod assertio infallibilitatis Summi Pontificis ex cathedra loquentis æquivalet assertioni ipsius Christi: « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt ».

Ita processit S. Thomas in nostra quæstione 73: est inquisitio theologica definitionis Eucharistiæ, et explicatio necessitatis ejus jam formaliter revelatæ.

Etenim *in articulo* 1° ostenditur, non proprie deducitur, quod *Eucharistia est sacramentum*, hoc est genus in ejus definitione, et est *spirituale alimentum*, sic innuitur ejus differentia specifica.

In articulo 2° ostenditur quod est *unum specie sacramentum*, quamvis sit materialiter duplex; ratio est quia ordinatur ad aliquid unum, scil. ad spiritualem refectionem. Sic non deducitur ex revelatis nova veritas, nova propositio. Explicatur solum quare semper Concilia loquantur de Eucharistia tanquam de uno sacramento et non de duobus et quare vocatur in singulari SS. Sacramentum.

In articulo 3° nihil proprie deducitur, explicatur solum *necessitas* Eucharistiæ revelata a Christo Domino sub his verbis: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis ».

Hoc sic *explicatur* per analysim conceptualem: Eucharistia est ad salutem necessaria, *non in re*, quia non dat primam gratiam, sed *in voto* saltem implicito, quia prima gratia essentialiter tendit ad consummationem ejus, quæ datur per hoc sacramentum.

In articulo 4° agitur de ratione propter quam Eucharistia diversis nominibus nominetur per respectum ad præteritum, ad præsens, ad futurum. Non est deductio novæ veritatis, sed est explicatio nominum quæ sunt in Sacra Scriptura.

Item *in articulo* 5° explicantur convenientiæ institutionis.

Denique *in articulo* 6° enumerantur figuræ Eucharistiæ, et ostenditur quænam est præcipua.

Ergo hucusque nullus est discursus objective illativus, nulla est conclusio theologica proprie dicta, sed solum explicatio veritatis revelatæ. Et notandum est quod hæc pars velut analytica sacræ Theologiæ est magni momenti; imo superior est quam deductio novæ conclusionis theologiæ, nam per hanc analysim aut discursum explicativum habetur proprie hæc quædam intelligentia ipsorum mysteriorum, seu ipsorum *principiorum fidei*, quæ valde superant *conclusiones theologicas*, sicut habitus infusus fidei supernaturalis quoad substantiam valde superat habitum theologiæ studio humano acquisitum. Fides infusa est multo altior quam sacra Theologia quæ ex ea procedit, quamvis fides simul cum theologia sit quid *extensive perfectius quam fides sine theologia*.

Dico *extensive*, non intensive, quia magnus contemplativus qui ignoraret conclusiones theologicas, sed magno spiritu fidei et doni intellectus valde penetraret mysteria fidei, altior esset quam theologus qui optime cognosceret de aliquo mysterio multas conclusiones, et mysterium istud minus intensive penetraret.

QUAESTIO LXXIV

DE MATERIA EUCHARISTIÆ

Post considerationem ipsius sacramenti Eucharistiæ, agitur de partibus ejus, et primo de ejus materia. Circa eam S. Thomas methodice instituit quatuor quæstiones, scil.:

1° *De specie materiæ: panis frumenti et vinum de vite* (q. 74).

2° *De conversione hujusce materiæ in corpus Christi* (q. 75) ad præsentiam realem explicandam.

3° *De modo existendi corporis Christi in hoc sacramento,* id est sub speciebus consecratis.

4° *De accidentibus panis et vini,* quæ in hoc sacramento remanent.

Manifestum est enim quod hæc omnia pertinent ad sacramenti materiam sive in se, sive ut convertendam in corpus Christi, sive quoad relationem accidentium panis et vini cum corpore Christi sub ipsis præsente. Est processus methodicus a cognito ad ignotum, et a sensibilibus ad altiora invisibilia.

In ipsa quæstione 74, circa materiam Eucharistiæ quantum ad speciem consideratam, quæruntur octo quæ progressive magis ac magis determinant hanc materiam ut est panis triticeus et vinum de vite cum gutta aquæ miscenda, et explicantur simul convenientiæ hujusce materiæ [1].

Ut videbimus, sicut in præcedenti quæstione, generaliter discursus seu syllogismi sunt solum explicativi, aut subjective illativi; explicant enim id quod jam est de fide, non perveniunt ad conclusionem theologicam proprie dictam, scil. ad novam veritatem ex veritatibus fidei deductam. Sic magna pars et pretiosior pars theologiæ speculativæ pertinet ad explicationem veritatum fidei, antequam agatur de deductione conclusionum theologicarum.

Notandus est imprimis, quoad expressionem « materia et forma sacramentorum », sensus horum verborum. Quidam dicunt: theologi sumunt hæc verba terminologiæ Aristotelis « materia et forma » in sensu totaliter novo, absque claro fundamento.

[1] *Materia remota,* ut dicendum est, est panis et vinum; *materia proxima* sunt species consecratæ. In hac quæstione 74 ergo agitur de materia remota, primo in communi (aa. 1 et 2), deinde in speciali, quoad panem (aa. 3, 4) et quoad vinum (a a. 5 ad a. 8).

Ad hoc respondendum est quod jam in lingua græca ὕλη habet diversos sensus, est nomen analogicum; significat enim lignum ex quo construitur domus, etiam lapidem ad ædificandum; significat materiam in sensu philosophico, sive materiam primam sive materiam secundam; significat etiam materiam alicujus poematis, alicujus scientiæ. Ita pariter nomen *materia* in lingua latina.

Unde etiam apud ipsum Aristotelem ὕλη habet sensum analogicum, ut constat de materia prima, de materia secunda, de materia circa quam versatur aliqua scientia.

Pariter « forma » dicitur analogice etiam apud Aristotelem, scil. de forma-figura quantitatis (vg. forma circularis), de forma substantiali, de qualibet forma accidentali ut calor. Et forma determinat materiam in qua recipitur. Unde non mirum est quod theologi usi sint hac terminologia, quoad sacramenta; nam id quod in eis vocatur materia est signum practicum cujus significatio determinatur per formam, et ambæ necessariæ sunt ad sacramentum, sicut materia et forma in ordine physico ad constitutionem corporis.

q. 74, a. 1.

ART. I. — UTRUM MATERIA HUJUS SACRAMENTI SIT PANIS ET VINUM

Status quæstionis Agitur de confutatione hæreticorum qui hunc punctum fidei negaverunt, et de convenientia hujusce duplicis materiæ:

1ª difficultas est: Carnes animalium occisorum, vg. agni occisi, expressius repræsentarent Christi passionem - 2ª In multis terris non invenitur panis triticeus et in aliquibus non invenitur vinum - 3ª Vinum nocet quibusdam infirmis.

Responsio tamen est: *Panis et vinum sunt materia simpliciter necessaria ad conficiendum hoc sacramentum,* et sunt materia *conveniens.* Hoc est de fide.

Probatur hoc esse de fide auctoritate plurium conciliorum, scil. IV Lateranensis, Florentini (Decret. pro Armenis) et Tridentini, cf. Denz. Index systematicus XII, f. p. (33). ***Materia est panis triticeus*** (692, 698, 715; c. 815), sive azymus (apud Latinos) (350, 465, 692), sive fermentatus (apud Græcos) (692; c. 816), *et vinum de vite* (414, 416, 430, 698; c. 815, § 2) (quod, ubi opus est, ebullire licet ad 65°, n. 1937, et roborare alcoholo ad 12 % vel 18 %, n. 1938) cui modicum aquæ admisceri debet (416, 441, 698, 3043; c. 814), ob mysticam significationem (698, 945, 956), « quia videmus in aqua populum intelligi »... significatur sic quod Christo populus adunatur.

Hæc autem fides Ecclesiæ sic solemniter definita in Conciliis exprimitur in Sacra Scriptura; pro pane habemus testimonia Matth. XXVI,

26, Marc. XIV, 22, Luc., XXII, 19, I Cor. XI, 23; pro vino habemus testimonia Matth. et Marc. ibidem.

In corpore articuli S. Thomas duo facit, scil. refert errores de hac re et ostendit convenientiam hujusce materiæ.

Quoad errores: Artotyritæ in hoc sacramento offerebant panem et caseum, ad melius offerendos fructus terræ. Cataphrygæ offerebant simul cum pane sanguinem infantis. Aquarii, prætextu sobrietatis, offerebant aquam et non vinum. Quidam alii adjungebant oleum benedictum, etc. etc. Non necesse est, ut patet, in his immorari.

Convenientia autem hujusce materiæ ostenditur tripliciter: 1° quoad usum sacramenti, 2° quoad passionem commemorandam, 3° quoad effectum exprimendum.

1° *Quoad usum sacramenti, conveniunt panis et vinum, quia ex eis homines communius reficiuntur.* Id est: convenienter assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis, sicut aqua baptismalis ad ablutionem spiritualem. Nec necesse est quod vinum sit tam in usu quam materia baptismi, quia sumptio sacramentalis Eucharistiæ non est tam necessaria quam baptismus aquæ. Panis est alimentum quasi per excellentiam, et inter potus, vinum melius etiam convenit. S. Albertus ostendit quod melius convenit quam birra, ratione symbolismi, vinum lætificat cor hominis.

2° *Quoad passionem commemorandam,* convenienter *seorsum* sumuntur panis, ut sacramentum corporis, et vinum, ut sacramentum sanguinis, quia in passione Christi, *sanguis a corpore separatus est.* Hoc argumentum convenientiæ non spectat panem et vinum in se, sed eorum separationem, ut scil. Christus sit realiter præsens *quasi in statu mortis*, seu separationis sanguinis a corpore. Ut videbimus, agendo de sacrificio Missae, hæc est *immolatio non physica et cruenta*, ut in cruce, sed *sacramentalis* seu *mystica et « incruenta »* ut dicit Concilium Tridentinum (Denz. 940). Sic possumus dicere quod durante Missa, momento consecrationis, sanguis Christi, non quidem physice, sed *sacramentaliter effunditur.* Jam apparet ex hoc quod immolatio seu destructio dicitur non univoce, sed analogice de immolatione cruenta seu physica, et de immolatione sacramentali seu mystica.

Unde convenit duplex materia, et quædam separatio utriusque.

3° *Quoad effectum Eucharistiæ* convenit pariter hæc duplex materia, primo pro unoquoque sumentium, quia significat *gratiam cibantem,* datam ad nutritionem seu refectionem spiritualem animæ.

S. Ambrosius, hic citatus, dicit modo quasi metaphorico, non ad litteram sumendo: « corpus Christi sub specie panis pro salute corporis; sanguis vero sub specie vini pro salute animæ offertur ». Hæc non sunt accipienda in sensu proprio, sed verum est dicere quod Eucharistia producit effectum etiam in corpore nostro, prout dat salutem animæ,

moderat passiones et ex salute æterna sequetur corporis resurrectio et ejus glorificatio.

Denique *quoad effectum respectu totius Ecclesiæ,* quæ constituitur ex diversis fidelibus, convenit *panis confectus ex multis granis* et *vinum fluens ex diversis uvis,* ut habetur ex Augustino tr. 26 in Joan., super illud: « I Cor. X, 14: Fugite ab idolorum cultura... Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam (est) *unus panis,* (ita) *unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus...* Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum ».

S. Thomas, ut patet, non deducit in hoc articulo conclusiones theologicas, sed defendit fidem contra negantes, et ostendit convenientiam veritatis fidei, methodice ordinando ea quæ jam inveniuntur in Sacra Scriptura, ubi non est ordo logicus alicujus tractatus, sed veritas revelata cum ordine caritatis, seu sancta subordinatione omnium affectuum sub amore Dei et proximi. Non inutile est adjungere huic ordini caritatis ordinem logicum, ut lapides pretiosi, qui sunt veritates fidei in Sacra Scriptura expressæ, in aliquod *corpus doctrinale* ordinentur. Sic melius apparet earum valor; et quo magis progreditur theologia eo magis *se abscondit* ut *veritas Verbi divini melius appareat.* Theologia per respectum ad Verbum divinum in Sacra Scriptura expressum est aliquomodo sicut præcursor Joannes Baptista ad Verbum incarnatum; præcursor dicebat: « Illum oportet crescere, me autem minui ». Ita S. Albertus et sæpe S. Thomas in Commentario in Joannem vel in Epistolas S. Pauli, utuntur theologia, modo quasi abscondito, ut melius lapides pretiosi Sacræ Scripturæ appareant in corpore doctrinali. Sic theologia sese abscondendo disponit ad contemplationem Verbi divini. Convenit propterea quod prædicator fidei bene cognoscat theologiam, sed non nimis eam ostendat, et loquatur potius secundum verba Sacræ Scripturæ quam secundum terminologiam scholasticam, quæ non est in usu apud fideles.

Sic magis ac magis apparet quod fides, virtus theologica, valde superat theologiam studio humano acquisitam, et quod nobilior pars theologiæ est defensio et explicatio fidei, ante deductionem conclusionum theologicarum, quæ quodammodo sunt minoris momenti, per respectum ad ipsas fidei veritates.

Solvuntur difficultates:

Ad 1um: Absolute loquendo Christus potuisset assumere non panem, sed carnem agni paschalis occisi; hoc expressius repræsentasset Christi passionem, sed hoc minus competebat ad communem usum hujus sacramenti, et ad ecclesiasticam unitatem significandam.

Ad 2um: De facili ad omnes terras deferri potest panis et vinum.

Ad 3um: Vinum in modica quantitate sumptum, non potest multum ægrotanti nocere.

Dubium: *An una ex his duabus materiis possit consecrari sine altera?* S. Thomas in responsione ad 2um tangit hanc quæstionem, dicens: « Propter defectum panis aut vini, unum non est sine altero consecrandum, quia non esset perfectum sacramentum » seu non perficeretur sacramentum. Remanet quædam difficultas, quia non dicit « non conficeretur sacramentum », sed dicit « non esset perfectum » et alibi « non perficeretur »; atqui « perficeretur » potest intelligi aut quoad essentiam et validitatem, aut quoad integritatem et liceitatem.

Responsio communior sic exponitur:

Una species valide consecratur sine altera, sed jure divino illicitum est sic consecrare, et sacrificium incruentum Missæ ut a Christo institutum, esset invalidum.

In hac responsione sunt tres partes.

1° *Consecratio sic facta esset valida,* quia consecratio panis, ante consecrationem vini jam efficit id quod significat. Ita S. Thomas in IV Sent., d. XI, q. 2, a 1, qu. 1, ad 4. Si sacerdos moreretur subito post primam consecrationem ante secundam, prima esset valida.

2° *Attamen hæc consecratio sic « voluntarie » facta est jure divino illicita,* quia hoc esset contra præceptum Christi, qui, juxta Conc. Trid., per hæc verba: « Hoc facite in meam commemorationem » præcepit ut hoc sacramentum non conficiatur, nisi simul offeratur Deo sacrificium incruentum quod duplicem consecrationem requirit. Insuper ad convivium requiritur cibus et potus.

3° *Sacrificium incruentum Missæ esset invalidum.* Hoc est saltem probabilius. Agitur de sacrificio incruento Missæ ut institutum est a Christo, juxta Conc. Trid. sess. 22, cap. 1. *De essentia* enim hujusce sacrificii incruenti *est ut sanguis sacramentaliter separetur a corpore,* sicut de ratione sacrificii cruenti crucis, cuius Missa est repræsentatio, fuit, ut sanguis realiter separaretur a corpore. Atqui hæc separatio sacramentalis vel mystica fieri non potest nisi per duas separatas consecrationes. Ergo si esset una sola consecratio, sacrificium non perficeretur in hoc sensu, non solum quod deesset ejus integritas (quæ jam deficit quando deest communio sacerdotis), sed deesset pars essentialis sacrificii. *Ad essentiam sacrificii Missæ* ut institutum est a Christo pertinet utraque consecratio.

Coroll. Summus Pontifex non potest dispensare ut in aliquo casu sacerdos licite consecret unam tantum speciem. Etenim non potest dispensare in præcepto Christi superioris, maxime quando præceptum istud est absolute et simpliciter a Deo, nec dependet a facto humano, ut v. g. adimpletio votorum religionis.

Solvuntur objectiones:

1a *objectio:* Christus in castello Emmaus consecravit panem solum.

Responsio: Hoc est incertum, forte consecravit etiam vinum, quamvis hoc non narretur, et insuper Christus potuit, ut sacramentorum auctor, hoc facere ex plenitudine potestatis excellentiæ.

2a *objectio:* In sola consecratione panis reperitur quædam oblatio rei sensibilis cum immutatione; ergo jam in ea sola salvatur ratio sacrificii.

Responsio: In ea salvatur ratio sacrificii, ut sic, transeat; ratio sacrificii ut instituti a Christo et passionis commemorativi, nego. Quia corpus et sanguis Christi debent sacramentaliter separari in Missa, sicut realiter seu physice separata sunt in cruce. Sacrificium crucis enim importabat effusionem sanguinis.

Instantia: In sola consecratione panis, vi verborum, sacramentaliter ponitur corpus sine sanguine, ergo jam in ea sola significatur separatio sanguinis a corpore.

Responsio: In sola consecratione panis ponitur vi verborum corpus sine sanguine, distinguo; præcise et formaliter *vi verborum solius consecrationis panis,* nego; *adjuncta consecratione calicis,* concedo. Non salvaretur ratio sacrificii, quale Christus instituit, in consecratione unius materiæ. Si Christus instituisset unam solam consecrationem, scil. panis, sanguis ejus non sacramentaliter separaretur a corpore. Quando enim dicitur: « hoc est corpus hujus hominis » intelligitur corpus cum sanguine si postea non fit mentio de eorum separatione.

Instantia: Una species licite sumitur sine alia a laicis.

Responsio: Hoc sacramentum non consistit in usu, sed in consecratione materiæ; unde de hac quæstione non judicandum est ex usu sacramenti.

Restat ergo quod saltem probabilius est quod duplex consecratio sit de essentia sacrificii Missæ; secunda consecratio non solum ad ejus integritatem pertinet, sed ad ejus essentiam. Per eam perficitur ejus essentia.

Objectiones sunt potius cavillationes contra sensum obvium verborum institutionis Eucharistiæ.

* * *

Solutio confirmatur ex Rubricis Missalis.

Rubricæ principales de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus sunt sequentes:

II. *De defectibus materiæ:*

De defectu panis: « Si sacerdos post consecrationem advertit hostiam esse corruptam aut non esse triticeam, *posita alia* faciat oblationem (saltem mente conceptam) et *a consecratione incipiat,* « Qui pridie... ».

« Si hoc contingat (scil. si hoc advertat) post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus *novus panis* et *vinum cum aqua,* et facta prius oblatione, ut supra, sacerdos consecret... ».

« Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri: tunc *altera consecretur...* ».

IV. *De defectu vini:* « Si vinum sit factum penitus acetum... non conficitur sacramentum. Si post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam: deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum acqua ponat in calice, et consecret resumendo a verbis: Simili modo...

« Si hoc advertat post sumptionem Corporis vel hujusmodi aquæ, apponat *aliam hostiam iterum* consecrandam *et vinum* cum aqua in calice: offerat utrumque et consecret et sumat, quamvis non sit jejunus. *Vel* si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, *poterit* apponere *vinum* [1] cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cetera ».

Sed etiam in isto ultimo modo faciendi *requiritur quod sit duplex consecratio,* quod Christus fuerit si non simultanee, *saltem successive præsens* sub specie panis et sub specie vini, velut in statu mortis, seu separationis sacramentalis sanguinis a Corpore.

q. 74, a. 2.

ART. II. — UTRUM REQUIRATUR DETERMINATA QUANTITAS PANIS ET VINI AD MATERIAM HUJUS SACRAMENTI

Status quæstionis: apparet præsertim ex 2ª difficultate, scil.: hoc esset ad irrisionem sacramenti, si sacerdos vellet consecrare totum panem qui venditur in foro, et totum vinum quod est in cellario. Ergo videtur quod quantitas debeat esse determinata. Ita senserunt quidam theologi. S. Thomas dicit: « *hoc non videtur esse verum* ».

Responsio est: *Quantitas materiæ hujus sacramenti non est determinata ex institutione Christi;* unde sacerdos potest *valide* consecrare materiam cujuslibet magnitudinis vel parvitatis, modo sit moraliter præsens. Hic agitur solum de validitate, non de liceitate.

1° *Probatur indirecte* in argumento sed contra: parvitas quantitatis non impedit validitatem consecrationis, ergo nec ejus magnitudo.

2° *Probatur directe* in corpore articuli.

— In omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex fine.

— Finis autem hujus sacramenti est usus fidelium non solum qui occurrunt, sed fidelium absolute, alioquin sacerdos paucos habens parochianos non posset consecrare multas hostias.

— Ergo quantitas materiæ hujus sacramenti est indeterminata, sicut numerus fidelium absolute.

1 Id est « non aliam hostiam iterum », sumendo.

Confirmatur: Christus, conferendo sacerdotibus potestatem consecrandi panem et vinum, non eam restrinxit ad certum gradum magnitudinis aut parvitatis.

Ad 2um: *Illicita* est consecratio *magnæ quantitatis panis* et *vini* non proportionata usui fidelium; præsertim si ordinetur ad irrisionem vel ad aliquid hujusmodi.

1um Corollarium: Cum quantitas materiæ hujus sacramenti non sit a Christo determinata, *debet determinari in individuo per intentionem consecrantis;* non tamen requiritur intentio actualis, sufficit virtualis seu quæ præcesserit.

2um Corollarium: Invalida est consecratio si sacerdos ex cumulo hostiarum velit consecrare decem, eas non designando; quia non est ratio cur hæ hostiæ potiusquam aliæ consecrentur.

3um Corollarium: Non consecrantur hostiæ repositæ in altari, etiam super corporale, absque cognitione, omnino inscio sacerdote. Regulariter omnis bonus sacerdos habet vel habuit intentionem consecrandi omnes hostias *repositas supra corporale,* non vero extra corporale, nam hoc est peccatum.

4um Corollarium: Guttulæ vini, calici exterius adhærentes, non sunt consecratæ; nec etiam probabilius guttæ interius adhærentes, sed quoad has ultimas remanet dubium, unde initio Missæ abstergi debent.

Si una hostia non consecrata cadit inter consecratas et *non possit discerni,* duæ forent porrigendæ, potiusquam eam consecrare.

q. 74, a. 3.

ART. III. — UTRUM REQUIRATUR PANIS TRITICEUS

Responsio est *affirmativa* et declarata *a Concilio Florentino,* Denz. 698: « Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus et vinum de vite ». Insuper hæc est perpetua traditio utriusque Ecclesiæ græcæ et latinæ.

Cajetanus putavit Concilium assignare materiam principalem et magis certam, et ideo materiam necessariam necessitate præcepti, non tamen sacramenti. Hæc opinio Cajetani non admissa est, quia Concilium Florentinum loquitur de pane et vino pro materia Eucharistiæ, sicut de aqua pro materia baptismi et de chrismate pro materia confirmationis. Item aqua mixta cum vino in calice est necessaria necessitate præcepti, et tamen non dixit Concilium eam esse materiam sacramenti.

Probatur *ratione*: materia legitima Eucharistiæ est ille panis quo homines *communius utuntur* in suis refectionibus. Atqui communius utuntur pane triticeo, et in eo Christus consecravit.

Ad 2um: Juxta quosdam vero spelta (épautre) et secale (seigle) sunt varietates frumenti. Si ita est, utique sufficiunt. Sed non est cer-

tum quod sint varietates frumenti. Concludit S. Thomas in fine responsionis ad 2um: « *Ex talibus frumentis* (vg. hordeaceo), *quæ nullo modo possunt ex semine tritici generari, non potest confici panis, qui sit debita materia hujus sacramenti* ».

Ad 3um: « Modica permixtio alterius substantiæ non solvit speciem », tunc valida est consecratio.

Ad 4um: Aliquando est tanta corruptio panis quod solvitur species, tunc non valida est consecratio.

q. 74, a. 4.

ART. IV. — UTRUM HOC SACRAMENTUM DEBEAT CONFICI EX PANE AZYMO

Status quæstionis: Hæc quæstio celebris est quoad divisionem latinorum et græcorum. Græci solutionem hujusce quæstionis posuerunt ut conditionem reditus. Græcæ Ecclesiæ offerunt panem fermentatum, Ecclesia latina panem azymum.

Sed Ecclesia latina admittit validitatem utriusque modi consecrandi, imo liceitatem et obligationem consecrationis panis fermentati pro Græcis. Cf. Denz. 692, Concilium Florentinum: « In azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus *conficere debere,* unumquemque scil. juxta suæ Ecclesiæ sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem ».

Responsio S. Thomæ autem ostendit convenientiam hujusce rei.

Valida est utraque consecratio, nam:

1° *Sub utraque forma remanet essentia panis triticei et usualis.*

Judæi utebantur azymo durantibus festis paschalibus, et Christus eo usus est dum instituit sacramentum.

2° *Consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est,* ait S. Thomas, triplici ratione:

1) Quia Christus usus est pane azymo in institutione Eucharistiæ.

2) Quia panis est sacramentum corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est.

3) Quia hoc magis convenit ad expressionem sinceritatis requisitæ in fidelibus ad usum hujus sacramenti, secundum illud I Cor. V, 8: « Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis ». Hæc tamen verba sunt metaphorice dicta, ut patet, de fermento non physico sed malitiæ.

3° *Consuetudo Ecclesiæ orientalis non est sine aliquibus rationibus:*

Celebrat in fermentato, 1° quia Verbum indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ, 2° in detestationem hæresis Nazareorum et Ebionitarum qui legalia Evangelio miscebant; 3° quia, ut dicitur ad 3um, fermentum efficit panem sapidiorem et sic congruenter designat caritatis fervorem ac suavitatem in hoc sacramento, secundum illud Domini apud Matth. XIII, 33: « Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum ».

Attamen, ait S. Thomas ad 3: « Fermentum significat caritatem propter aliquem effectum, quia facit panem sapidiorem et majorem; sed corruptionem significat ex ipsa ratione suæ speciei ». Unde melior est ratio data in favorem consuetudinis Ecclesiæ latinœ.

Valor autem harum rationum non ita est, ut patet, ut una vel altera forma panis sit ad validitatem necessaria. Sic servantur diversi gradus obligationis.

q. 74, a. 5.

ART. V. — UTRUM VINUM DE VITE SIT PROPRIA MATERIA HUJUS SACRAMENTI

Responsio affirmativa habetur ex Concilio Florentino (Denz. 698) et ex perpetua traditione Ecclesiæ.

In corpore articuli S. Thomas eam probat tripliciter:

1° Quia Christus in vino de vite hoc sacramentum instituit, ut patet ex eo quod ipse dicit, Matth. XXVI, 29: « *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* ».

2° Quia ad materiam sacramentorum assumitur id quod proprie et communiter habet talem speciem. Proprie autem vinum dicitur quod de vite sumitur, non vero quod sumitur vg. de malis aut piris.

3° Vinum vitis magis competit ad effectum hujus sacramenti, qui est spiritualis lætitia, quia scriptum est Ps. CIII, 15, quod « vinum lætificat cor hominis ».

Ad 1um: Vitis non ubique crescit, sed facile vinum deferri potest ad terras in quibus vites non crescunt.

Ad 2um: Si vinum fit proprie acetum, invalida est consecratio, non vero si solum incipiat ejus corruptio et adhuc sit vinum; sed tunc illicita est consecratio.

Ad 3um: Non potest confici sacramentum *ex agresta* (gallice *verjus*) quæ ex uvis immaturis exprimitur, quia est tantum in via generationis, et ideo agresta nondum habet speciem vini. Secus de musto seu de vino recenter expresso, sed hoc, extra casum necessitatis, est prohibitum, ut indecens.

Dubium: An vinum congelatum sit materia apta consecrationi?

Responsio: Hoc est illicitum, quia vinum congelatum non habet rationem potus, sed quoad validitatem multi probabiliter respondent:

est materia consecrabilis, quia remanet substantia vini. Et rubricæ missalis jubent vinum post consecrationem congelatum liquefieri et deinde sumi ut verum sacramentum.

q. 74, a. 6.

Art. VI. — UTRUM AQUA SIT VINO PERMISCENDA

Status quæstionis: Hic non amplius agitur de materia necessaria necessitate sacramenti ad validitatem, sed solum de necessitate præcepti, quoad liceitatem, jure ecclesiastico.

Armeni septimo sæculo vinum absque aqua consecrabant, et hanc consuetudinem Lutherani et Calvinistæ amplexi sunt.

Responsio pluries data est ab ipsa Ecclesia (cf. Denz. 416, 441; Concilium Florentinum: 698 (3043), 945, 956). Legitur enim in Concilio Florentino (698): « Tertium Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem *aqua modicissima admisceri debet.* Aqua ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiæ... creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde hoc convenit... quia utrumque, scil. sanguis et aqua, ex latere Christi profluxisse legitur. Tum etiam, quod convenit ad significandum hujus sacramenti effectum qui est unio populi christiani ad Christum. Aqua enim populum significat », et ibidem citantur antiqua testimonia. Concilium Tridentinum, 945 et 956, eodem modo loquitur.

In corpore articuli, S. Thomas dat quatuor rationes easdem quæ postea dantur ab ipsis Conciliis Florentino et Tridentino.

1° Quia probabiliter Christus ita fecit, secundum morem judæorum.

2° Quia hoc convenit repræsentationi Passionis, nam ex latere Christi profluit aqua et sanguis.

3° Quia hoc convenit ad significandum effectum Eucharistiæ, scil. unionem populi christiani ad Christum, ut ait Julius I, papa.

4° Quia significatur sic ultimus effectus Eucharistiæ, scil. vita æterna, secundum illud Ambrosii « redundat aqua in calice, et salit in vitam æternam ».

q. 74, a. 7.

Art. VII. — UTRUM PERMIXTIO AQUÆ SIT DE NECESSITATE HUJUS SACRAMENTI

Respondetur: Hæc permixtio aquæ non est necessaria necessitate sacramenti, sed solum necessitate præcepti ecclesiastici.

1° *Probatur ex auctoritate S. Cypriani,* in argumento *sed contra.* Confirmatur ex *rubricis missalis,* quæ prohibent infundi aquam post consecrationem, quando antea omissa est. Si autem aqua esset de necessitate sacramenti, foret apponenda et consecranda. Item *Catechismus Romanus* dicit quod « sine peccato mortali hoc prætermittere non licet, sed tamen si desit (aqua), sacramentum constare potest ».

2° *Probatur ratione theologica,* in corpore articuli. Hæc ratio ad hoc reducitur:

— Permixtio aquæ significat participationem hujus sacramenti a fidelibus, *in usu sacramenti.*

— Atqui usus fidelium non est de necessitate hujus sacramenti, sed aliquid consequens ad hoc sacramentum, quod perficitur in consecratione materiæ.

— Ergo hæc permixtio aquæ non est de necessitate sacramenti.

Revera in hoc argumento, major enuntiatur post minorem, ut sæpe accidit in articulis S. Thomæ.

Ad 2um: Effusio aquæ a latere Christi non fuit de necessitate passionis, sed ad demonstrandum effectum passionis, qui est ablutio a peccatis.

Ad 3um: Unde etiamsi aqua artificialis et non naturalis misceretur vino, sacramentum esset validum.

q. 74, a. 8.

Art. VIII. — UTRUM AQUA DEBEAT IN MAGNA QUANTITATE APPONI

Respondetur in Concilio Florentino, 698: « aqua *modicissima* admisceri debet ». In corpore articuli datur ratio: quia alioquin periculum esset ne vinum corrumperetur, maxime si sit debile. Insuper decet quod Christus caput expressius repræsentetur quam populus; sanguis autem Christi significatur per speciem vini et populus per guttam aquæ. Unde si quis putat posuisse aquam nimiam, debet adjungere vinum.

In corpore hujusce articuli S. Thomas cum Innocentio III ostendit etiam quod *probabilius aqua non vertitur in sanguinem Christi nisi prius conversa sit in vinum,* et ideo modicissima apponi debet ut servetur species vini.

Hæc opinio probabilior probatur, excludendo duas alias.

Quidam dixerunt: *aqua* adjuncta vino *per se manet,* vino converso in sanguinem.

Respondetur: in sacramento altaris post consecrationem totum adoratur veneratione latriæ et igitur nihil est in eo nisi corpus et sanguis Christi, non vero aqua remanens.

Alii dixerunt: *aqua* adjuncta convertitur *in aquam, quæ de latere Christi fluxit.*

Respondetur: si ita esset, *aqua seorsum consecraretur a vino.* Atqui non est specialis formula consecratoria pro aqua. Unde probabilius aqua convertitur in vinum et vinum in sanguinem, et sic servatur symbolismus de quo loquitur traditio, scil. aqua significat populum christianum Christo unitum, ita ut populus cum Christo constituat unum solum corpus mysticum.

QUÆSTIO LXXV

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI, IN CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI

Agendo de materia Eucharistiæ, S. Thomas tractare debet de conversione hujusce materiæ in corpus Christi, et in quæstione sequenti de modo præsentiæ realis corporis Christi in hoc sacramento.

Quoad ipsam conversionem, seu transsubstantiationem, methodice octo quæruntur, quæ reduci possunt ad duas sectiones.

1ª *Sectio* hujusce q. 75 est *de existentia corporis Christi in hoc sacramento,* scil. ostenditur in hoc sacramento realiter esse corpus Christi (a. 1).

2ª *Sectio* est *de ipsa conversione seu transsubstantiatione panis et vini,* sine qua non explicaretur præsentia realis revelata et definita ab Ecclesia.

Quoad hoc S. Thomas septem ostendit: 1° quod substantia panis non remanet (a. 2); — 2° quod substantia panis non annihilatur (a. 3); — 3° quod panis potest converti in corpus Christi (a. 4), deinde quod accidentia panis possunt remanere et manent post conversionem (a. 5); — quod non manet forma substantialis panis quamvis remaneant ejus accidentia, omnes ejus qualitates propriæ, quia *tota substantia* panis convertitur (a. 6); — quod hæc conversio fit in instanti (a. 7). Denique (a. 8) S. Thomas examinat modum legitimum loquendi, et præsertim ostendit quod vera est hæc propositio: *ex pane fit corpus Christi;* ad hoc manifestandum profunde comparat transsubstantiationem cum mutatione naturali substantiali, et cum creatione, et in hoc articulo 8 invenitur synthesis totius quæstionis.

Secundum hanc distributionem materiæ, ut videbimus, recte tractat S. Thomas de his omnibus quæ *per se* pertinent ad præsentiam realem et ad transsubstantiationem. Recte, inquam, quia semper procedit a cognito ad ignotum, et secundum exigentiam formulæ consecrationis qua usus est Christus in institutione hujusce sacramenti, scil. ut vera sit hæc formula, seu ut vere efficiat id quod significat. Est ars maxima in hac distributione materiæ; hoc magis appareret, si compararetur cum divisione prius proposita a theologis, aut etiam postea.

Quidam commentatores ante explicationem horum articulorum in memoriam revocant plura philosophica prænotamina ad substantiam et ad accidentia pertinentia. Sed hoc facit ipse S. Thomas in suis articulis, et igitur sufficit eos explicare et bene intelligere.

ART. I. — UTRUM IN HOC SACRAMENTO SIT CORPUS CHRISTI SECUNDUM VERITATEM

Status quæstionis: apparet ex variis erroribus circa præsentiam realem. S. Thomas plures in memoriam revocat. Principales sunt sequentes: Videamus simul oppositas *definitiones Ecclesiæ.*

DE ERRORIBUS DAMNATIS. — Quasi omnes errores circa Eucharistiam ad præsentiam realem pertinent; attamen distinguendi sunt errores qui sunt directe contra ipsam realem præsentiam ab eis qui sunt potius contra verum modum præsentiæ realis. Hic agitur præcipue de prioribus.

Primi hunc fidei articulum impugnaverunt Capharnaitæ et quidam discipuli Christi, ut patet per Evangelium secundum Joannem VI, 61, ubi legitur eos non potuisse capere promissionem Christi de danda carne sua in cibum et sanguine suo in potum. « Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt: *Durus est hic sermo et quis potest eum audire?* » et, scandalo inde accepto, retro abierunt ». Hos secuti sunt omnes hæretici qui, negantes Verbum assumpsisse verum corpus, consequenter negaverunt corpus Christi esse in Eucharistia, ita *Docetæ* et *Manichæi;* de his loquitur S. Ignatius Antiochensis, in Epistola ad Smyrnenses, VII, 1. Gnostici autem ipsa Eucharistia *uti* noluerunt (cf. Origen. de Orat. V, 1).

SÆCULO V, *Nestoriani* juxta sua principia de duabus personis in Christo, tenent in Eucharistia esse tantummodo carnem *personæ humanæ,* non personæ divinæ (cf. *Dict. Théol.,* art. « Eucharistie », col. 1158-1170).

SÆCULO IX, *Joannes Scotus Erigena,* qui scripsit opus *de Corpore Christi,* suspectus est de hæresi circa præsentiam realem. Unde hic liber proscriptus est postea anno 1053 a Concilio Vercellensi; hoc libro maxime utebatur Berengarius.

SÆCULO XI, *Berengarius* turonensis, Andegavensis archidiaconus, anno 1047, primus in Ecclesia quasi aperte negavit præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia; dixit remanere in Eucharistia « ipsa panis et vini elementa », quæ essent figura corporis et sanguinis Christi. Contendit igitur omnia in signis et figuris consistere (cf. *Dict. Théol. cath.* art. « Béranger »).

Hæresis Berengarii damnata est sub S. Gregorio VII, in Concilio Romano VI, 1079 (cf. Denz. 355), ubi invenitur jusjurandum præstitum a Berengario, qui errores suos sic retractare debuit:

« Ego Berengarius corde credo et ore confiteor, *panem et vinum,* quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis et verba nostri Redemptoris *substantialiter converti* in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Jesu Christi Domini nostri et post consecrationem *esse verum Christi corpus,* quod natum est de Virgine, et

quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris, *et verum sanguinem Christi,* qui de latere ejus effusus est (et ibi esse), non tantum per signum et virtutem Sacramenti, sed *in proprietate naturæ* et *veritate substantiæ,* sicut in hoc brevi continetur et ego legi et vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet et hæc Sancta Dei Evangelia ».

Berengarii hæresim scriptis impugnarunt *Aldemannus, Hugo Lingonensis* episcopus, Lantfrancus, Durandus Troarnensis, abbas, Guitmundus et Algerus. Videtur certum Berengarium obiise catholicum et pœnitentem anno 1088, quidquid in contrarium dicant scriptores Calvinistæ.

SÆCULO XII, *Petrus de Bruis* et Petrobrussiani et Henriciani impugnaverunt directe transsubstantiationem, dicendo: Christus quidem in ultima cœna panem in corpus suum convertit, sed hanc potestatem non dedit Apostolis et successoribus eorum. Contra hanc hæresim scripserunt Petrus Cluniacensis et S. Bernardus.

SÆCULO XII, *Waldenses et Albigenses* transsubstantiationem et præsentiam realem negaverunt. S. Dominicus plures ex illis prædicatione sua et miraculis convertit.

SÆCULO XIV, *Wicleff, anglus,* contendit substantiam panis et vini remanere in Eucharistia et Christum in ea esse non realiter, sed virtualiter tantum et sacramentaliter (cf. *Dict. Théol.* art. « Eucharistie », col. 1320 sq.). Wicleff damnatus est sub Martino V, in Concilio Constantiensi, sess. 8 (Denz. 581 sq.); ejus propositiones damnatæ sunt sequentes: « substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris ». « Accidentia panis non remanent sine subjecto in eodem sacramento ». « Christus non est in eodem sacramento identice et realiter (in) propria præsentia corporali ».

Joannes Hus secutus est errores Wicleffi, ut constat ex ejus damnatione (cf. Denz. 651, 667): « Utrum credat et asserat, quod facta consecratione per sacerdotem, sub sola specie panis tantum et præter speciem vini, sit vera caro Christi et sanguis et anima et deitas et totus Christus, ac idem corpus absolute et sub una qualibet illarum specierum singulariter ». Ac proinde non reprobanda est communio pro laicis sub specie panis tantum.

SÆCULO XVI. — *Lutherus* dixit quidem usque ad finem vitæ suæ se non posse negare præsentiam realem, quia nimis clara sunt verba Sacræ Scripturæ (cf. Epistolam ejus ad Argentoratenses), attamen docuit non transsubstantiationem, sed consubstantiationem, scil. corpus Christi esse *cum* pane, *in* pane, *sub* pane; et hanc præsentiam realem sic explicatam non admisit *nisi durante cœna,* non vero post communionem, ita ut, si remaneant hostiæ consecratæ, Christus non sit realiter præsens in illis, nec proinde adorandæ sunt. Hoc est directe contra adorationem SS. Sacramenti (cf. *Dict. Théol.* art. « Luther »).

Sed discipuli Lutheri, via erroris aperta, in eam processerunt, et renovaverunt hæresim Berengarii, directe contra præsentiam realem. Ita Carlostadius, Zwinglius helveticus, Œcolampadius, Petrus Martyr, et Sacramentarii qui dixerunt Eucharistiam non esse nisi *symbolum* ad fidem excitandam ac proinde *vacuam* Christi imaginem aut memoriam (cf. *Dict. Théol. Cath.* art. « Carlostadt » et art. « Sacramentaires », et *Zwinglii opera,* 1832, III, 240).

Calvinus de præsentia reali loquitur modo ambiguo et subobscuro; dicit quandoque Christum esse in Eucharistia *realiter,* sed tantum præsentia objectiva per fidem; *substantialiter* quoque, sed tantum *ratione effectuum* quos producit in nobis, communicando nobis suam *virtutem* et vitam, si fidem retineamus (cf. *Institutiones* l. IV, c. 17, n. 5-21, 32). Dicit: « sufficit Christum... propriam vitam in nos diffundere, quamvis in nos non ingrediatur caro Christi ». Satis evidenter inculcat Eucharistiam esse dumtaxat signum et figuram corporis et sanguinis Christi, nec Christum esse præsentem nisi per fidem et secundum suam virtutem. Sic renovatur ab his discipulis Lutheri hæresis Berengarii. Error in his rebus non potest multum innovare, semper eandem negationem recitat.

Sociniani qui fuerunt primi Protestantes liberales, dixerunt cum Calvinistis Christum non esse corporaliter præsentem in Eucharistia; unde verbum *est* (in formula: Hoc est corpus meum) sumpserunt pro *significat,* sicut dum, ostendendo effigiem Ciceronis, dicitur: Hic est Cicero. Imo Sociniani exaggeraverunt errorem primorum protestantium, negando contra eos hoc sacramentum esse sigillum, seu figuram efficacem gratiæ.

Spinoza, ut constat ex quadam ejus epistola, negavit et cum magno contemptu præsentiam realem.

Denique sæculo XX *Modernistæ,* sequentes vestigia protestantium liberalium, negaverunt factum institutionis Eucharistiæ a Christo et contenderunt Cœnam initio fuisse *nudam commemorationem* Christi absentis, quæ paulatim, cum evolutione conscientiæ christianæ, facta est cœna ritualis seu liturgica. Ita Loisy, *Autour d'un petit livre,* p. 161-169, 237; *L'Evangile et l'Eglise,* ed. 4ª, p. 180 sq.; *Les Evangiles synoptiques,* t. II, p. 538 sq. (cf. Denz. 2045, 2049, 2079).

Inter modernistas, *pragmatistæ* præsertim Ed. Le Roy (*Dogme et critique,* 1907, p. 258-282), dixerunt (cf. Denz. n. 2026): « Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo juxta sensum practicum, id est tanquam norma præceptiva *agendi,* non vero tanquam norma *credendi* ». N. 2041: « Sacramenta eo tantum spectant, ut in mentem hominis revocent præsentiam Creatoris semper beneficam ». Secundum hunc pragmatismum dicere: « Hoc *est* corpus meum » est dicere: vos debetis ita *vos gerere* erga Eucharistiam, sicut erga Christi personam, non tamen affirmatur realis ejus præsentia.

* * *

Doctrina catholica. — Quænam est *doctrina catholica* de præsentia reali, secundum Concilia, præsertim secundum Concilium Tridentinum contra protestantes?

— Concilium Lateranense IV, œcum. anno 1215, contra Albigenses (cf. Denz. 430) definivit: « Una est fidelium universalis Ecclesia..., in qua idem ipse sacerdos est sacrificium, Jesus Christus, cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini *veraciter continentur,* transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina ».

— Concilium Lugdunense II, œcum. anno 1264 (Denz. 465). Professio fidei Michælis Palæologi: « In ipso sacramento Eucharistiæ, panis vere *transsubstantiatur* in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi ».

— Concilium Florentinum, œcum. anno 1438 sq. (Denz. 698): « Ipsorum verborum (consecrationis) virtute substantia panis in corpus, et substantia vini in sanguinem *convertuntur*: ita tamen quod *totus* Christus continetur sub specie panis et *totus* sub specie vini ».

— *Concilium Tridentinum* speciatim n. 883: « Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri *vere, realiter* et *substantialiter* corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo *ut in signo* vel *figura,* aut *virtute,* anathema sit ».

Hoc sic explicatur in capite correlativo n. 874: « Neque enim hæc inter se pugnant ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat *juxta modum existendi naturalem,* et ut multis nihilominus aliis in locis *sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit* ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo... credere debemus ». Et declaratur ibidem n. 876 et 886 quod *hæc præsentia realis non est solum in usu sacramenti,* dum sumitur, verum etiam *ante* ab instanti consecrationis, et *post* in hostiis consecratis *remanentibus et adorandis.* In canone 2 (Denz. 884) agitur de transsubstantiatione.

Verba principalia canonis 1, sess. 13 Concilii Tridentini (Denz. 883) sunt ponderanda: « Si quis negaverit, in Sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri *vere, realiter et substantialiter* corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde *totum* Christum..., anathema sit ».

Vere significat non in signo tantum, ut dicitur in fine ejusdem canonis, contra omnes Sacramentarios.

Realiter, id est non solum repræsentative, nempe, non solum secundum præsentiam objectivam per fidem, ut aiebat Calvinus, sed in re.

Substantialiter, id est, ut dicitur in fine ejusdem canonis, *non tantum in virtute,* contra Calvinistas dicentes, substantiam corporis Christi esse in cælo tantum, in cœna vero secundum quamdam ejus virtutem aliquomodo ut sol sua virtute præsens est in terra.

Ex ea definitione constat etiam contra Socinianos, protestantes liberales et modernistas, quod in formula « Hoc *est* enim corpus meum », verbum *est* non sonat solum ut verbum *significat,* sicut de effigie Ciceronis dicitur: « hic est Cicero ». Verbum *est* significat identitatem realem prædicati et subjecti, scil.: « Hoc quod in manibus teneo est idem ens reale ac corpus meum », sicut dum dicitur: Petrus est homo, hoc est dicere: Petrus est idem ens reale quod est homo. De significatione generali verbi *est* cf. S. Thomam Iª, q. 13, a. 12.

* * *

AN IN SACRA SCRIPTURA EXPLICITE EXPRIMATUR HÆC FIDES ECCLESIÆ

Jamquidem textus Sacræ Scripturæ breviter examinavimus ad ostendendum quod Christus ipse *instituit* sacramentum Eucharistiæ, nunc profundius examinandi sunt ad ostendendum quod in eis exprimitur *præsentia realis.* Hæ duæ quæstiones quidem quodammodo uniuntur, sed secunda plus dicit quam prima. Sic multi protestantes admiserunt institutionem Eucharistiæ ab ipso Christo, sed in ea negaverunt præsentiam realem.

Secundum Traditionem veritas præsentiæ realis explicite exprimitur tribus principalibus locis: I° In verbis *promissionis* apud Joannem (VI, 26-72). — II° In verbis *institutionis* apud Synopticos et S. Paulum (I Cor. XI, 23). — III° Denique in I Cor. X, 14-21 et XI, 27-29 *circa usum Eucharistiæ* et de his qui « non dijudicant corpus Domini ».

I. — DE REALI PRÆSENTIA UT EXPRIMITUR IN VERBIS PROMISSIONIS

(Joann. VI, 26-59) cf. J. Vosté O. P. *Studia Joannea,* Romæ, 2ª ed. 1930, p. 139-207.

Status quæstionis: *Sermo de pane vitæ* refertur a 26-59, post narrationem miraculorum multiplicationis panum et ambulationis super aquas.

De hoc autem sermone Domini *triplex* datur interpretatio:

1° *Quidam totum sermonem* intelligunt *de Eucharistia,* ita tamen ut Christus prius loquatur (26-47) de fide, sed prout requiritur ad Eucharistiam fructuose accipiendam, de qua (48-59).

Ita existimant inter catholicos Cornelius a Lapide, Toletus, Corluy, Perrone, Pesch, Billot, etc. Ita etiam aliqui protestantes ut Holtzmann,

Reville, Goguel, sed hi ultimi dicunt: Christus agendo de Eucharistia non loquitur nisi *de dono mere spirituali;* unde admittunt quod sit sermo de Eucharistia, sed negant præsentiam realem in Eucharistia.

2° *Alii totum sermonem* dicunt esse *de fide in Christum* ad salutem necessaria, non de Eucharistia. Ita multi protestantes, et pauci theologi catholici, Gabriel, Cajetanus, Tapper, qui etiam ultimam partem sermonis intellexerunt de manducatione spirituali per fidem.

3° *Denique communis catholicorum sententia* distinguit tres partes in hoc sermone:

in 1ª (1-25) agitur de cibo materiali seu de multiplicatione quinque panum;

in 2ª (26-48) agitur de cibo mere spirituali, scil. de fide in Christum qui est panis vitæ credentibus in Ipsum;

in 3ª (48-59) agitur *de promissione Eucharistiæ,* seu de reali manducatione carnis Christi.

Sic est gradatio normalis. Christus sumit ex miraculo multiplicationis panum occasionem loquendi de altiori pane vitæ, dicens v. 35: « Ego sum panis vitæ; qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam ». Denique, in tertia parte sermonis, a v. 48, loquitur de pane eucharistico per modum promissionis. Ita senserunt S. R. Bellarminus, Maldonatus, Billuart, Patrizi, Franzelin, Knabenbauer, Calmes, Fillon, J. Vosté, van Noort, Hugon; quamvis quidam dicant tertiam partem incipere non in v. 48, sed 52 (cf. Vosté « Studia Joannea » p. 174).

Quidquid igitur sentiendum est de secunda parte sermonis, examinanda est tertia pars a v. 48-59.

In ea autem octies invenitur verbum *manducare,* ter verbum *bibere,* item verba *cibus* et *potus.* Quæritur de quanam manducatione est sermo: agiturne de manducatione mere spirituali per fidem?

Attente examinandus est textus hujusce c. VI a v. 48 ad 59: « Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur... Qui manducat hunc panem, vivet in æternum ».

Solutio: Interpretatio communis catholicorum ad explicationem hujusce textus affert plura argumenta:

Primum est ad statuendum quod *prædicta verba sunt litteraliter et proprie intelligenda;* et quod sic litteraliter intellecta exprimunt promissionem cibi et potus, quæ *ore* sumenda sunt, et quæ vere sunt caro et sanguis Christi.

Quod autem verba Christi sint *litteraliter ac proprie* intelligenda et non metaphorice, hoc multipliciter constat:

a) Christus (v. 52) ait: « Panis quem ego *dabo* caro mea est pro mundi vita », ergo agitur de ejus carne danda ut cibus *in futuro* (dabo); atqui manducatio metaphorica Christi per fidem, seu ipsa fides, non erat tunc donum futurum, sed est omnium temporum.

b) Christus sæpius *distinguit inter carnem* et *sanguinem,* inter cibum et potum; atqui spiritualis manducatio non eget ista distinctione; in perceptione enim Christi per fidem idem est manducare et bibere.

c) Imo v. 56 dicit: « Caro enim mea *vere* est cibus, et sanguis meus *vere* est potus ». Istud adverbium *vere* proprietatem locutionis exprimit, idem sonat ac litteraliter, imo proprie, et non metaphorice, ut notat Knabenbauer.

d) Christus promittit *donum præstantius manna* v. 49-59. Ergo est, sicut manna, panis *realiter manducandus,* et insuper agitur de pane qui *realiter* est corpus Christi, alioquin non esset præstantius manna.

e) Christus dicit v. 57: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, *in me* manet et *ego in illo* ». Si autem per hanc carnis Christi manducationem Christus est vere in communicante, ergo manducatio illa realis est et non metaphorica.

f) Denique Christus *non incidenter,* nec semel tantum, sed *verbis multoties repetitis* loquitur de hac manducatione. Hæc autem repetitio sine dubio proprietatem locutionis omnino subaudit. Non ita insisteret, si ageretur de metaphora tantum.

Si autem hæc verba Christi sunt litteraliter et proprie intelligenda, manifeste exprimunt promissionem alicujus cibi et potus, quæ *ore* sumenda sunt et vere sunt caro et sanguis Christi.

1ª Confirmatio habetur *ex impossibilitate sensus metaphorici,* nam metaphorice loquendo hæc locutio « carnem alicujus manducare » apud judæos significat calumniare, odio prosequi (cf. Ps. XIII, 4; Ps. XXVI, 2; Job. XIX, 22; Gal. V, 15). Item metaphorice sumpta alia locutio « alicujus sanguinem bibere » significat infligere ei gravissimam vindictam (cf. Is. XLIX, 26; Apoc. XVI, 6). Ergo si Christus metaphorice locutus fuisset, hoc secundum consuetudinem judæorum significasset: « nisi me odio prosecuti fueritis, non habebitis vitam in vobis » vel metaphora fuisset omnino inintelligibilis pro auditoribus.

2ª Confirmatio *ex modo agendi Christi.* — Christus hoc momento proprie *præcipit* carnem suam manducare sub pœna mortis spiritualis, dum ait v. 54: « Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis... Qui manducat meam carnem... habet vitam æternam et ego resuscitabo eum in novissimo die ». Nemo autem enuntiat *præceptum* verbis ambiguis et obscuris metaphoris.

Insuper Christus certe nolebat auditores decipere. Atqui Judæi, discipuli et Apostoli verba Christi *sensu proprio* intellexerunt et Christus non correxit eorum interpretationem, imo intensiori affirmatione eam corroboravit.

Hæc confirmatio evidens est, nam legitur v. 53: « Litigabant Judæi invicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare *ad manducandum*? ». Et Christus, qui uno verbo potuisset metaphoram explicare, sensum intellectum non corrigit sed explicitius proponit, sexies repetit et jurejurando confirmat (54-59): « Amen, amen dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis... Caro mea *vere* est cibus... ».

Imo, ut legitur v. 61: « multi dixerunt: Durus est hic sermo et quis potest eum audire? »; Christus autem nihil de sua doctrina retractat et hos discipulos sic scandalizatos ob talem promissionem abire sinit. Cf. v. 67: « Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant ». Hoc autem Christus, mitis et humilis corde, potuisset impedire, explicando metaphoram, si fuisset metaphora, si ageretur solum de fide in Redemptionis mysterio.

Denique Christus dicit Apostolis, v. 68: « Numquid et vos vultis abire? ». Respondit ergo ei Simon Petrus, qui tamen intellexerat sicut alii promissionem in sensu litterali et proprio: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes ».

Plures exegetæ et theologi corroborant hanc communem interpretationem ex consueta ratione agendi Christi, secundum quod objectio quæ ei proponebatur fiebat au ex errore involuntario, aut ex resistentia et mala voluntate. Quoties enim objectio procedit ex involuntario errore, tunc Christus benigne mentem suam clare explicat. Sic ostendit Nicodemo quo sensu sit renascendum (Joan. III, 3-6), quali modo necesse sit nos esse Abrahæ filios (VIII, 32-44), in quo consistat somnus Lazari, qui vere mortuus erat (XI, 11-14), quid sit fermentum Pharisæorum (Matth. XVI, 6-11). — E contrario, quando auditores *credere nolentes* se opponunt doctrinæ rite intellectæ, Christus assertionem suam solemniter repetit et confirmat; ita faciet postea Ecclesia contra hæreticos solemni judicio, quando suum ordinarium magisterium universale nolunt admittere: tunc solemniter definit veritatem revelatam, sub pœna anathematis. Ita Christus fecit contra Pharisæos, vg. Quando sibi vindicavit potestatem remittendi peccata (Matth. IX, 2-7), quando expresse et iterate declarat se majorem esse Abraham (Joan, VIII, 56-58) etc. Pariter in casu nostro interpretationem non corrigit, nihil explicat, sed eundem sermonem multoties repetit et confirmat, et ait v. 65: « Sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes ».

Remanet ergo quod sensus verborum Christi erat sensus litteralis et proprius.

3ª Confirmatio denique habetur *ex consensu Patrum*, qui potest dici moraliter unanimis, ut ostendit S. Bellarminus, et *ex usu conciliorum* in quibus non raro citantur verba Domini in hoc capite VI Evangelii secundum Joannem contenta, quando agitur de Eucharistia.

Concedendum est quidem *S. Augustinum* et quosdam alios Patres quandoque hunc locum exposuisse sensu mystico de manducatione spirituali; at nunquam negarunt debere etiam intelligi sensu litterali de propria seu corporali manducatione; imo hoc alibi dixerunt. Sed optime tenebant quod sæpe verba sacræ Scripturæ præter sensum litteralem continent mysterium et sensum spiritualem [1].

Etiam *Concilium Tridentinum,* agendo de Eucharistia (Denz. 876) citat caput VI Joannis, 58: « Qui manducat me, et ipse vivet propter me ». Item agendo de communione, n. 930.

Difficultas est quoad v. 64: « *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt ». Dicunt plures protestantes: Christus sic promissionem explicat de spirituali manducatione, corrigendo erroneam capharnaitarum intelligentiam: id est non agitur de corporali, sed de spirituali manducatione per fidem.

Respondent exegetæ catholici et theologi: Christus nihil retractat de interpretatione litterali ac propria, sed explicat solum *qua ratione* ejus caro sit manducanda, scil. credendo eam esse carnem Salvatoris, seu panem vitæ, qui de cælo descendit, ut supra dictum est v. 41 et 48. *S. Thomas, in Joan. VI,* 64 ait: « Dominus dicebat daturum se eis sicut spiritualem cibum, non quin sit in sacramento altaris vera caro Christi, sed *quia quodam spirituali et divino modo manducatur.* Sic ergo dictorum verborum congruus sensus est non carnalis sed spiritualis ». Hæc est interpretatio obvia.

Agitur de manducatione non mere materiali, sed simul spirituali, scil. *in spiritu fidei in Christum Salvatorem.* Sic diximus supra quod pro his qui non possunt sacramentaliter sumere corpus Christi, sufficit votum etiam implicitum Eucharistiæ.

Insuper, ut ait S. Augustinus, tr. 27 *in Joan.*: « Caro non prodest quidquam » modo quo illi (capharnaitæ) intellexerunt, « quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur », quia revera caro Christi non erat manducanda sub specie propria sed sub specie panis, ut constat postea ex institutione Eucharistiæ.

Ultima Confirmatio: Si in c. VI Evangelii secundum Joannem non ageretur de pane eucharistico, tunc in hoc Evangelio non esset sermo de Eucharistia; quod est quasi incredibile, nam de ea agitur in tribus aliis Evangeliis et ita expresse in I Cor. XI, ut jam appareat velut centrum cultus in Ecclesia primitiva. Hæc totalis omissio esset fere inexplicabilis. E contrario, ut supra notatum est, explicari potest quod Evangelium secundum Joannem non loquatur de ipsa institutione Eucharistiæ expresse narrata in aliis Evangeliis prius compositis, quia jam locutum est de promissione Eucharistiæ in cap. VI, de qua promissione nihil dixerant Synoptici.

[1] Sic supra diximus quod pro his qui non possunt sacramentaliter sumere corpus Christi, sufficit votum etiam implicitum Eucharistiæ.

II. — DE PRÆSENTIA REALI SECUNDUM VERBA INSTITUTIONIS EUCHARISTIÆ

Ut narrant Synoptici et S. Paulus, id quod Christus promiserat, præstitit in ultima cœna.

Quatuor narrationes manifeste conveniunt quoad rei substantiam.

Consecratio panis sic refertur:

1° apud Matth. XXVI, 26: Accipite et comedite: *hoc est corpus meum.*
2° » Marc. XIV, 22: Sumite, *hoc est corpus meum.*
3° » Luc. XXII, 19: *Hoc est corpus meum,* quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.
4° » I Cor. XI, 24: *Hoc est corpus meum,* quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.

« Hoc est corpus meum » invenitur, in quatuor testimoniis.

Consecratio vini autem sic refertur:

1° apud Matth.: *Hic est sanguis meus* novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.
2° » Marc.: *Hic est sanguis meus* novi testamenti, qui pro multis effundetur.
3° » Luc.: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo,* qui pro vobis fundetur.
4° » I Cor. XI: *Hic calix novum testamentum est in sanguine meo,* hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.

« Sanguis » exprimitur in quatuor testimoniis.

Status quæstionis: Hæc institutionis verba in se clara ad figuras et metaphoras detorquentur a protestantibus. Ipse quidem Lutherus dixit usque ad finem vitæ suæ (Epist. ad Argentoratos) quod verba ista exprimunt realem corporis Christi præsentiam; sed postea multi protestantes dixerunt: si litteraliter et proprie accipiuntur, utique præsentiam realem corporis Christi exprimunt, sed in eis verbum *est* idem sonat ac *significat,* sicut in parabola seminatis apud Lucam VIII, 11 dicitur: « Semen est verbum Dei » et I Cor. X, 4: « Petra autem erat Christus ». Unde exegetæ et theologi catholici ostendunt quod prædicta verba intelligenda sunt in sensu litterali et proprio. Exegetæ quæstionem considerant magis sub aspectu philologico, theologi præsertim speculativi sub aspectu philosophico et secundum analogiam fidei, comparando scil. hos textus, cum aliis fidei documentis.

Responsio: Notandum est quod *Concilium Tridentinum solemniter declaravit sensum litteralem et proprium horum verborum Institutionis.* Cf. Denz. 874: « Ita enim majores nostri omnes quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum *in ultima*

cœna Redemptorem nostrum instituisse cum post panis vinique benedictionem *se suum ipsius corpus* illis præbere *ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis* testatus est; quæ verba a sanctis Evangelistis commemorata (Matth. XXVI, 26 sq.; Marc. XIV, 22 sq.; Luc. XXII, 19 sq.) et a Divo Paulo postea repetita (I Cor. XI, 23 sq.) *cum propriam illam et apertissimam significationem* præ se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri ».

Principale argumentum a theologis propositum circa ipsa institutionis verba est satis complexum, quia multa simul tangere debet. In eo revera est polysyllogismus, qui reductus, ut in multis manualibus, ad unum syllogismum videtur obscurus, ita ut vis ejus non satis appareat.

Sic clarius formulari potest incipiendo a communibus:

Prima regula hermeneuticæ est ut *verba Scripturæ sensu litterali et proprio accipiantur, nisi hic sensus excludatur.*

In præsenti casu autem non excluditur, sed e contrario requiritur per exclusionem sensus metaphorici.

Etenim cum *signum metaphoricum* debeat esse *auditoribus intelligibile et notum,* hæc verba « *Hoc est corpus meum* » non possunt metaphorice accipi, *nisi panis,* aut ex natura sua aut ex usu hominum aut ex prævia monitione Christi, sit *signum corporis* Christi. Atqui panis non est ex sua natura, nec ex usu, nec ex aliqua Christi monitione, *signum* corporis Christi, nec vinum est his modis signum sanguinis ejus. Ergo prædicta verba sunt litteraliter et proprie accipienda.

E contrario, ostendendo effigiem Cæsaris, dici potest sine ambiguitate: *Hic est Cæsar,* in hoc sensu: hoc *repræsentat Cæsarem,* nam effigies ostensa, ex natura sua, est repræsentatio alicujus hominis. Ridiculum esset ostendere vg. lignum informe non sculptum, et dicere: « Hic est Cæsar », nam lignum informe non est figura Cæsaris. Panis autem nullo modo est de se figura corporis Christi. Unde si Christus voluisset hoc dicere, debuisset, ad non decipiendos auditores, dicere: hoc est figura corporis mei; sed dicit proprie: « Hoc est corpus meum ».

Si autem verbum *est* in sensu litterali et proprio accipiendum est, *significat et efficit* identitatem realem subjecti *hoc* et prædicati *corpus meum.* Ergo secundum hanc propositionem corpus Christi realiter est in Eucharistia.

Ut videbimus enim in explicatione articulorum S. Thomæ (q. 78, a. 1-5) per analysim magis philosophicam hujusce formulæ, verbum *est* in omni judicio affirmativo exprimit identitatem realem subjecti et prædicati; *in judicio speculativo* hanc identitatem realem solum manifestat (cf. Iam q. 13, a. 12); *in judicio autem practico* verbum *est* hanc identitatem realem efficit. Formulæ autem sacramentorum novæ legis efficiunt id quod significant: vg. « Ego te baptizo »; « ego te absolvo »;

« signo te signo crucis » etc. Unde in prædicta formula, subjectum *hoc*, ut pronomen demonstrativum, demonstrare debet præsentiam *ipsius rei*, quæ per prædicatum enuntiatur. Prædicatum autem enuntiat *non signum* corporis et sanguinis, sed ipsum *reale et substantiale corpus Christi*, ipsumque sanguinem. Ergo in Eucharistia *vere* et *substantialiter*, non solum in signo, figura et virtute, continentur corpus et sanguis Christi. S. Thomas dicet q. 78, a. 5 c. fine: « *Hoc* nullo nomine apposito a parte subjecti, sed solo pronomine... significat substantiam in communi, sine qualitate id est forma determinante »; sicut dicitur ostendendo dolium: « *hoc est vinum*, seu contentum in dolio est vinum », in casu nostro *hoc* significat: id quod in manibus teneo.

Notant exegetæ catholici quod philologice hoc clarius adhuc apparet in textu græco, ubi repetitio *articuli* expressius determinat proprietatem verborum. Legitur enim apud Lucam XXII, 19: « τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον » et apud Matthaeum XXVI, 28: τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης.

Unde in explicatione prædictorum verborum protestantes errant, dum ea assimilant his parabolæ seminantis apud Lucam VIII, 11: « Semen est verbum Dei » vel his verbis S. Pauli I Cor. X, 4: « Petra autem erat Christus ». Etenim, ut bene notat Billuart, in explicatione parabolæ seminantis jam propositæ, Jesus ait: « Semen est verbum Dei » et tunc ex contextu clarum est quod sensus est: semen de quo agitur in parabola significat verbum Dei. Item dum S. Paulus, I Cor. X, 4, dicit agendo de antiquis Isrælitis qui mediantibus figuris credebant in Christo venturo: « Patres nostri omnes sub nube fuerunt..., omnes eandem escam spiritalem (scil. manna miraculosum) manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt (bibebant autem *de spiritali* consequente eos *petra;* petra autem erat Christus) ». Id est: Christus, futurus Salvator, cujus meritis salvati sunt, erat pro illis quasi petra spiritalis, seu firmum spirituale fundamentum salutis. Manifestum est ex contextu, ex ipsa subjecta materia, quod in hoc loco S. Pauli, sicut in parabola seminantis, sensus est metaphoricus et non proprius.

Unde merito dicunt theologi, ut Billuart, in solutione 2æ object.: « Ex eo quod in Sacra Scriptura verbum *est* quandoque usurpetur pro *significat*, stolide seu stulte infertur quod ita semper et in præsenti materia usurpetur; alioquin dicendum erit cum Socinianis, sic etiam usurpari in his propositionibus: *Verbum caro factum est; Hic est Filius meus dilectus* etc. quod negant Calvinistæ ». Negant quidem, sed, via jam modo indebito aperta ad negationem sensus litteralis ac proprii, negari potest ubique. Rursus igitur deveniendum est ad primam regulam cujuslibet exegeseos, non solum christianæ et catholicæ, sed etiam rationalis, scil.: In explicatione alicujus textus attendendum est ad subjectam materiam, ad communem usum, communem intelligentiam, et ad varias circumstantias. Alioquin summa critica est summa criticæ carentia.

Instant Protestantes: Christus dixit apud Joannem XV, 1: « Ego sum vitis vera ». Hoc autem debet intelligi sensu metaphorico. Ergo pariter dum dicit: « Hoc est corpus meum ».

Responsio: Nego consequentiam, nam manifesta est disparitas, quia dum Christus dicit: « Ego sum vitis vera », ex toto contextu constat eum metaphorice loqui et de se, et de Patre suo et de fidelibus; dicitur enim apud Joan. XV, 1-5: « Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est..., ego sum vitis vera, vos palmites ». Imo explicat metaphoram dicens: « Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis ». Nihil autem Christus protulit quo verba institutionis Eucharistiæ ad sensum figurativum explicari possint aut debeant.

Instant denique protestantes: Hæc propositio: *Hoc est corpus meum* intellecta in sensu proprio est *falsa;* quia tunc *hoc* ante conversionem quando pronuntiatur designat vel panem vel species panis et falsum est quod panis aut species ejus sint corpus Christi.

Responsio datur infra a S. Thoma q. 78, a. 5, ubi longe explicat philosophice quodlibet verbum hujusce formulæ; et ostendit quod pronomen *hoc* consideratum pro eo instanti quo pronuntiatur, non demonstrat determinate neque panem, neque species panis, et nondum corpus Christi, sed confuse et indeterminate rem aliquam, id quod in manibus teneo, seu quid commune utrique, scil. pani et corpori Christi, id est: contentum sub his speciebus, vel hoc quod præ manibus habeo. Ita dum dicitur: *hoc* est aurum et non aurichalcum, scil. hac res quam teneo.

Instant adhuc: In formula relata in I Cor. XI, 24, in aliqua lectione quæ est in usu apud græcos, dicitur: « Hoc est corpus meum, *quod pro vobis frangitur* ». Atqui corpus Christi non frangitur, sed solum figura ejus, scil. panis.

Responsio: Sensus est: corpus meum quod mox proxime frangetur in passione, non quidem quoad ossa, sed quoad carnem quæ fuit lacerata; hoc præsertim apparet ex eo quod apud Matthæum dicitur pro sanguine: « *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum* ». Non autem vinum, sed verus sanguis Christi effusus est in remissionem peccatorum, nec tunc effusus est, sed mox postea, scil. in passione. Insuper dici potest in bono sensu quod corpus Christi præsens sub speciebus jam *frangitur* non ratione sui, sed ratione specierum, sicut tangitur et distribuitur.

Ultima instantia: Sacramentum est in genere signi; atqui species panis sunt sacramentum; ergo sunt signa corporis Christi, etiam pro catholicis; remanet ergo sensus metaphoricus.

Responsio: Species panis sunt *signa* corporis Christi invisibiliter *præsentis*, concedo; *absentis*, nego. Nam verba sacramentalia non solum sunt signa, sed et signa practica quæ efficiunt id quod significant.

Unde ex examine ipsorum verborum institutionis clare constat quod sunt sensu litterali ac proprio intelligenda.

Multipliciter confirmatur hæc interpretatio:

1ª **Confirmatio** *est ex adjunctis et ex summa veracitate Christi,* qui in errorem induxisset Apostolos et universam Ecclesiam, si volens dare solum imaginem corporis sui, usus fuisset verbis, quæ ex se et clare præsentiam realem important.

Hæc confirmatio adhuc fortior apparet si consideratur, ut communiter notant theologi, quod Christus his verbis 1° *testamentum* condebat, 2° *sacramentum* instituebat, quod non negant sacramentarii, 3° *legem* sanciebat, dicens: Hoc facite in meam commemorationem, 4° *veritatem magni momenti* enuntiabat, loquendo cum amicis instante morte. Hæc autem quatuor requirunt litteralem et propriam locutionem, seu obviam, naturalem, non vero metaphoricam ac figurativam.

Nullus enim testatur per metaphoras, vg. si in testamento relinquat domum, non agitur de domo picta, sed de domo vera et reali. Item nemo legem instituit in tropis aut figuris, alioquin in earum applicatione esset error. Sic in casu præsenti esset periculum gravissimi erroris et idololatriæ. Imo Spiritus Sanctus sic prævidisset orituram idololatriam totius Ecclesiæ per plura sæcula et tunc indubie ipse Christus vel aliquis Evangelistarum hunc sensum metaphoricum indicasset, ut dicere solent in casu simili: vg. dum S. Joseph non semel dicitur pater Christi, sanctus Lucas addit, ne falleremur: *ut putabatur.* Item, dum Christus dixit: *cavendum est a fermento Pharisæorum,* Evangelista explicat hanc metaphoram de hypocrisi eorum. Item dum Christus dixit metaphorice: *Solvite templum hoc,* Evangelista exposuit de templo corporis sui. Unde dum agitur de re longe majoris momenti, Evangelistæ imo Christus ipse debuissent metaphoram explicare, ad vitandum magnum periculum erroris et idololatriæ. Hoc autem nullo modo fecerunt. Ergo hæc verba sunt in proprio sensu intelligenda.

2ª **Confirmatio** habetur *ex conditione Apostolorum* hæc verba audientium. Erant enim homines simplices, ac proni ad omnia *litteraliter* accipienda secundum sensum naturalem et obvium. Dicunt quidem sacramentarii: Si Apostoli sensum proprium intellexissent, turbati fuissent, et explicationem expostulassent.

Respondent theologi: Non turbati sunt, 1° quia jam ad id præparati erant per promissionem Eucharistiæ, quæ refertur apud Joannem c. VI, 2° quia erant miraculis Christi assueti ac parati ad fidem cito adhibendam rebus supernaturalibus, 3° præsertim hoc momento, quando Christus ultimum amoris indicium (Joan. XIII, 1) eis dedit, « in qua nocte tradebatur » (I Cor. XI, 23).

3ª **Confirmatio** habetur ex perfecta *uniformitate* Synopticorum inter se et cum S. Paulo, in Epist. I ad Cor. Hæc uniformitas ingerit ideam *veri* corporis ac *veri* sanguinis, nec ullum verbum addunt Evangelistæ ad metaphoram insinuandam. Imo hæc uniformitas narrationis non potest explicari nisi ex intentione sensum litteralem ac proprium referendi et urgendi.

4ª **Confirmatio** habetur *ex variationibus et contradictionibus protestantium.* Ab anno 1577 numerantur circiter ducentæ hæreticorum expositiones, quarum nulla plene ipsis placuit. Jamvero hæc impossibilitas stabiliendi sensum metaphoricum, satis clare ostendit hæc verba esse in sensu litterali ac proprio accipienda.

* * *

III. — ULTIMUM ARGUMENTUM EX SACRA SCRIPTURA SUMITUR EX VERBIS S. PAULI CIRCA USUM EUCHARISTIÆ

Circa hoc datur testimonium S. Pauli (I Cor. XI, 27-29): « Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, *reus erit corporis et sanguinis Domini.* Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, *judicium sibi manducat, et bibit,* NON DIJUDICANS CORPUS DOMINI ».

Secundum hunc textum, ille qui Eucharistiam indigne sumit, *reus* est *corporis* et *sanguinis Domini,* quatenus *non dijudicans ejus corpus.* Atqui non ita esset, si Eucharistia esset solum *figura* corporis Christi, nam tunc homo potius judicare deberet non esse ibi corpus Domini. Ad summum, Christi personam tantum offenderet, ritum sacrum male tractando, sed non deberet reprehendi ex hoc quod non dijudicat corpus Domini. Item si Eucharistia non est nisi figura corporis Christi, ut manna aut agnus paschalis, tunc erat pariter reus corporis Domini, ille qui indigne comedebat manna aut agnum paschalem, aut ille qui nunc conculcat Christi imagines. Manifestum est autem quod S. Paulus loquitur in prædicto textu de speciali sacrilegio, seu de sacrilega communione.

Confirmatur ex hoc quod dicit Apostolus paulo antea (I Cor. X, 14, 16): « Carissimi mihi, fugite ab idolorum cultura... *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui *de uno pane* participamus... Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum ».

Hæc autem affirmatio S. Pauli non potest esse vera sine præsentia reali. Id est non possumus *corpori* et *sanguini* Christi in Eucharistia communicare nisi sint ibi realiter (cf. S. Bellarminum, *Controversiæ de Sacra Eucharistia,* l. I, c. 12; Batiffol, *L'Eucharistie,* 2ª ed., p. 96, sq.; Prat, *La Théologie de saint Paul,* t. 1, p. 160, sq.). Hoc argumentum præsentiam realem manifeste demonstrat si sumatur in connexione cum verbis institutionis in I Cor. XI, 23-25 et in Synopticis. Cf. etiam *Actus Apost.,* II, 46: « (Primi discipuli) quotidie (erant) perdurantes

unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis ».

Contra Modernistas notandum est quod Epistola I Cor. composita est juxta Cornely anno 58, juxta Jacquier 55-58, juxta Harnack 53, juxta Julicher 56-57. Ergo ex his textibus constat quod jam inter annos 53-57 celebrabatur Eucharistia, non ut ritus humanus et novus, sed ut ritus sacer ab ipso Christo institutus, in memoriam suæ mortis. « Hoc facite in meam commemorationem ». Atqui impossibile est ut tam exiguo temporis spatio, facta fuerit, in communitate, quæ a novitatibus abhorrebat, *evolutio* ad quam modernistæ appellant, nempe mutatio vulgaris cœnæ in ritum sacrum et sacramentalem. Non fuit sufficiens tempus ad progressivam idealisationem.

Unde damnata est hæc modernistarum propositio (Denz. 2049): « Cœna christiana paulatim indolem actionis liturgicæ assumente, hi, qui Cœnæ præesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt ».

* * *

DE TRADITIONIS ARGUMENTO CIRCA PRÆSENTIAM REALEM

Non intendimus hoc argumentum longe exponere, hoc fit in patrologia et in historia dogmatum; volumus solum theologice determinare naturam hujusce argumenti, breviter indicando quotuplici traditione nititur, quia non raro fit confusio inter varias traditionis species, quæ omnes aliquid dicunt de Eucharistia, a primo sæculo. Hoc bene exponitur a P. Berthier O. P. in tr. *de Locis theol.* ubi loquitur de Traditione.

Definitio Traditionis christianæ clare habetur in Concilio Tridentino (Denz. 783) ubi dicitur quod « veritas salutaris revelata continetur in libris scriptis, et *sine scripto traditionibus,* quæ *ab ipsius Christi ore* ab Apostolis acceptæ, aut *ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante* quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt ». Item Concilium Vaticanum (Denz. 1792).

Traditio sic definita est igitur *Traditio doctrinæ revelatæ,* non vero doctrinæ a Patribus deductæ ex revelatis. Propterea hæc *Traditio* vocatur *divina,* et est aut dominica, si ab ore ipsius Christi provenit, aut divino-apostolica, si ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante.

Objectum igitur ejus est doctrina proprie a Deo revelata; et organum ejus est magisterium infallibile legitimorum pastorum Ecclesiæ.

Ab hac igitur Traditione proprie divina attente distinguendæ sunt *traditiones humanæ,* licet *ecclesiasticæ,* vel etiam *apostolicæ,* quæ non oriuntur ex revelatione divina, sed referunt mandata vel institutiones quas Apostoli sua auctoritate introduxerunt aut etiam sententiam Patrum proprio nomine loquentium, ut doctores privati, et non in nomine

Dei revelantis, ut testes Ecclesiæ. Hæ autem omnes species traditionis de Eucharistia loquuntur, cum diversa auctoritate.

Sic scribi potest:

Traditio christiana
- *divina* seu revelata
  - 1° *mere oralis* quæ nullo modo in Scriptura invenitur;
  - 2° *declarativa* ipsius sensus Scripturæ;
  - 3° *inhæsiva,* seu in Scriptura contenta. V. g., Traditio de sensu litterali verborum: « Hoc est corpus meum ».
- *humana* non revelata
  - quæ refert mandata vel institutiones quæ non sunt revelatæ, sed proveniunt ab Apostolis aut a Patribus proprio nomine loquentibus.

De traditionis divinæ momento.

Cf. Berthier, *De locis theologicis,* p. 12.

Schultes, *De Ecclesia,* p. 576, vocat Traditionem mere oralem, « traditionem constitutivam vel distinctam », aliam vocat « Traditionem complete acceptam ».

Cf. Hervé, *Dogmatica,* t. I, n. 556 — (divisio) et n. 565 *Traditio divina est prior et amplior quam Scriptura* et est norma suprema interpretationis Scripturæ:

prior ordine temporis, quia præcessit;

prior ordine cognitionis, in hoc sensu quod Scriptura non plene agnoscitur nisi dependenter a Traditione seu a Magisterio vivo Ecclesiæ;

prior ordine comprehensionis, quia doctrina revelata, tam scripta quam non scripta, integra conservatur et incorrupta traditur per perpetuum et vivens Magisterium apostolicum.

Sic Traditio est simul, sub duplici aspectu, fideli regula remota et proxima:

remota ut est in monumentis antiquitatis investigandis;

proxima ut actualiter hic et nunc proposita per infallibile magisterium, cf. Billot, *De Traditione,* c. 1, § 3, 4.

Ex prædictis apparet momentum Traditionis divinæ et eam non esse infra Scripturam [1].

Quoad præsentem nostram quæstionem, sicut quoad SS. Trinitatem ante Concilium Nicænum, oportet bene distinguere id quod priores Patres et etiam S. Augustinus dixerunt *ut testes Ecclesiæ* ad ipsam re-

[1] Unde P. Berthier, *De locis theol.* p. 12, 29, recte dicit quod Traditio divina sic sub omni aspectu considerata, et non solum ut Traditio divina mere oralis, est *fons adæquatus revelationis;* nam id quod continetur in Scriptura, ante compositionem Scripturæ transmittebatur Traditione.

velationem divinam transmittendam, et id quod dixerunt *ut doctores privati* ad explicationem velut theoreticam mysterii revelati, et ad solvendas objectiones adversariorum.

Hoc clarius apparet, in memoriam revocando varia Traditionis divinæ organa:

Organa autem Traditionis divinæ, ut dicitur in Concilio Vaticano (Denz. 1792), *sunt vel solemne Ecclesiæ magisterium, vel ejus ordinarium et universale magisterium:* « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, *tanquam divinitus revelata credenda* proponuntur ». In hoc non agitur de conclusionibus theologicis, quia non sunt veritates simpliciter revelatæ sed veritates ex revelatis deductæ.

Solemne autem magisterium Ecclesiæ exprimitur in definitionibus dogmaticis et in symbolis ac professionibus fidei.

Ordinarium ac universale Ecclesiæ magisterium exprimitur præsertim quadrupliciter: 1° *in prædicatione moraliter unanimi Episcoporum,* 2° *in praxi* universali cum dogmate connexa, vg. non rebaptizandi hæreticos aut orandi pro defunctis, 3° *in consensu Patrum et Theologorum* dum asserunt aliquid esse revelatum et hoc *ut testes Ecclesiæ* non ut doctores privati, 4° *per communem fidelium sensum circa res fidei et morum,* seu per sensum christianum qui se habet in ordine supernaturali, sicut sensus communis in ordine naturali. Hic consensus fidelium circa res fidei, si est certus et unanimis, est criterium seu signum veritatis revelatæ, propter indefectibilitatem Ecclesiæ, quæ non potest esse societas errantium. Sic Augustinus contra Pelagianos ostendit existentiam peccati originalis in parvulis et necessitatem baptismi pro eisdem, ex communi fidelium sensu, quem pro fidei firmissimo argumento adhibet. Hæc infallibilitas *passiva* fidelium pendet ab infallibilitate *activa* Ecclesiæ docentis, qua semper regulari debet.

Unde ad recte et complete tractandum de argumento Traditionis circa præsentiam realem, oporteret ostendere quid transmissum est ut revelatum ab his diversis organis magisterii, tum solemnis tum ordinarii; et postea etiam referre traditiones humanas, quæ non sunt quid revelatum, sed oriuntur ex sententia vel consuetudine Apostolorum aut Patrum.

Est labor immensus; sufficit recolligere principales conclusiones eorum qui recentius de his rebus scripserunt: cf. *Dict. Théol. cath.* art. « Eucharistie » (G. Bareille) — *Dict. Apologétique,* art. « Eucharistie » (Lebreton) — Rouet de Journel, *Enchiridion Patristicum.*

* * *

Patrum testimonia referenda sunt pro quatuor prioribus sæculis, nam, teste Zwinglio, tempore Augustini sententia de præsentia reali jam clare admittitur in Ecclesia.

Prænotandum est multos Patres nonnisi obiter de præsentia reali agere, quia hæc veritas ab hæreticis nondum negata erat; sed simul de ea loqui tanquam de re omnino certa et nota, qua utuntur ad alia dogmata illustranda.

S. Thomas in art. 1, q. 75 citat S. Hilarium, S. Ambrosium et S. Augustinum et, ut statim videbimus, ejus interpretatio eorum testimoniorum confirmatur per recentiores labores theologiæ positivæ.

SÆCULO II præsentiam realem tanquam omnibus notam supponunt S. Ignatius Antiochensis, S. Justinus, S. Irenæus. Cf. Rouet de Journel, *Ench. Patr.*, n. 64, 128, 234.

Hic locis S. Ignatius reprobat Docetas qui « ab Eucharistia et oratione abstinent eo quod non confitentur Eucharistiam esse carnem Salvatoris ». S. Justinus declarat Eucharistiam non esse panem communem, sed incarnati Verbi carnem et sanguinem. Ita pariter S. Irenæus dicit Eucharistiam « esse corpus Domini et calicem esse sanguinem ejus ».

SÆCULO III clarum testimonium habetur apud Patres Alexandrinos Clementem et Origenem, et apud Tertullianum.

Clemens et Origenes, quando ut testes fidei loquuntur, Eucharistiam vocant carnem et sanguinem Verbi [1]. Item Tertullianus (Journel, 362). Si vero alibi dicunt Eucharistiam esse *figuram* corporis Christi, intelligunt figuram non vacuam, sed corpus Christi continentem [2].

Dicit Tertullianus: « Caro corpore et sanguine Christi vescitur ut et anima de Deo saginetur » (*De resurrectione carnis* 8, P. L. II, 806; Journel 362); « Panis et calicis sacramento jam in Evangelio probavimus corporis et sanguinis dominici veritatem » (*Adv. Marcion.*, V, 8).

SÆCULO IV clara sunt plura testimonia S. Cyrilli Hierosolym., S. Joannis Chrysostomi, S. Hilarii, S. Ambrosii et S. Augustini.

S. Cyrillus Hierosolym. (Journel 840, 842-848) declarat panem et vinum consecratione peracta *fieri corpus et sanguinem Christi.* Quando igitur dicit panem esse figuram corporis Christi, vult dicere figuram rei non absentis sed realiter præsentis sub speciebus panis. Hoc etiam explicite affirmant Theodorus Mopsuestenus et S. Joannes Chrysostomus.

Cf. Journel 1113, 1179, 1180.

Item S. Hilarius et S. Ambrosius citati a S. Thoma art. 1, 75 in argumento « sed contra »; sunt textus classici: *Hilarius* enim dicit in l. VIII de Trinitate n. 14 (Journel 870): « *De veritate carnis et sanguinis Christi non est relictus ambigendi locus;* nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra, *caro ejus vere est cibus,* et *sanguis ejus vere est potus* ». *S. Ambrosius,* in l. *De mysteriis,* c. 9, n. 50, 53 (Journel 1333, cf. 1270): « *Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine*

1 Cf. P. J. Lebreton, *Dict. Apol.*, « Eucharistie », c. 1568.
2 Cf. Tertulliani *Adv. Marcion.*, V, 8.

est... *vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est* ». Auctor operis *de Sacramentis* l. IV, c. 4, e 5 quod S. Thomas in argumento « sed contra » tribuebat S. Ambrosio dicit: « Panis iste panis est ante verba sacramentorum; *ubi accesserit consecratio de pane fit corpus Christi* ».

S. Augustinus († 430) in multis textibus explicite affirmat præsentiam realem, in aliis autem, citatis initio art. 1 a S. Thoma per modum difficultatis, primo aspectu videtur dicere Christum esse symbolice non realiter præsentem in Eucharistia. Sed dubia verba intelligenda sunt secundum ea quæ sunt clariora.

Clare autem affirmat realem præsentiam in Sermone 272 (Journel 1524, P. L. t. 38, c. 1246): « Quod videtis panis est, quod autem fides vestra postulat instruenda, *panis est corpus Christi; calix autem sanguis Christi* ». Item Sermo 227; Journel 1519.

Item Enarrat. I^a in Ps. 33, n. 10, Journel 1464: « Nemo carnem illam manducat, nisi prius adoraverit; ... non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando ». Item *de Trinit.* l. III, c. 4, n. 10, Journel 1652. Cf. Journel, *Index theologicus*, n. 484 sq.

Enarrat. in Ps. 33, 1, 10, P. L. t. 36, 306: « *Ferebatur Christus in manibus suis*, quando commendans ipsum corpus suum ait: « Hoc est corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus suis ».

Unde quando S. Augustinus, in locis minus claris, dicit Eucharistiam esse *figuram* corporis Christi, vult dicere figuram corporis Christi *realiter præsentis*, non vero absentis. Item quando asserit manducare corpus Christi nihil aliud esse nisi manere in Christo, non excludit *realem* manducationem ejus corporis, quam alibi clare docet, sed significat hanc realem manducationem esse symbolum spiritualis manducationis qua Christo unimur et ejus vitæ participes efficimur. Cf. *Dict. Théol. cath.*, art. « Augustin », col. 2424 sq. et art. « Eucharistie », col. 1176-1179.

Ultimi labores historiæ confirmant id quod dicit S. Thomas III^a q. 75, a. 1, de his textibus minus claris S. Augustini:

1^a *difficultas:* In textibus S. Augustini ex com. in Joan. VI, 54 et super Ps. 98, ut explicat S. Thomas in responsione *ad 1um*, S. Augustinus non contradicit id quod alibi dixerat de præsentia reali, sed duo docet: 1° quod caro Christi est in Eucharistia sub alia specie, scil. panis, et 2° quod ibi est « *spiritualiter* » id est *invisibiliter*, dicent theologi postea non extensive sicut in loco. Insuper explicat quod quamvis caro secundum se non sit proficua animæ, « accedat spiritus ad carnem et prodest plurimum, sicut in mysterio Incarnationis ».

2^a *difficultas* est ex alio loco S. Augustini in tr. 30 in Joannem ubi dicitur: « Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus, sed tamen et hic nobiscum est veritas Domini; corpus enim in quo resurrexit, in uno loco oportet esse; veritas autem ejus ubique diffusa est ».

Ad 2um respondetur: hoc intelligendum est de corpore Christi secundum quod videtur in propria specie; sic est solum in cælo; ita ipse dixerat: « Me autem non semper habebitis » (Matth. XXVI, 11).

Patres in explicatione præsentiæ realis non poterant statim pervenire ad subtiles distinctiones philosophicas quæ formulatæ sunt a theologis scholasticis. Sic S. Augustinus dicebat corpus Christi esse *spiritualiter* præsens in Eucharistia, seu ad modum spiritus, ad dicendum *non sicut in loco*, et *ad modum substantiæ invisibilis*, quæ non attingitur a sensibus, sed ab intellectu tantum.

Concludendum est igitur, quod Patres, loquentes ut testes Ecclesiæ, *realem* et non symbolicam Christi præsentiam in Eucharistia voce unanimi docuerunt, non solum a tempore Augustini, ut fatetur Zwinglius, sed ab initio. Si quandoque, loquendo ut doctores privati ad explicationem mysterii potiusquam ad ejus affirmationem, utuntur verbis dubiis, hæc, inspecto contextu, non excludunt, sed potius supponunt corpus Domini vere et realiter esse præsens sub visibilibus symbolis quæ ejus præsentiam denotant.

Confirmatio habetur *ex liturgiis* sive orientalibus, sive occidentalibus, quæ omnes, etiam antiquissimæ, realem Christi præsentiam explicite asserunt. Cf. *Dict. Théol. cath.*, art. « Eucharistie », c. 1140-1142, ubi agitur de Constitutionibus Apostolicis et de antiquo sacramentario Serapionis: « Lex orandi, lex credendi ».

Alia Confirmatio habetur *ex praxi Ecclesiæ*, qualis apparet in ritu quo fideles, teste Augustino in Ps. 98, Eucharistiam adorabant antequam acciperent, et in martyrio S. Tarcisii, qui, teste S. Damaso, potius voluit mortem subire quam « canibus rabidis prodere *cœlestia membra* » (cf. Kirch, *Enchiridion fontium historiæ*, n. 523; Marucchi, *Eléments d'archéologie*, 2 vol. Paris, 1900; *Le dogme de l'Eucharistie dans les monuments des premiers siècles*, 1910; Wilpert, *Die « Fractio panis »*, 1895; *Dict. Théol.*, art. « Eucharistie », c. 1183-1209).

Denique ultima Confirmatio habetur *ex argumento præscriptionis* quod est argumentum per absurdum. Sic proponitur:

SÆCULO XVI, imo sæculo XI quando prodiit Berengarius, dogma præsentiæ realis profitebantur tum Ecclesia Latina, quæ statim Berengarium damnavit, tum Ecclesia Græca, quæ semper præsentiam realem admisit, ut constat ex testimoniis jam datis.

Atqui dogma istud non potuit esse *humanum inventum introductum* in anterioribus sæculis. Ergo est divinitus revelatum.

Probatur minor: Nam hoc dogma, quod ex una parte aciem rationis transcendit et ex alia parte est quid practicum et quotidiani usus, non potuisset introduci, quin statim, sua novitate, Ecclesiam commovisset. Nullum autem est vestigium hujus innovationis, nulla memoria contentionum, ea occasione, productarum.

Talis consensus omnium Ecclesiarum in re dogmatica, ad praxim quotidianam pertinente, quinto sæculo ubique vigens, non potuit per

innovationem induci, sed ab ipsis Apostolis originem ducit; nam, per quatuor priora sæcula notum est et Episcopos et fideles fuisse apostolicarum traditionum tenacissimos sequaces.

Sic habetur in hac quæstione pulchrum exemplum hujusce regulæ tractatus de Locis theologicis: Consensus Patrum aut theologorum moraliter unanimis asserentium doctrinam aliquam esse *de fide,* est certum divinæ Traditionis argumentum.

Rationes convenientiæ (c. S. Th. IIIª, 75, a. 1).

Duæ difficultates proponuntur quoad possibilitatem et convenientiam a S. Thoma 3ª et 4ª, scil.: Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis, et ipse Dominus dixit Apostolis, Joan. XVI: « Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos », quia nimis affecti erant ad ejus præsentiam realem; ergo non videtur convenire ejus præsentia realis in Eucharistia.

S. Thomas in corpore articuli dat *tres rationes convenientiæ:* Duæ priores ostendunt convenientiam ipsius præsentiæ realis: 1ª ex perfectione novæ legis, 2ª ex perfectione caritatis Christi, 3ª ratio autem ostendit convenientiam *invisibilitatis* hujusce præsentiæ ex perfectione fidei christianæ.

1ª *Ex perfectione novæ legis.* Nova Lex est multo perfectior quam antiqua; atqui sacrificia veteris legis continebant Christum in figura, ut agnus paschalis. Ergo convenientissime sacrificium novæ legis *continet realiter ipsum Christum passum.* Pro quo citatur Dionysius, qui quamvis non fuerit Areopagita ut olim putabatur, est semper testis Traditionis.

2ª *Ex parte caritatis Christi,* scil.: Maxime proprium amicitiæ est convivere amicis. Atqui Christus maximam pro nobis habuit amicitiam seu caritatem, ex qua pro salute nostra voluit incarnari. Ergo maxime conveniebat ut nos, in hac peregrinatione, sua præsentia corporali non destitueret. Hoc commemoratur in cultu Cordis Eucharistici.

3ª ratio ostendit *convenientiam invisibilitatis hujusce præsentiæ,* ex perfectione fidei christianæ, scil.: Fides est de non visis a Deo revelatis, est quasi spiritualis sensus invisibilium. Atqui non solum de divinitate, sed et de vera humanitate Christi est fides nostra. Ergo convenientissime humanitas Christi exhibetur invisibiliter in hoc sacramento ut fidei objectum.

Cf. hymnum *Adoro te*: « In cruce latebat sola Deitas. At hic latet simul et humanitas. Ambo tamen credens atque confitens; peto quod petivit latro pœnitens. Plagas, sicut Thomas, non intueor; Deum tamen meum te confiteor. Fac me tibi semper magis credere, in te spem habere, te diligere ».

Fides autem nostra supernaturalis, quamvis obscura, est certior quam sensatio, quia immediate innititur auctoritate Dei revelantis.

Ad 4um: Insuper quia hæc præsentia corporis Christi est invisibilis, non est periculum quod simus nimis affecti ad præsentiam ejus sensibilem.

* * *

Hæ rationes convenientiæ possunt insuper illustrari altiori principio quo illustrantur mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis redemptivæ, quorum Eucharistia est irradiatio.

Hoc autem principium enuntiatur a S. Thoma initio tractatus de Incarnatione IIIª, q. 1, a. 1 sub ista forma: « Pertinet ad rationem boni ut se aliis communicet; unde ad rationem summi boni pertinet quod summo modo se communicet ». Ex hoc principio diffusionis boni illustratur mysterium SS. Trinitatis in IV Contra Gentes, c. XI. Sic ostenditur quod convenit Deo, Summo Bono, ut summo modo prius se communicet ad intra, communicando totam naturam suam per generationem æternam Filii et per spirationem Spiritus Sancti. Eodem principio ostenditur convenientia Incarnationis, scil. ut Deus se creaturæ summo modo communicet in persona Filii sui ad redemptionem nostram incarnati. Denique eodem principio manifestatur convenientia Eucharistiæ, scil. cum bonum sit essentialiter diffusivum sui, Christus voluit seipsum nobis dare ut alimentum et simul ut hostiam sacramentaliter offerendam usque ad finem mundi. Sic remanet nobis præsens Auctor gratiæ et salutis.

Eodem principio manifestatur, in communicatione Summi Boni ad intra, intima communio trium Personarum divinarum, quæ est supremum exemplar communionis eucharisticæ et communionis fidelium inter se, secundum hanc orationem Christi ad Patrem suum: « Ut sint unum sicut et nos unum sumus », scil. ut sint unum per fidem, spem, caritatem, per communionem eucharisticam ad eandem mensam, sicut et nos unum sumus per naturam.

Item corroborantur rationes convenientiæ præsentiæ realis, eam considerando, ex parte nostra, per respectum ad tres virtutes theologicas, ut S. Thomas ostendit IIIª, q. 1, a. 2 convenientiam Incarnationis.

Etenim *per præsentiam realem confirmatur fides nostra,* cujus motivum est auctoritas Dei revelantis; nam in Eucharistia Verbum incarnatum realiter præsens et creditum, suo salutari influxu, quotidie confirmat ea quæ olim dixit in prædicatione sua. Sic in Eucharistia remanet ut Magister secretorum unionis divinæ. Præsens est ad illuminandum et attrahendum.

Pariter *præsentia realis corroborat spem nostram,* cujus motivum est Deus auxilians, quia est præsentia non solum gratiæ sed etiam ipsius Auctoris gratiæ. Si autem Deus nobis sic dedit Filium suum ut jugiter permaneat nobiscum usque ad finem mundi, non denegabit minora ad salutem necessaria. Si nobis dedit Eucharistiam, a fortiori nobis dabit gratias actuales quas postulamus ad perseverandum.

Denique *præsentia realis inflammat caritatem* erga Deum et proximum propter tantam manifestationem amoris Christi, virtute cujus se inclinavit ad convivendum nobiscum ut socius nostri exilii, et sese dedit simul ut hostiam et cibum, ad nos sibi magis ac magis incorporandos.

Pariter inflammatur ex hoc caritas erga proximum, prout omnes, divites et pauperes, docti et indocti, debemus in hac cælesti mensa uniri et eodem Christo Salvatore nutriri. Sic uniuntur membra cujuslibet familiæ, item diversæ classes ejusdem populi, item diversi populi christiani ut constat in magnis Congressibus internationalibus eucharisticis.

* * *

Variis miraculis confirmata est præsentia realis.

Citantur multa, inter quæ speciatim notanda sunt ea quæ contigerunt Bolsenæ et Faverney in Gallia [1], ita etiam ea quæ patrantur nunc in sanctuario Notre Dame de Lourdes durante processione SS. Sacramenti.

Notandum est quod miraculum eucharisticum, confirmando veritatem præsentiæ realis, eo ipso confirmat omnia Salutis mysteria presupposita ab Eucharistia, scil. mysterium redemptionis, mysterium Incarnationis Filii Dei ex Maria Virgine (quod supponit mysterium SS. Trinitatis), mysterium peccati originalis (quod supponit mysterium elevationis generis humani ad vitam gratiæ). Pariter miraculum eucharisticum confirmat cum Eucharistia alia sacramenta ab ipsa præsupposita, scil. baptismum, pœnitentiam, ordinem et validitatem ordinationum etiam in præterito usque ad Apostolos et ad Christum.

Sic Eucharistia apparet ut centrum totius cultus christiani.

* * *

Solvuntur objectiones ex ratione.

1ª **Objectio** ponitur a S. Thoma (est ejus 3ª difficultas initio articuli), scil.: Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis. Sed corpus Christi verum est in cælo. Ergo non potest esse realiter in Eucharistia.

Respondetur ad 3um: Corpus Christi est in Eucharistia *non sicut in loco,* seu non circumscriptive, sed speciali modo, id est sacramentaliter, ut infra explicandum est q. 76, a. 3, 4, 5, scil. per modum substantiæ.

1 In hac parva civitate, sæculo XVI, die adorationis perpetuæ, Sanctissimum Sacramentum erat expositum supra altare majus; hac die autem circa meridiem, quando non erant fideles in ecclesia, ex illuminatione altaris communicatus est ignis ipsi altari ligneo, quod totum combustum est. Quando autem fideles venerunt, viderunt ostensorium in aere suspensum, et multae personæ hujusce civitatis eadem die in scriptis testimonium de hoc miraculo dederunt.

Antequam veniamus ad explicationem horum articulorum q. 76, ad pleniorem objectionis solutionem convenit dicere quod aliquid potest esse in loco tripliciter, scil. circumscriptive, definitive et sacramentaliter. Ita Concilium Tridentinum sess. 13, cap. 1, Denz. 874.

Aliquid est in loco	*circumscriptive,* scil. ratione quantitatis.	
	non circumscriptive	*definitive,* ita ut non alibi;
		sacramentaliter, ut etiam sit alibi.

Aliquid est in loco circumscriptive, quando in eo est *ratione quantitatis,* ita ut totum sit in toto et singulæ partes in singulis partibus loci. Ita corpus nostrum hic et nunc in suo loco. Ita etiam gloriosum corpus Christi nunc in cælo.

Aliquid est in loco non circumscriptive, seu non ut in loco, quando in eo est, non ratione quantitatis, sed ratione substantiæ aut etiam ratione virtutis; tunc est totum in toto et totum in qualibet parte loci. Hoc autem fit dupliciter: aut definitive, aut sacramentaliter.

Definitive, ita ut non sit alibi; ita anima nostra est in corpore nostro, anima bruti in corpore ejus, anima vegetativa plantæ in ipsa planta, essentia panis sub quantitate ejus est tota in toto et tota in qualibet parte, et non alibi. Hæc sunt in loco, non sicut in loco, sed per modum substantiæ. Angelus autem est in loco per suam virtutem prout operatur in hoc corpus, et non alibi.

Sacramentaliter aliquid est in loco, *ita ut etiam sit alibi.* Ita est corpus Christi in hac hostia consecrata, totum est in ea, et totum in qualibet parte ejus, ut erat substantia panis, et simul est alibi, scil. in cælo et in aliis hostiis consecratis.

Unde solutio difficultatis est: Implicat idem corpus esse simul in pluribus locis *circumscriptive, transeat;* — in uno loco circumscriptive, et in aliis sacramentaliter per modum substantiæ, nego. Hæ sunt distinctiones ad quas non pervenit S. Augustinus dum dicebat Christum esse quasi spiritualiter in Eucharistia, scil. quasi ad modum spiritus.

Ut bene notant thomistæ quoad præsentiam circumscriptivam, seu per modum quantitatis: si aliquod corpus esset simul circumscriptive in duobus locis distantibus, quantitas ejus esset divisa a seipsa: non esset igitur eadem quantitas, nec idem corpus, quia hoc corpus esset divisum a semetipso, distans a seipso; sic non esset amplius individuum, nam individuum est indivisum in se et divisum a quolibet alio [1].

Hoc adhuc clarius apparet si admittitur cum S. Thoma quod principium individuationis est materia quantitate signata, seu, ut dicit

1 Propterea S. Thomas non admittit possibilitatem bilocationis realis, sed solum bilocationis apparentis, ita ut in uno loco sit verum corpus et in alio ejus apparentia.

Cajetanus, materia capax hujusce quantitatis ita quod non illius, vg. materia capax quantitatis hujusce guttæ aquæ, ita quod non alterius guttæ, vel materia capax quantitatis hujusce embryonis, ita quod non alterius embryonis.

Sic corpus circumscriptive præsens in duobus locis distantibus esset distans a seipso, et non esset idem corpus.

E contrario corpus Christi est præsens in Eucharistia non circumscriptive, sed ad modum substantiæ. Sic solæ species sacramentales vere sunt a cælo distantes, et divisæ sunt inter se prout quædam sunt Romæ, et aliæ Jerusalem aut alibi. Sed in his omnibus est numerice idem Christi corpus per modum substantiæ, supra ordinem spatialem seu quantitativum, ut infra ostendetur q. 76.

Aliis verbis: Corpus Christi in cælo non distat secundum entitatem vel substantiam a corpore Christi quod est in hac hostia consecrata. Id quod est impossibile, est quod corpus Christi sit simul *circumscriptive* in duobus locis distantibus, quia tunc in his duobus locis esset per modum quantitatis, et quantitas ejus esse *divisa a seipsa.*

Instantia: Atqui corpus Christi nequidem per modum substantiæ potest esse realiter præsens in Eucharistia et simul alibi.

Probatur: Præsentia corporis non potest esse altioris ordinis quam præsentia animæ vel angeli. Atqui anima et angelus non possunt esse simul hic et alibi. Ergo corpus Christi non potest esse simul hic et alibi.

Respondetur: Distinguo majorem: naturaliter, concedo; miraculose, nego; — concedo minorem; distinguo conclusionem: naturaliter, concedo; miraculose, nego.

Instantia: Nec miraculose: Corpus nequidem miraculose potest esse sine sua quantitate, nam definitur per tres dimensiones. Atqui corpus Christi foret in Eucharistia sine quantitate. Ergo corpus Christi nequidem miraculose potest esse realiter in Eucharistia.

Respondetur: Distinguo majorem: nequidem miraculose corpus potest esse *sine quantitate præsenti per modum substantiæ et secundum relationem ad substantiam,* concedo; *sine quantitate localiter extensa, seu secundum relationem ad locum,* nego, vel faveant adversarii probare contrarium. In hoc differt præsentia circumscriptiva a præsentia reali sacramentali, ut melius dicendum est infra q. 76, a. 4: utrum dimensiones corporis Christi sint sub hoc sacramento.

Instantia: Figura nequit esse sine quantitate localiter extensa. Atqui corpus Christi non potest esse sine figura, sic enim non esset corpus hominis potius quam agni aut columbæ. Ergo corpus Christi non potest esse in Eucharistia sine quantitate localiter extensa.

Respondetur: Distinguo majorem: figura extensa seu sumpta pro ordine partium per respectum ad locum, concedo;... figura sumpta pro ordine partium inter se per respectum ad substantiam, nego vel faveant adversarii demonstrare contrarium. Contradistinguo minorem eodem modo; et nego consequens et consequentiam. Sic in Eucharistia caput Christi non est cor ejus, imo est extra cor, per respectum ad substantiam, non per respectum ad locum. Nam quantitas Christi (cf. infra, q. 76, a. 4) est præsens solum ratione transsubstantiationis et igitur per modum substantiæ, non per modum quantitatis localiter extensæ. Hæc quidem superant imaginationem quia imaginatio et etiam geometria non transcendit continuum; sed corrigenda est imaginatio per fidem et rationem.

Hæ objectiones videntur quidem clariores quam responsio: hoc est quia sumuntur secundum modum valde superficialem et imperfectum cognitionis nostræ, modum satis materialem et quantitativum, dum responsio sumitur ex altitudine mysterii explicandi et supponit subtilem distinctionem, quæ non statim intelligitur perfecte, sed solum cum maturitate intelligentiæ et profundo examine.

Infra, loc. cit. videbimus quod quantitas habet velut duas functiones: 1° distinguit partes in substantia, 2° eas localiter extendit. Nec posset eas localiter extendere, si prius hæ partes non distinguerentur inter se. Punctum enim omnino indivisibile non potest localiter extendi. Sed e contrario prima cellula embryonis, in qua distinguuntur quædam partes, localiter deinde augetur, et, si cum microscopio consideratur, magis ac magis extensa apparet. Si vero datur puntum absolute indivisibile, sine ulla distinctione partium, etiam cum microscopio consideratum, non extenderetur.

Quantitas autem corporis Christi non est in Eucharistia, ut infra dicetur, nisi per transsubstantiationem, non per motum localem, et ideo non est in Eucharistia secundum ejus relationem ad locum, sed solum secundum relationem ejus ad substantiam, cum distinctione partium, sine earum locali extensione. Hoc quidem est satis subtile, sed faveant adversarii probare hoc esse impossibile.

Instantia: Spiritus non potest esse extensive localiter. Ergo nec corpus potest esse inextensive et indivisibiliter.

Respondetur: Concedo antecedens et nego consequentiam, nam disparitas est quod spiritus non habet nec potest habere partes, secundum quas localiter extendatur. Corpus autem potest privari partibus integrantibus localiter extensis, ut infra dicetur q. 76, a. 4.

2ª **Objectio:** Inconveniens est omnino quod corpus Christi manducetur, dentibus teratur, in ventrem et secessum abeat. Atqui hæc sequuntur ex reali præsentia. Ergo realis præsentia admitti nequit. Hæc objectio legitur in aliqua epistola Spinozæ.

Respondetur: Increduli pariter dixerunt: Deo indignum est in utero mulieris portari, esuriri, crucifigi, mori. Sicut autem in Incarnatione non ipsa divinitas portatur in utero, esuritur, crucifigitur, moritur, sed humanitas; ita corpus Christi gloriosum et impassibile, modo indivisibili existens in Eucharistia, non teritur dentibus, in stomacho non alte-

ratur et corrumpitur, *sed solæ species panis et vini*, sub quibus continetur quamdiu permanent.

3ª **Objectio:** Præsentia realis est inutilis, quia Deus per solum signum corporis Christi potest æque nos nutrire spiritualiter.

Respondetur: Pari ratiocinio diceretur: Incarnatio fuit inutilis, et sacramenta, quia Deus sine illis potuit nobis gratiam salutarem præstare. Potuit quidem, sed ex immensa caritate sua Verbum voluit incarnari et remanere realiter nobiscum in Eucharistia.

Instantia: Sola communio spiritualis potest eundem effectum producere ac communio sacramentalis. Ergo hæc inutilis est.

Respondetur: Si communio spiritualis fiat cum majori fervore quam communio sacramentalis, concedo; si fiat cum æquali fervore, nego. Cf. infra de communione.

Quidam denique objecerunt ex permanentia accidentium panis et vini, quæ non possent existere sine subjecto; item ex hoc quod hæc accidentia nutriunt, corrumpuntur, quæ simplicibus accidentibus non competunt. Sed de his agendum est ex professo q. 77 de accidentibus remanentibus in hoc sacramento. Sufficit nunc solvere objectiones quæ directe factæ sunt contra ipsam præsentiam realem de qua nunc loquimur, quæque statuenda est quoad nos antequam sit sermo de transsubstantiatione. Transsubstantiatio, ut videbimus, est quidem necessaria ad explicandam quoad se præsentiam realem revelatam, et sic modus hujusce præsentiæ melius intelligitur postea, ut corollarium ipsius transsubstantiationis. Unde agendum est 1° de præsentia reali revelata, 2° de transsubstantiatione, 3° de modo præsentiæ realis ut sequitur ex transsubstantiatione; sic idem conceptus præsentiæ realis, qui prius erat quasi confusus, fiet paulatim magis ac magis distinctus, non obstante obscuritate mysterii.

q. 75, a. 2.

ART. II. — UTRUM IN HOC SACRAMENTO REMANEAT SUBSTANTIA PANIS ET VINI POST CONSECRATIONEM

Status quæstionis et difficultas: Per hunc articulum jam incipit transitus a quæstione de præsentia reali ad transsubstantiationem. Principalis difficultas oritur ex hoc quod remanent accidentia panis et vini, non autem videtur quod possint esse sine subjecto, et sine proprio subjecto.

Ideo *Impanatores* docuerunt substantiam panis et vini remanere et assumi hypostatice a Verbo, sicut assumpta est humanitas in Incarnatione, unde nomen « impanatio ». Hunc errorem Guitmundus tribuit quibusdam discipulis Berengarii. Osiander inter discipulos Lutheri impanationem tenuit.

Consubstantiatores dixerunt: Substantia panis et vini remanet, sed absque unione hypostatica conjungitur corpori Christi. Ita Lutherus et lutherani, et antea quidam discipuli Berengarii.

Durandus inter scholasticos in IV, d. 11, q. 3 docuit *formam panis converti* quidem in corpus Christi, *non vero materiam panis* quæ post conversionem fieret materia corporis Christi, fere sicut in assimilatione nutritiva naturali.

Quidam alii sæculo XIII, ut refert S. Thomas, hic a. 6 dixerunt: *Forma substantialis panis* et non ejus materia *remanet.*

Concilia. Hæ opiniones non possunt amplius admitti præsertim post definitionem Concilii Tridentini sess. 13 can. 2: « Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem *conversionem totius substantiæ* panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime *transsustantiationem* appellat, a. s. ».

Antea fuerunt declarationes Concilii Romani sub Gregorio VII, IV Concilii Lateranensis, Concilii Constantiensis, Concilii Florentini (cf. Denz. 335, 416, 424, 430, 465, 544, 581, 666, 698, 706 sq., 796, 877, 1469, 1529, 1919). Speciatim contra impanationem et quamlibet permanentiam substantiæ panis et vini (cf. Denz. 1845 [decr. S. Officii anno 1875], 581 sq., 877, 884).

Patres, ut supra diximus, agendo de præsentia reali, communiter docuerunt: Christum de pane effecisse corpus suum, et post verba consecrationis non superesse substantiam panis. S. Thomas citat in argumento « sed contra » auctorem libri *de Sacramentis* l. VI, c. 1 (operis quod attributum est S. Ambrosio): « Licet figura panis et vini videatur, tamen nihil aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt ». Ita locuti sunt præsertim S. Cyrillus Hierosol., S. Ambrosius, S. Chrysostomus, S. Gregorius Niss., S. Joannes Damascenus quorum textus de hac re communiter citantur. Cf. Rouet de Journel, *Enchiridion Patrist.* in fine, index theologicus, n. 489.

Inter theologos scholasticos qui transsubstantiationem admittunt, fuit disputatio circa hoc punctum: utrum *ex ipsis verbis consecrationis,* in Sacra Scriptura relatis, probari possit non permanentia substantiæ panis et ejus transsubstantiatio, an solum ex definitionibus Ecclesiae. Scotus tenet quod transsubstantiatio non potest probari nisi ex definitionibus Ecclesiæ, thomistæ vero et multi alii docent: hoc constat etiam ex verbis consecrationis.

Responsio. Rationes quas S. Thomas exposuit in corpore articuli sunt quatuor, et optime sic ordinantur: Ponere permanentiam substantiæ panis 1° tollit veritatem hujus sacramenti, scil. præsentiam realem;

2° tollit veritatem formulæ consecrationis; 3° contrariatur venerationi hujus sacramenti; 4° contrariatur ritui Ecclesiæ.

Rationes fortiores sunt duæ priores.

1a **Ratio** est: Si remaneret substantia panis tolleretur veritas hujus sacramenti, seu præsentia realis. Legenda est littera. Argumentum ad hoc reducitur:

Aliquid non potest esse *alicubi*, ubi prius non erat, *nisi per loci mutationem aut per alterius conversionem in ipsum.* Lux argumenti in hoc principio continetur.

Atqui corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem.

Ergo corpus Christi incipit esse in hoc sacramento per conversionem substantiæ panis in ipsum, quæ igitur, facta conversione, non remanet.

Minor prius probatur ad majorem claritatem. Etenim corpus Christi, per motum localem descendendo ad Eucharistiam, *desineret esse in cælo,* quod ab omnibus rejicitur; imo, sic localiter descendendo, pertransiret omnia media, seu loca intermedia, et denique deberet localiter moveri simul ad diversa loca distantia, ubi simul fit consecratio.

Ad explicationem *majoris* dicendum est: *Aliquid præxistens, in se omnino immutatum ac non desinens proprium locum,* non potest fieri realiter præsens alibi, *nisi per alterius conversionem in ipsum,* v. g. ignis non fit præsens in aliqua domo nisi, aut quia ad eam defertur, aut quia aliquid in ea existens, v. g. lignum, convertitur in ignem.

Ad majorem intelligentiam hujusce argumenti, notandum est cum thomistis quod hæc nova præsentia realis *alibi* importat *relationem realem continentiæ quæ fundamento indiget.* Non enim datur relatio sine fundamento, v. g. filiatio sine generatione, nec similitudo sine qualitate simili, nec æqualitas sine quantitate æquali.

Atqui fundamentum hujusce relationis realis continentiæ, manentibus accidentibus panis, *non potet esse nisi conversio* substantiæ panis in corpus Christi.

Vi conversionis, id quod erat panis nunc est corpus Christi, et sic hæc relatio specierum panis terminatur nunc ad corpus Christi. Sic satis clare explicatur præsentia realis per transsubstantiationem.

Dices: Forte Deus in thesauris sapientiæ suæ habet alium modum producendi fundamentum hujusce relationis realis specierum ad corpus Christi etiam omnino immutatum in se ac non deserens proprium locum.

Respondetur: Servata veritate verborum consecrationis, alius modus non videtur possibilis, nam hæc *realis relatio* specierum panis ad corpus Christi fundari debet in his speciebus, sublata earum relatione ad substantiam panis. Et hoc non concipitur nisi per conversionem, de qua loquuntur Concilia, et qua species amittunt relationem ad substantiam panis et accipiunt ad corpus Christi.

Sic apparet valor majoris argumenti: Aliquid non potest esse *alicubi, ubi prius non erat,* nisi *per loci mutationem,* aut *per alterius conversionem in ipsum.* Ita ego, qui prius eram ad dexteram tuam, non possum esse nunc ad sinistram tuam, nisi quia locum mutavi aut tu mutasti.

Pariter: aut corpus Christi mutatum est, aut panis mutatus est in corpus Christi, non datur medium, vi principii contradictionis et principii causalitatis.

* * *

Hæc ratio impugnata est a Durando, a Scoto et a Scotistis qui admiserunt *transsubstantiationem adductivam* (sine motu locali apparenti) potiusquam conversivam. Esset miraculum adductionis, potiusquam conversionis.

Ad hoc *respondetur* præsertim dupliciter:

1° *Non satis servantur verba Conciliorum,* quæ semper utuntur verbo *conversionis* vel *transsubstantiationis;* transsubstantiatio autem, ut nomen indicat, est formaliter actio conversiva. Adductio e contra non est actio conversiva unius in aliud. In expressione « transsubstantiatio adductiva » adjectivum destruit substantivum.

2° Insuper *non potest esse adductio* corporis Christi *sine mutatione ipsius corporis Christi, quæ admitti nequit.* Etenim mutatio est vel substantialis vel accidentalis et tunc aut quantitativa, aut qualitativa, aut localis. Atqui corpus Christi *gloriosum, impassibile,* ac non deserens cælum, non mutatur, nec substantialiter (sic destrueretur, sive per annihilationem, sive per corruptionem, sive per conversionem in panem), nec accidentaliter per respectum ad panem, id est nec quantitative, nec qualitative, nec localiter, ut dixit S. Thomas, quia sic desereret cælum, et simul moveretur motibus contrariis ad diversa loca terræ. Ergo non potest concipi hæc transsubstantiatio *adductiva,* quæ esset actio divina non in panem, sed in corpus Christi mutandum; ex ea sequeretur quod Christus sic motus ad Eucharistiam desereret cælum. Remanet igitur argumentum S. Thomæ.

Instant Durandus et Scotus. Deus potest facere quod corpus Christi sit præsens in Eucharistia etiam conservando substantiam panis, sicut conservat panis accidentia, et tunc corpus Christi inciperet esse sub sacramento absque motu locali et absque conversione panis in ipsum.

Hoc affirmant, sed non probant.

Respondetur: Distinguo antecedens: Deus potest facere quod corpus Christi sit præsens in Eucharistia, manente substantia panis, *absque mutatione corporis Christi,* nego; *cum quadam mutatione corporis Christi,* transeat. Sic Deus potest facere quod sint duo corpora in eodem loco, v. g. dum Christus in cœnaculum intravit, janius clausis, tunc corpus Christi movebatur localiter.

Quoad primam partem, scil. negativam, hujusce responsionis, consentiunt thomistæ, in hoc scil. consentiunt: si corpus Christi impassibile et gloriosum ac cælum non deserens *non mutatur*, tunc repugnat corpus Christi esse in Eucharistia, absque conversione panis in ipsum, quia, ut dicit S. Thomas, *repugnat aliquid præexistens esse nunc ubi prius non erat, nisi vel in se mutetur, vel aliquid in ipsum;* sic Deus, immotus in se permanens, non potest esse de novo in creatura sine mutatione creaturæ, sic dum justificatur homo, tunc Deus incipit habitare in eo.

Cum ergo supponatur *corpus Christi non mutari* et præsertim non mutari qualibet consecratione, ut fiat præsens in diversis locis terræ, insuper *cum aliter sit nunc quam prius*, necessario panis debet mutari per conversionem in ipsum. Hoc videtur esse omnino apodicticum.

Ut magis appareat vis principii hujusce rationis sic formulari potest in duabus partibus:

1° Aliquid præexistens, *in se omnino immutatum*, non potest *aliter et aliter sé habere nisi per mutationem alterius;* v. g. Deus immutabilis prius non habitabat in hoc homine, nunc autem in eo habitat, quia hic homo justificatur; item eadem columna immobilis non potest esse aliter et aliter per respectum ad me, scil. prius ad dexteram et postea ad sinistram, nisi post mutationem meam. Alioquin esset effectus sine causa.

2° Aliquid numerice idem præexistens et *in se omnino immutatum*, non potest *fieri realiter præsens alibi*, ubi prius non erat, *nisi per alterius conversionem in ipsum.*

Si quidem hoc *non præexisteret*, posset fieri præsens per creationem; sed si præexistit, non potest fieri præsens nisi *per conversionem* alterius in ipsum. Insuper si fiat præsens, non quantitative, sed *per modum substantiæ*, hoc non potest fieri nisi per conversionem alterius substantiæ in ipsum, manentibus accidentibus hujusce substantiæ conversæ.

Hoc videtur omnino apodicticum, quamvis satis difficile propter complexitatem terminorum, et in hoc conveniunt omnes thomistæ, non solum ad servandam litteram S. Thomæ, sed etiam quia hoc principium apparet in se evidens, dum progressive explicantur termini ejus.

Brevius: Aliquid præexistens *non potest aliter et aliter se habere nisi aut per mutationem suam, aut per mutationem alterius in ipsum.* Alioquin innovatio prius asserta esset sine ratione essendi, sine causa.

* * *

Dubium. — Utrum abstrahendo a verbis consecrationis possit *de potentia Dei absoluta* corpus Christi esse præsens in Eucharistia *absque conversione panis in ipsum?* Non dicitur in enuntiatione dubii: « corpus Christi omnino immutatum ». Ad dubium sic enuntiatum solsolvendum, non consentiunt omnino thomistæ.

1° Capreolus, Paludanus, Ferrariensis, Gonet *negant* propter quædam testimonia S. Thomæ præsertim in IV, d. 11, q. 1, a. 1, qc. 1, ubi videtur docere id implicare contradictionem [1].

2° E contrario Cajetanus, Soto, Billuart *affirmant* quod abstrahendo a verbis consecrationis, non videtur implicantia quod Deus faciat *cum quadam mutatione in corpore Christi*, quod corpus Christi sit præsens in Eucharistia et simul conservet substantiam panis aut eam annihilet (cf. Cajetanum n. VII, XI, XII).

Ad textus S. Thomæ ab aliis thomistis invocatos, respondent: S. Thomas loquitur ibi, in hypothesi quæ de facto est, quod corpus Christi incipiat esse præsens *absque sui mutatione.* Dicit enim in loco citato: « Impossibile est aliquid esse nunc, cum prius non fuerit, *nisi, ipso mutato vel aliquo in ipsum* ».

Unde conveniunt thomistæ in hoc: corpus Christi in se immutatum non potest fieri realiter præsens in Eucharistia nisi per conversionem panis in ipsum. Et hoc videtur apodicticum.

Objiciunt denique Durandus et Scotus: Etiam admissa transsubstantiatione conversiva, non sequitur præsentia realis. Nam ex *hoc quod corpus Christi præxistit in cælo*, sequitur quod id quod erat panis sit nunc in cælo, ubi Christi corpus præexistebat, et non quod corpus Christi sit in Eucharistia.

Respondetur: 1° Non sequitur præsentia realis, si consideratur transsubstantiatio independenter a verbis consecrationis, transeat; dependenter ab illis, nego, ita Cajetanus.

2° Ut notat etiam Cajetanus (a. 2, n. VIII): *Ratione quidem præexitentiæ corporis Christi*, sequitur quod id quod erat panis sit nunc corpus Christi præexistens in cælo, et sit igitur in cælo, *sed ratione conversionis*, expressæ in formula consecrationis, *remanentibus accidentibus panis*, corpus Christi, in quod panis conversus est, est sub accidentibus panis; hæc accidentia remanentia habent relationem ad ipsum. Ambæ propositiones sunt veræ quia est unica corporis Christi substantia, quæ secundum suum esse naturale est in cælo, et sacramentaliter in Eucharistia.

Sic remanet vera major primi argumenti S. Thomæ: « Aliquid non potest esse alicubi, ubi prius non erat, nisi vel per loci mutationem vel per alterius conversionem in ipsum ».

[1] Dicit S. Thomas in IV Sent. dist. XI, q. 1, a. 1, qc. 1: « Quia impossibile est aliquid esse nunc, cum prius non fuerit, nihil (nisi) *ipso mutato*, vel *aliquo in ipsum;* nec posset, etiam per miraculum fieri sicut quod esset animal rationale mortale et non esset homo: aliter enim se habere nunc et prius, est idem quod moveri vel transmutari ». Saltem est innovatio explicanda per mutationem alterius. Item ad 3um et IV Contra Gentes c. 63.

* * *

Recapitulatio et confirmatio eorum quæ pertinent *ad primam rationem.*

Post prædictas discussiones sic per modum recapitulationis enuntiari et probari potest thesis thomistica:

Corpus Christi in se immutatum non potest fieri realiter præsens in Eucharistia nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum.

S. Thomas hoc affirmat in art. 2. Scotus vero hoc negat et dicit: non necessaria est conversio; imo est annihilatio substantiæ panis, et adductio corporis Christi. Contra hoc communiter notant thomistæ:

1° *Concilia* præsentiam realem explicant per « *conversionem* » et S. Thomas servat sensum obvium et plenum hujusce nominis « conversio », dum Scotus eum non retinet, non admittit enim nisi substitutionem substantiarum, scil. annihilationem panis et adductionem corporis Christi. Præsertim definitioni Concilii Tridentini de ipsa « transsubstantiatione » multo conformior est doctrina S. Thomæ, ut patet, quam opinio Scoti.

2° *Ratione theologica* ostenditur necessitas conversionis per exclusionem alterius causæ.

Prænotandum est quod agitur de conversione ut significata et producta a verbis consecrationis, et non independenter ab eis, nec independenter a permanentia accidentium panis et vini, quæ, ut constat, remanent.

Prænotandum est insuper quod *impassibile* corpus Christi gloriosi non mutatur nec substantialiter, nec quantitative, nec qualitative (alteraretur) nec localiter, in hoc sensu quod non desinit esse in cælo, nec potest moveri simul ad diversa loca.

Hæc duo prænotanda generaliter admittuntur a theologis ex prædictis in tractatu de Incarnatione et de Sacramentis.

Nunc autem his positis sic thomistæ probant necessitatem conversionis ad præsentiam realem:

— Aliquid præexistens *in se immutatum,* ac non deserens suum proprium locum, non potest fieri realiter præsens alibi *nisi per alterius conversionem in ipsum.* Hoc est philosophice certum.

— Atqui corpus Christi in se immutatum, ac cælum non deserens, consecratione fit realiter præsens alibi, scil. in Eucharistia sub speciebus panis. Hoc est de fide.

— Ergo necesse est quod substantia panis convertatur in ipsum.

Probatur major: Hæc nova præsentia realis importat enim *realem relationem continentiæ,* quæ fundamento indiget. Non enim potest esse relatio realis sine fundamento reali, v. g. filiatio sine generatione, similitudo sine qualitate simili, æqualitas sine quantitate æquali.

Atqui hoc fundamentum realis relationis continentiæ est conversio de qua loquuntur Concilia (quod facile ostenditur) et non potest esse *nisi* conversio (quod difficilius probatur propter complexitatem rei et prænotaminum).

1° Est conversio, vi cujus id quod erat panis nunc est corpus Christi, scil. realis relatio continentiæ specierum panis terminatur nunc ad substantiam corporis Christi. Hoc est satis clarum.

2° Difficilius probatur quod hoc fundamentum relationis prædictæ non potest esse *nisi* conversio.

Hoc tamen tripliciter constat:

A) *indirecte* prout aliæ sententiæ non possunt assignare fundamentum reale prædictæ relationis continentiæ. Præsertim hoc apparet in sententia Scoti, qui, rejiciendo conversionem panis debet ponere *mutationem* in Christo adducto. Corpus autem Christi gloriosi de facto non mutatur, nec substantialiter, nec quantitative, nec qualitative, nec localiter, nec proinde accipit relationem realem ad species panis, sed terminat relationem realem specierum panis ad ipsum. Ergo mutatio debet esse in ipso pane converso; alioquin esset effectus (præsentiæ realis) sine causa.

B) Insuper, ut dicetur in 2ª ratione corporis art. 2 S. Thomæ, sine conversione *non verificarentur verba consecrationis,* quibus excluditur et permanentia panis et ejus annihilatio, ac exigitur conversio, nam quando dicitur « *hoc* » designatur id quod est sub speciebus panis in manibus Christi et *hoc* fit ac postea posterioritate naturæ *est corpus Christi.* Hoc argumentum magis explicite proponendum est postea in explicatione secundæ rationis S. Thomæ.

C) Denique nec videtur possibile, quod Deus etiam in thesauris suæ sapientiæ et omnipotentiæ habeat *alium modum* quam conversionem ad hanc præsentiam realem producendam, saltem servata immutatione corporis Christi et servata veritate verborum consecrationis. In hoc conveniunt omnes thomistæ.

Alius enim modus videtur impossibilis, nam hæc realis relatio specierum ad corpus Christi fundari debet non in corpore Christi (quod supponitur de facto immutatum), sed in ipsis speciebus panis, sublata earum relatione ad substantiam panis. Hoc autem non concipitur *per annihilationem* panis ex qua non sequeretur præsentia realis corporis Christi; nec *per adductionem ejus,* quia de facto non mutatur, sed *per solam conversionem,* qua species panis amittunt suam relationem ad substantiam panis et accipiunt relationem ad corpus Christi.

Unde videtur quod etiam in thesauris suæ sapientiæ Deus non habeat alium modum, saltem alium quo corpus Christi remaneat immutatum et quo simul verificentur verba consecrationis.

Unde sicut ad consecutionem gloriæ ut objectum meriti non est alius modus quam status gratiæ et justificatio seu conversio impii [1], ita non est alius modus ad præsentiam realem nisi transsubstantiatio. Item ut Deus infallibiliter cognoscat futura libera non est alius modus nisi decretum voluntatis suæ positivum (si agitur de actibus bonis) vel permissivum (si agitur de peccatis).

2ª Ratio S. Thomæ *est ex verbis consecrationis*, scil.: Hæc verba: *Hoc est corpus meum* non essent vera, si substantia panis remaneret; nunquam enim substantia panis est Corpus Christi; sed potius esset dicendum « *hic* (adverbialiter) est corpus meum » seu in hoc loco est corpus meum.

Thomistæ optime explicant hanc rationem contra Scotum et Durandum, qui tenent quidem ex definitione Ecclesiæ substantiam panis non remanere, id tamen ex præcisa significatione verborum consecrationis non deduci.

Cf. de hac re Joannem a S. Thoma disp. 28, a. 1; Gonet, Billuart.

Ratio S. Thomæ sumitur ex sensu litterali et proprio verborum consecrationis, id est: si, his verbis prolatis, remaneret substantia panis cum corpore Christi, *hæc substantia panis demonstraretur per pronomen « hoc »*; atqui falsum est substantiam panis esse corpus Christi. Antecedens patet, nam quando duæ substantiæ sunt in eodem loco, una sensibilis per propria accidentia, alia latens et insensibilis, ille qui demonstrat contentum sub istis accidentibus, non designat substantiam latentem, sed visibilem per propria accidentia; v. g. si aliquis haberet panem in quo lateret nummus aureus, non recte diceret demonstrando panem: hoc est aurum. Deberet dicere: vel adverbialiter *hic* est aurum, vel in hoc pane est aurum. Ergo si remaneret in Eucharistia substantia panis verba consecrationis essent falsa, ut dicit S. Thomas.

CONFIRMATUR per ipsum Concilium Tridentinum sess. 13, c. 4 (Denz. 877): « Quoniam Christus redemptor noster *corpus suum id quod sub specie panis offerebat vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit*, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini *conversionem* fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi ».

Unde, ut notat Joannes a S. Thoma, loc. cit., Concilium non solum definit substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Christi, sed etiam *ideo fieri hanc conversionem, quia Christus vere dixit illud esse corpus suum*. Scotus autem et Durandus scripserunt ante Concilium Tridentinum, sed post hoc Concilium non videtur posse tuto sustineri eorum sententia. Ita etiam Billuart et multi alii.

Corollarium: Ex his autem excluditur non solum *consubstantiatio*, sed etiam *impanatio*; si enim substantia panis non remanet, sed tota

[1] De potentia absoluta Deus potest dare gloriam sine gratia præcedenti, sed tunc gloria non erit objectum meriti.

convertitur, manifestum est quod Verbum non assumit sibi hypostatice panem. Insuper hæc impanatio est merum figmentum, absque ullo fundamento in Sacra Scriptura et in Traditione.

Sequitur etiam ex prædicta ratione, ut notant Thomistæ, v. g. Gonet et Billuart, *non remanere materiam* panis informatam anima rationali Christi, *neque formam*, sola materia conversa in corpus Christi, neque *subsistentiam* et *existentiam* panis, quia Concilium Tridentinum definit fieri « conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, *manentibus dumtaxat speciebus panis et vini* ». Hæc est non solum declaratio, sed et definitio, in canone 2° (Denz. 884), sub pœna anathematis. Manifestum est autem quod subsistentia et existentia substantialis panis pertinent ad ordinem substantiæ, et igitur non remanent, si, ut ait Concilium, « manent dumtaxat species panis et vini ».

OBJICITUR contra hanc secundam rationem S. Thomæ:

Etiamsi remaneret substantia panis, adhuc vera essent hæc verba: *Hoc est corpus meum*, sicut vere dicitur, demonstrato dolio: *Hoc* est vinum, quamvis sit simul vinum et lignum dolii.

Respondetur: Disparitas est, quia dolium ex usu destinatum est ad aliquid liquidum continendum, unde dicere, demonstrato dolio, « hoc est vinum », est dicere: liquidum in hoc dolio contentum est vinum. Per metonymiam sumitur continens pro contento. E contra panis non est ex natura sua nec ex usu hominum destinatus ad continendam aliam substantiam. Proinde, si remaneret substantia panis, dicere: « hoc est corpus meum » esset dicere: « hic panis est corpus meum ». Et hæc propositio falsa est.

Instantia: Sed remanent accidentia panis, et tamen verificantur verba: hoc est corpus meum.

Respondetur: Disparitas est, quia pronomen *hoc*, tam ex natura sua, quam ex usu hominum, non demonstrat accidentia, sed substantiam sub his latentem. Substantia prima est id quod est, accidens est id quo aliquid est tale, v. g. album.

Instantia: Hæc propositio, demonstrato Christo, vera est: *hic homo est Deus*. Atqui humanitas Christi non convertitur in divinitatem. Ergo pariter verum esset dicere: *hoc est corpus meum*, quamvis panis non esset conversus in corpus Christi.

Respondetur: Disparitas est quod in prima propositione, *hic homo* supponit pro *supposito* seu *persona* non pro natura humana, scil. hæc persona habens humanitatem est Deus. E contrario in secunda propositione « hoc est corpus meum », *hoc* supponit non pro supposito habente duas naturas, sed pro substantia demonstrata. Ed ideo si remaneret substantia panis, sensus esset: « substantia panis est corpus meum », quod falsum est.

Sic remanent duæ primæ rationes S. Thomæ.

Aliæ rationes. — Duæ aliæ sunt relative minoris momenti.

Tertia est quod permanentia panis contrariatur venerationi Eucharistiæ, nam quidquid in ea continetur, adoratur. Substantia autem panis adorari nequit.

Quarta ratio est quod permanentia panis contrariatur ritui Ecclesiæ secundum quem post corporalem cibum non licet sumere corpus Christi, cum tamen post unam hostiam consecratam licet sumere aliam.

Ergo ex omnibus his quatuor rationibus concludit S. Thomas: « Hæc positio (permanentiæ panis) vitanda est tanquam hæretica ». Si hoc autem dicebat ante Concilium Tridentinum, a fortiori postea dicendum est.

Inter has quatuor rationes, principalis videtur esse secunda sub aspectu positivo, nam sumitur ex ipsis verbis consecrationis; hæc confirmata est a Concilio Tridentino et enuntiatur ut principalis a Thomistis; sed prima ratio sub aspectu speculativo est fundamentalis.

Ad 2um: In aliis sacramentis remanet substantia materiæ, v. g. aquæ, olei, quia in aliis sacramentis non est ipse Christus realiter. Non datur transsubstantiatio nisi in Eucharistia.

Aliæ factæ sunt objectiones, ex permanentia accidentium, præsertim a Cartesianis. Dixerunt enim Cartesiani: accidentia non possunt esse sine subjecto. Atqui accidentia panis et vini remanent in Eucharistia. Ergo remanet substantia panis et vini.

Solutio autem hujusce objectionis pertinet ad qu. 77 de accidentibus remanentibus in hoc sacramento. Responsio est ibidem a. 1, ad 1um et 2um: « accidentia non possunt esse naturaliter sine subjecto, concedo; miraculose, nego ». Hoc non repugnat quia est distinctio realis inter substantiam et accidens, v. g. inter substantiam panis et ejus quantitatem seu extensionem, nam ante considerationem mentis nostræ, vera est hæc propositio: extensio panis non *est* ejus substantia, sed præsupponit ejus substantiam, quæ est tota in toto et tota in qualibet parte. Quæ autem *realiter* sic distinguuntur, possunt miraculose a Deo separari, proinde accidentia eucharistica non actualiter inhærent in aliquo subjecto, sed conservant *aptitudinem* ad inhærendum, prout hæc aptitudo est de eorum essentia cf. q. 77, a. 1, ad 2um.

q. 75, a. 3.

ART. III. — UTRUM SUBSTANTIA PANIS ET VINI POST CONSECRATIONEM ANNIHILETUR

Status quæstionis: Primo aspectu videtur quod hic articulus sit inutilis post præcedentem, ex quo jam apparet quod substantia panis convertitur in corpus Christi et proinde non annihilatur.

Attamen hic articulus tertius utilis est ad clarius excludendam *substitutionem* substantiarum, sicut præcedens ad excludendam earum *coexistentiam.* Aliqui enim dicere possent et aliqui dixerunt: non remanet quidem substantia panis, quia annihilata est, et loco ejus adductum est corpus Christi per transsubstantiationem non conversivam sed adductivam.

Ita Scotistæ (cf. ipsum Scotum in IV Sent. dist. XI, q. 3, a. 1): Pro Scoto panis annihilatur per accidens, ratione adductionis corporis Christi. Cf. Cajetanum in nostrum articulum.

1a difficultas, posita initio articuli, est quod, cum substantia panis non existat amplius post consecrationem, videtur quod sit annihilata, aut in præjacentem materiam resoluta. — 2a difficultas: Terminus a quo in qualibet mutatione non remanet, nisi forte in potentia materiæ; atqui substantia panis fuit terminus a quo hujusce mutationis. — 3a difficultas: Post consecrationem substantia panis est *aliquid* aut *nihil,* non datur medium; atqui non est aliquid; ergo est nihil, scil. annihilata est.

Conclusio tamen est: *Substantia panis non annihilatur.* Cf. de hac re Cajetanum, Gonet a. 3.

1° Probatur *ex auctoritate Conciliorum,* in quibus, ut dictum est, clare affirmatur quod tota substantia panis *convertitur* in corpus Christi. Quod autem convertitur in aliquid positivum non annihilatur, seu non cadit in nihilum, sed in istud aliud transit. « Insuper, ut ait S. Thomas, in argumento « sed contra » juxta Augustinum: Deus, cujus virtute perficitur hoc sacramentum, non est causa tendendi in nihilum ».

2° In corpore articuli, S. Thomas duo probat: a) quod substantia panis non resolvitur in præjacentem materiam; *b*) quod non annihilatur, ut quidam posuerunt. Principale argumentum est secundum:

a) *Præjacens materia,* in qua resolveretur substantia panis, non esset materia prima quæ non potest esse sine forma, sed essent elementa panis.

Atqui, cum post consecrationem nihil sit in Eucharistia nisi corpus Christi, hæc elementa inde discedere deberent per motum localem, quod sensu perciperetur. Imo non possent recedere nisi in ultimo instanti prolationis formulæ, quæ antea non significat aliquid determinatum et nihil proinde efficit; in hoc autem ultimo instanti jam est præsens corpus Christi, nam *primum esse* corporis Christi est *primum non esse* panis; ergo non erit aliquod instans in quo sit ibi præjacens materia. Cf. litteram articuli.

b) *Nec annihilata est substantia panis,* quod sic probatur:

— *Non datur aliquis modus quo corpus Christi sit præsens, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum,* ut dictum est articulo præcedenti et declaratur a Conciliis.

— *Atqui id quod convertitur non annihilatur, nam annihilatio terminatur ad purum nihilum,* dum conversio terminatur ad aliquid positivum, in casu ad corpus Christi in quod panis convertitur. Videbimus infra, cum Cajetano, quod formaliter terminus hujus conversionis est

quod *id quod erat panis nunc est corpus Christi præxistens.* Non dicitur quod terminus hujus conversionis sit simpliciter corpus Christi, quia corpus Christi præexistit et non producitur, sed est corpus Christi *ut ex pane.* Si vero transsubstantiatio esset productiva, tunc terminus ejus simpliciter esset corpus Christi ab ea productum. Sed ad excludendam annihilationem panis sufficit quod positivus sit terminus conversionis quæ fit in hoc sacramento.

Ad 1um: Substantia panis non annihilatur, sed convertitur, aliquomodo sicut aer ex quo generatur ignis non annihilatur, sed convertitur in ignem, remanente tamen materia aeris sub forma ignis, dum in transsubstantiatione *etiam materia panis convertitur.*

Ad 2um: In mutatione substantiali naturali, forma compositi corrupti, quæ erat terminus a quo mutationis, remanet in potentia materiæ. Sed hic *tota substantia panis convertitur, etiam ejus forma;* ut infra dicetur a. 6.

Ad 3um: Post consecrationem *substantia panis non est aliquid, et tamen non fuit annihilata, sed conversa,* ita ut *id quod erat panis* jam sit corpus Christi.

Objecerunt quidam: Si nunc reproduceretur de novo substantia panis eadem numero quæ per consecrationem desiit, esset vera creatio. Atqui id quod opponitur creationi est annihilatio. Ergo desitio hujus substantiæ panis fuit annihilatio.

Respondet Gonet a. 3: « Nego antecedens, nam divina omnipotentia posset eundem numero panem restituere dupliciter, scil. per modum creationis et *per modum reconversionis,* convertendo scil. corpus Christi in ipsum, sicut ipse primo fuit conversus in corpus Christi, et tunc esset mutatio opposita illi quæ modo fit in pane; secus vero si primo modo panis restitueretur ».

Addit Gonet: « Non substantia panis desinit esse per solam suspensionem actionis conservativæ, sed per conversionem in corpus Christi ».

Corollarium: *Quia substantia panis non remanet, ejus accidentia separantur a subjecto, et non e converso,* scil. falsum esset dicere: hæc substantia panis non remanet, quia accidentia ejus separantur a subjecto. Hoc notatur a Gonet circa præsentem articulum: « Ex his, inquit, intelliges falsam esse sententiam Suarezii existimantis (inclinando ad opinionem Scoti) substantiam panis desinere per actionem qua accidentia separantur a subjecto [1], quia hæc, spoliata accidentibus, postulat connaturaliter non manere. Patet, ex dictis, hujus sententiæ falsitas: Nam prius intelligitur substantia panis desinere esse, quam accidentia ab illa separentur: *separantur enim ab ea quia ea non amplius remanet.*

1 Cf. Suarez, *de Sacramentis,* disp. L., sect. VII.

Ergo talis substantia panis non desinit ex vi actionis separantis accidentia a subjecto ».

Sed ut dixit S. Thomas in plena conformitate cum tota Traditione et Conciliis, *substantia panis desinit prout convertitur in corpus Christi,* quod præexistebat in cælo, et nunc est in Eucharistia; sic id quod erat panis nunc est in Eucharistia et etiam in cælo, prout corpus Christi est tum in cælo, tum in sacramento.

Animadversio: Conceptiones Scoti et Suarezii remanent valde complexæ, in eis invertitur ordo a Traditione admissus, *multiplicantur miracula* per adductionem corporis Christi, per separationem accidentium panis a subjecto, ac deinde per annihilationem vel saltem cessationem substantiæ panis. Hæc nimia complicatio non est signum veritatis.

E contrario secundum traditionalem sententiam explicatam a S. Thoma, *posita conversione substantiæ panis in corpus Christi, omnia alia sequuntur, seu resultant,* scil. præsentia realis corporis Christi et quod accidentia panis remaneant sine subjecto. Sic modo simul simplici et profundo hæc diversa per modum unius explicantur, et absque actione in corpus Christi remanens in cælo, sed per solam conversionem substantiæ panis in ipsum.

ART. IV. — UTRUM PANIS POSSIT CONVERTI IN CORPUS CHRISTI

Status quæstionis: Magis directe nunc consideranda est ipsa transsubstantiatio. Ex prædictis apparet quod hæc conversio necessaria est ad præsentiam realem, ut a Traditione admissum est, sed remanent difficultates circa intrinsecam possibilitatem hujusce conversionis in se consideratæ.

1a *difficultas* enuntiata initio articuli sumitur ex principio mutationis, scil. in omni mutatione oportet esse aliquod subjectum, quod aliter et aliter se habeat. Atqui conversio panis in corpus Christi *esset mutatio sine subjecto transmutato,* nam *tota substantia* panis converteretur, etiam ejus materia. Ergo hoc videtur repugnare.

Ratio hujusce difficultatis est quod principium mutationis: « omnis mutatio supponit subjectum transmutatum » videtur habere eandem necessitatem et universalitatem, ac principium causalitatis efficientis: « nihil fit sine causa » et ac principium finalitatis: « omne agens agit propter finem ». Miraculum autem potest esse præter leges physicas naturæ, non vero præter principia metaphysica; nequidem miraculose potest aliquid fieri sine causa, nec agens potest agere sine ulla finalitate, ergo pariter nequidem miraculose potest esse mutatio sine subjecto transmutato, quod aliter se habeat prius et nunc.

Ad solutionem hujusce difficultatis, ut videbimus, considerandum est, quod causa in communi dicitur non univoce sed analogice de agente, de fine, de forma et de materia, et quod Deus supremus agens et finis nequit esse causa materialis nec formalis rerum. Ex his apparebit quod

necessitas non invenitur univoce, sed analogice, in prædictis principiis causalitatis efficientis, finalitatis et mutationis. Sed S. Thomas optime formulavit difficultatem, et eam, ut videbimus, clare solvit.

Aliæ duæ difficultates sunt quasi instantiæ:

2ª *difficultas*: Nec potest dici quod forma corporis Christi de novo incipiat esse in materia panis. Hæc enim non remanet. Ergo hæc conversio nullam similitudinem videtur habere cum conversione naturali; et igitur non est intelligibilis.

3ª *difficultas*: Nec materia panis potest converti in materiam corporis Christi. Quæ enim secundum se diversa sunt, nunquam unum eorum fit alterum, v. g. nunquam albedo fit nigredo, sed subjectum albedinis fit subjectum nigredinis. Atqui duæ materiæ signatæ sunt secundum se diversæ, ut individuationis principia. Ergo hæc materia panis non potest fieri hæc materia corporis Christi, absque subjecto remanente.

Responsio tamen est: *Tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi,* et proinde hæc conversio dicitur proprie transsubstantiatio.

1° Probatur auctoritate Conciliorum quæ supra citavimus (cf. Denz. 355, 416, 424, 430, 666, 698, 706, 877, 884. Præsertim citandum est *Concilium Tridentinum* 884: « Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis... negaveritque mirabilem illam et singularem *conversionem totius substantiæ panis in Corpus et totius substantiæ vini in sanguinem,* manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime *transsubstantiationem* appellat, a. s. ».

Sunt quasi ipsa verba S. Thomæ, in fine nostri articuli, dum e contra Concilium Tridentinum nihil dicit in favorem transsubstantiationis adductivæ cum annihilatione panis per accidens ei adjuncta, de qua locutus est Scotus. Non dicendum est quod Concilium Tridentinum doctrinam S. Thomæ suam fecit, sed quod S. Thomas optime servavit traditionalem sensum conversionis et transsubstantiationis, qui sensus adhuc magis explicite definitur in Concilio Tridentino, ita ut positio Scoti satis clare appareat esse non secundum prædictum Traditionis sensum.

2° In corpore articuli S. Thomas manifestat quodammodo possibilitatem hujusce conversionis, saltem ostendit quod ejus possibilitas improbari nequit.

Argumentum ad hoc reducitur:

— Omne agens agit in quantum est in actu, prout operari sequitur esse et modus operandi modum essendi.

— Atqui Deus est actus infinitus.

— Ergo Deus potest agere non solum ad limitatum effectum, scil. ad immutationem formæ in aliquo subjecto permanente, sed ad conversionem totius entis, ut scil. tota substantia hujus convertatur in totam substantiam illius.

Brevius: *Deus et Deus solus habet potestatem immediatam in ens in quantum est ens* ad illud producendum per creationem (Iª, q. 45, a. 5) *et ad illud immediate immutandum* per transsubstantiationem.

Cf. *ad* 3um: « Virtute agentis infiniti (quod habet actionem in totum ens) potest talis conversio fieri, quia utrique formæ et utrique materiæ est *communis natura entis,* et *id quod est entitatis in una* (scil. essentia, subsistentia et existentia) potest Auctor entis convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur ». Sic *Auctor entis* potest transsubstantiare lapidem in panem, lupum in agnum, agnum in angelum, non vero, ut infra dicetur, angelum in Deum.

Plura remanent **dubia** circa hanc demonstrationem, et melius est ea examinare ante solutionem objectionum:

1° An sit certum et evidens quod *Deus solus* possit immediate immutare ens in quantum ens. 2° Utrum S. Thomas proprie *demonstret,* an solum *suadeat* Deum posse transsubstantiare. 3° An possibilitas transsubstantiationis nequeat ex sola ratione *positive demonstrari,* sicut v. g. possibilitas Trinitatis.

Dubium 1um: Quare *solus Deus* possit immediate immutare ens in quantum ens. Videtur quod difficilius sit creare aliquid ex nihilo, quam convertere aliquod ens jam præexistens in aliud.

Respondetur: Immediata immutatio entis in quantum est ens supponit eandem universalitatem in causa ac immediata productio hujusce effectus universalissimi. Nam, ut ait S. Thomas Iª, q. 45, a. 5: « Oportet universaliores effectus in universaliores et priores causas reducere. Inter autem effectus, universalissimus est esse (vel ens in quantum ens, quod dicitur ab esse). Unde oportet quod esse in quantum hujusmodi, et non in quantum est tale esse, vel hoc esse, sit proprius effectus primæ et universalissimæ causæ quæ est Deus ». Sicut ignis potest ignire, lux illuminare, Ipsum esse subsistens potest producere esse absolute, vel ens in quantum ens quod dicitur ab esse.

Sic solus Deus habet potestatem immediatam circa ens in quantum ens, id est: solus ille potest illud immediate producere, et immediate immutare, scil. non mediante alio effectu limitato. Ad hoc requiritur causa universalissima.

Agens naturale non potest immutare ens, nisi *mediante* mutatione formæ in eadem materia. Ita imaginatio, quæ non potest producere judicium intellectuale, non potest illud immediate immutare, sed tantum mediate, scil. mediante suo effectu proprio, nempe phantasmate.

Ex hoc pariter sequitur aliquid magni momenti ad discernibilitatem miraculi, contra diffusam objectionem: non congnoscimus omnes vires naturæ, et proinde effectus qui dicitur miraculosus forte producitur a causis naturalibus ignotis (cf. opus nostrum *de Revelatione,* de discernibilitate miraculi: l. II, c. XIX, a. 3, § IV).

Quomodo respondendum est huic objectioni ex principiis hujusce articuli?

Ex principiis enuntiatis in nostro articulo, respondendum est: *Non cognoscimus positive quidquid potest natura creata,* sed cognoscimus quid non potest; scil. *non potest producere effectus proprios Dei,* scil. effectus qui postulant *causam universalissimam.*

Sic solus Deus potest producere materiam, et animam spiritualem cum facultatibus suis superioribus, quia hæ non possunt produci nisi per modum *creationis* ex nihilo, et proinde solus Deus potest virtute propria *immediate* immutare materiam primam, substantiam animæ v. g. in miraculo resurrectionis, rursus uniendo animam cum corpore, unione substantiali, non mediantibus dispositionibus accidentalibus præviis. Item solus Deus sua universalissima causalitate potest v. g. per lumen propheticum et gratiam *immediate* immutare *ab intus* intellectum nostrum et voluntatem, qui ordinantur ad universale verum et ad universale bonum. Ordo agentium debet correspondere ordini finium.

In his omnibus, sicut in transsubstantiatione, requiritur *causa universalissima,* quia universalissimi effectus reducendi sunt in universalissimam et primam causam.

Sic in omnibus rebus ens universale in prædicando postulat ens universale in essendo et in causando, scil. postulat Deum, ut causam.

In hac igitur quæstione est aliquid omnino certum, scil. quod nulla creatura potest transsubstantiationem producere; et quod, si transsubstantiatio sit possibils, a solo Deo produci potest. Hoc est evidentissimum. Aliis verbis: transsubstantiatio certo superat omnes leges naturæ tum cognitas, tum ignotas.

Dubium 2um: *An proprie demonstretur possibilitas transsubstantiationis.*

Respondetur: Hæc possibilitas saltem suadetur ab argumento S. Thomæ, et simul ostenditur quod hæc possibilitas *improbari nequit.* Cf. Cajetanum in a. 4, n. IX fine. Quare enim *auctor entis* non posset convertere totam entitatem alicujus substantiæ creatæ in quamlibet aliam substantiam creatam, etiam lapidem in angelum? Id quod repugnat, est solum quod Deus convertat substantiam creatam in seipsum, in Deitatem, quia non potest dici quod *ipse Deus sit ex pane,* vel ex alia substantia in ipsum conversa, quia sic Deus quodammodo dependeret ab ista substantia.

Imo satis evidens est quod transsubstantiatio potest esse vel *productiva* novæ substantiæ, vel *non productiva* si fiat in substantiam præexistentem ut panis convertitur in corpus Christi præesistens.

Et propter difficultates infra considerandas, quæ remanent ratione hujusce *præexistentiæ* corporis Christi, argumentum S. Thomæ forte potius suadet quam positive demonstrat possibilitatem transsubstantiationis.

Saltem ex hoc argumento habetur quod transsubstantiatio non potest dici impossibilis. Id est ejus possibilitas probatur saltem negative, scil. supposita omnipotentia divina non potest probari impossibilitas transsubstantiationis.

Dubium 3um: *An repugnet quod positive probetur transsubstantiationis possibilitas.*

Respondetur: Non videtur repugnare, quia transsubstantiatio est solum miraculum primi ordinis, non est proprie mysterium essentialiter supernaturale, quia non pertinet immediate ad vitam Dei intimam, nec ad participationem ejus, sic differt a mysteriis Trinitatis, Incarnationis, vitæ gratiæ et gloriæ. Deus, ut auctor naturæ, sicut potest creare seu producere ens in quantum ens, potest pariter transsubstantiare substantiam ligni in substantiam auri. Ad hoc producendum non requiritur quod Deus interveniat ut auctor gratiæ et gloriæ, sufficit quod interveniat ut auctor et dominator naturæ. Unde non videtur repugnare, quod positive probetur possibilitas transsubstantiationis; sed cum sit quæstio difficillima, sufficit dicere quod ejus possibilitas improbari nequit, ut statim videndum est ex solutione difficultatum in fine articuli et postea ex solutione objectionum Scoti (cf. Cajetanum; del Prado, *De Veritate fundamentali,* p. 575-585; Billot, et P. V. Cachia, thesis pro doctoratu « *De transsubstantiationis natura juxta sanctum Thomam et Scotum* », Roma, Angelicum 1929).

Notandum est quod S. Thomas dicit in IV Sent. dist. II, q. 1, a. 3 quod Incarnatio est dignior transsubstantiatione, et etiam creatio [1].

* * *

Solvuntur objectiones:

1a *difficultas* posita a S. Thoma initio articuli:

Nequidem miraculose potest esse *mutatio sine subjecto transmutato,* sicut sine causa efficienti, sine specificatione, et sine finalitate. Atqui transsubstantiatio esset mutatio sine subjecto transmutato. Ergo transsubstantiatio est impossibilis.

Respondetur secundum verba S. Thomæ *ad 1um*: « Transsubstantiatio, ut conversio totius substantiæ panis, est sicut in subjecto in utraque substantia, sicut ordo et numerus ». Unde in forma: Distinguo

1 « Assumptio enim, inquit, humanæ naturæ terminatur ad personam Filii Dei, quæ est *dignius quid* quam corpus Christi, ad quod terminatur transsubstantiatio ».

Insuper *creatio est maioris virtutis* indicativa quam transsubstantiatio, qui « magis distat *non ens* simpliciter ab ente, quam *hoc ens* ab hoc ente ».

Attamen dicit IIIa, q. 75, a. 8, ad 3: « In hac conversione (transsubstantiatione) sunt *plura difficiliora* (pro cognitione nostra) quam in creatione... » scil. non solum totalis conversio substantiæ panis, sed permanentia ejus accidentium, et v. g. quod possint nutrire de quo q. 77, 3, 5, 6. Transsubstantiationis quæstio est multo magis complexa quam quæstio de creatione.

majorem: nequidem miraculose potest esse mutatio sine subjecto aut *partialiter*, aut *totaliter transmutato*, concedo; sine subjecto partialiter solum transmutato, nego.

Contradistinguo minorem: Transsubstantiatio esset mutatio sine subjecto partialiter tantum transmutato, concedo; sine subjecto totaliter transmutato seu converso, exceptis solis accidentibus, nego.

Explico: Mutatio supponit subjectum quod aliter se habet nunc et prius, sic *creatio ex nihilo non est mutatio*, quia non præexistit subjectum, et propterea non potest esse instrumentum ad aliquid creandum. Sed *subjectum* mutationis *in mutatione naturali*, sive accidentali sive etiam substantiali, *nonnisi partialiter transmutatur*, ad minus remanet materia quæ communis est sub formis successivis.

Miraculose autem fieri potest mutatio in subjecto totaliter transmutato, seu converso in aliam substantiam.

Tunc nequidem in uno instanti datur mutatio sine subjecto, nam transsubstantiatio fit in instanti indivisibili, quod est primum instans præsentiæ corporis Christi, seu *primum esse* corporis Christi, et *primum non esse* substantiæ panis; statim antea erat tempus divisibile in infinitum. Unde in hoc non apparet repugnantia. Hæc mutatio omnino instantanea est in subjecto totaliter transmutato in aliud subjectum.

Et in transsubstantiatione servantur principia causalitatis efficientis et finalitatis et mutationis, quamvis totaliter convertatur et forma et materia panis.

Instantia: Sed principium mutationis: « non datur mutatio sine subjecto permanente » non est minus necessarium quam principium causalitatis efficientis et principium finalitatis; ergo deberet remanere quoddam subjectum quod aliter et aliter se haberet.

Respondetur: Notio causæ et necessitatis causalis non dicitur univoce de quatuor causis, sed analogice, scil. proportionaliter; insuper Deus, qui est supremum agens et ultimus finis, et habet suam formam propriam, scil. Deitatem, nullo modo potest esse causa materialis. Sic causa per posterius dicitur de materia, seu de subjecto mutationis, et pariter necessitas causalis. Proinde aliquid potest produci ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subjecto, sed tunc creatio non est mutatio, quia non fuit subjectum præexistens.

Transsubstantiatio e contra est quædam mutatio, sed totalis; et metaphysice loquendo non potest esse mutatio sine subjecto mutato, attamen subjectum istud potest miraculose *totaliter transmutari* seu *converti*. Saltem possibilitas hujusce totalis conversionis improbari nequit. Unde in fine responsionis ad 1um dictum est: « Conversio est, *sicut in subjecto, in utraque substantia*, sicut ordo et numerus ».

Ad 2um *dicitur*: « *In conversione totius substantiæ non est accipere aliquod subjectum* », scil. non est aliquod subjectum quod remaneat saltem partialiter idem, sicut dum materia remanet sub formis successivis; sed est subjectum quod totaliter convertitur, nec annihilatur.

Ad 3um: Quid significant proprie hæc verba: « *Id quod est entitatis* in una substantia potest auctor entis convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur »? Hoc significat, ut bene explicat Cajetanus, quod *id quod erat panis EST nunc corpus Christi*, id est non annihilatur, et nequidem partialiter remanet, quia non remanet nec panis materia, nec ejus forma, nec ejus subsistentia, nec ejus existentia, sed *quidquid entitatis* erat in substantia panis nunc *est* corpus Christi præexistens.

Ut bene explicat Cajetanus a. 4, n. IX: Hoc est dicere: « Dum tota res quæ est panis convertitur in corpus Christi, *formalis ratio naturæ entis salvatur*, formalis vero ratio proprii constitutivi et distinctivi panis non salvatur. Post conversionem enim panis in corpus Christi, *panis entitas conversa entitas quædam est*, panis vero conversus panis non est. Sic enim verificatur quod sit conversio *entitatis in entitatem*, sublato eo per quod distinguebantur... (Sic) tota res convertitur in totam rem, ita quod nihil ejus secundum se remaneat, aut in nihilum decidat ».

Dicit ibidem Cajetanus: « Res conversa *sic secundum communia quasi salvatur, quod iterum suscipit eorundem prædicationem*, secundum vero propria non subit eorundem prædicationem ».

Unde, ut notat Cajetanus, a. 4, n. IX, *natura entis*, in qua res quæ convertitur communicat cum altera, *remanet in illa altera, non in seipsa* (quia sic non converteretur in alteram rem), *sed in sibi simili*. E contra constitutivum proprium panis non remanet nec in se, nec in suo simili, et propterea dicitur auferri.

Objectio: Separatio entitatis panis ab ejus differentia specifica fieri nequit, quia hæc differentia adhuc est ens.

Respondetur: Non fit hæc separatio, quia non remanet ipsa entitas panis, tota ejus substantia convertitur, sed *natura entis* remanet in altera substantia, scil. corporis Christi, dum differentia specifica panis nullo modo remanet, nec in se, nec in altera simili.

* * *

Alia dubia per modum complementi solvenda sunt:

Dubium 4um: An veritas transsubstantiationis sit solum conclusio theologica, communiter recepta, et auctoritate Ecclesiæ sancita.

Respondetur: Est plus quam conclusio theologica, est enim dogma fidei, cujus negatio esset hæresis et non solum propositio erronea. Hoc constat ex Concilio Tridentino (Denz. 877, et can. 2, 884): « Si quis negaverit hanc mirabilem conversionem... an. sit », et ex declaratione Pii VI, contra errores synodi Pistoriensis, cf. Denz. 1529 in qua dicitur: « Doctrina hujusce synodi prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis... quam velut *articulum fidei* Tridentinum Concilium definivit (877, 884) et quæ in solemni fidei professione continetur (997) ».

Ibidem damnatur hæc omissio « ut perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicæ circa *dogma transsubstantiationis* ».

Unde tria sunt credenda: 1° præsentia realis corporis Christi; 2° nihil remanere de substantia panis; 3° transsubstantiatio.

Dubium 5um: An in theoria transsubstantiationis adductivæ et non conversivæ proposita a Scoto, postea a S. R. Bellarmino, *salvetur proprietas verborum quibus Concilia dogma transsubstantiationis enuntiant.*

Respondetur negative (cf. Hugon, *De Eucharistia,* p. 361). Hæc enim theoria admittit substitutionem substantiarum; multum autem interest discrimen inter *substitutionem* et *transsubstantiationem*: nec dici potest aliquam substantiam *converti* eo quod altera ipsi succedit. Atqui adductio vel introductio corporis Christi secundum se nihil aliud important nisi substitutionem vel successionem unius substantiæ loco alterius. Ergo non servatur proprietas verborum Conciliorum.

Notandum tamen est quod in hoc est quædam differentia inter Scotum et S. R. Bellarminum. Scotus enim (IV Sent. disp. XI, q. 4) et pariter Occam (IV Sent., q. 6, dub.VII), Gabriel Biel. (q. 1) dicunt: annihilatur substantia panis et corpus Christi adducitur. S. R. Bellarminus (*De Eucharistia,* l. III, c. XIII), licet annihilationem panis excludat, docet actionem adductivam, quia corpus Christi *præexistens* non potest nisi adduci, sed tamen non localiter adducitur. Lugo fere eodem modo loquitur de actione introductiva corporis Christi. Hæ omnes explicationes conversionem reducunt ad *actionem mere accidentalem;* nam adducere, introducere, motum quidem exprimunt, sed nullatenus actionem conversivam substantiæ. Sic non servatur proprietas verborum Conciliorum.

Denique, ut bene notat P. Billot (*De Sacramentis,* 4a ed., p. 337, 360), multo melius loquendum est de *transsubstantiatione conversiva,* quam de transsubstantiatione reproductiva, nam corpus Christi præexistens non potest iterum produci, quin in seipso mutetur. Servanda sunt omnino verba S. Thomæ, in nostro articulo, ut optime ostendit Cajetanus, et inter recentiores P. del Prado, Cachia, Tanquerey, Van Noort, Hervé. Sic vere servatur etiam proprietas verborum Concilii Tridentini.

Dubium 6um: Utrum veritas definita transsubstantiationis fuerit solum ex revelatis deducta discursu proprie et objective illativo an formaliter implicite revelata [1].

Respondetur communius: Hæc veritas, proposita ad Ecclesia ut dogma credendum formaliter propter auctoritatem Dei revelantis, fuit revelata formaliter implicite, simul cum præsentia reali, et manifestata est per discursum explicativum, aut subjective illativum, non objective illativum. Est sententia communior.

1 Scotus, Durandus, Occam contendunt transsubstantiationem ex Sacra Scriptura probari non posse.

Id enim quod credendum est formaliter *propter auctoritatem Dei revelantis* debet esse *simpliciter revelatum,* ad minus implicite, et non solum *simpliciter* ex revelatis *deductum* ut nova veritas in se non revelata [1].

Propterea S. Thomas dixit in q. nostra 75, a. 2: « Positio secundum quam remanet substantia panis contrariatur formæ sacramenti (expressæ in Sacra Scriptura), in qua dicitur: « *Hoc est corpus meum* », quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret; nunquam enim substantia panis est corpus Christi ». Imo ad verificanda consecrationis verba, oportet quod *id quod erat* panis *sit* corpus Christi, nam quando dicitur « hoc », sic designatur id quod est sub speciebus et « annihilatio panis non significatur per verba consecrationis », ut dictum est art. 3. Bene dicit Gonet (disp. IV, n. 13): « Dum Christus dixit: " Hoc est corpus meum ", id quod manibus tenebat in principio dictionis erat panis, in fine corpus suum. Ergo, *ut sint vera consecrationis verba, oportet ut panis sit conversus in corpus Christi* » (cf. infra q. 78, a. 2).

Insuper et præsertim Concilium Tridentinum (Denz. 877) declarat: « Quoniam autem Christus redemptor noster *corpus suum id quod sub specie panis offerebat vere esse dixit,* ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in totam substantiam corporis Christi... Quæ conversio convenienter et proprie a sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata ».

Quod autem hæc sententia semper fuit Ecclesiæ sententia constat ex documentis anterioribus a Denzinger citatis n. 355, 416, 424, 430, 465, 544. Hoc constat etiam ex textibus Patrum, quorum quidam citantur a S. Thoma in nostro articulo 4.

Cf. alios textus Patrum in *Enchir. Patrist.* Rouet de Journel, ubi de transsubstantiatione: index theol. n. 489, et Dict. theol. « Eucharistie » c. 1140 ss., 1287-1302.

Unde Cajetanus respondet Scoto in art. 3, n. VIII et 4, invocando Traditionem (speciatim Ambrosium) secundum quam conversio necessaria est ut servetur veritas verborum consecrationis.

Cajetanus dicit quod secundum Traditionem transsubstantiatio est *causa per se* præsentiæ realis [2].

1 Sed notandum est quod Christus hæc revelavit modo *non abstracto* sed *concreto,* enuntiando verba consecrationis. In hoc speciatim considerandum est quod, cum conversio fiat *in instanti,* Christus non poterat prius dicere: « hoc *fit* corpus meum », et postea: « hoc *est* corpus meum ». Sed enuntiavit *explicite* conversionem *in facto esse* ac præsentiam realem, et *implicite* conversionem *in fieri.*

Post autem errores negantium conversionem, Ecclesia debuit duas propositiones formulare scil. 1am circa conversionem in fieri, 2am circa conversionem in facto esse ac præsentiam realem.

2 IV Concilium Lateranense anno 1215 (Denz. 430) ait: « Corpus Christi sub speciebus panis veraciter continetur transsubstantiato pane in corpus ». Nec, ut notat Cajetanus, Ecclesia imponeret fidem de transsubstantiatione si non esset necessaria ad servandam veritatem verborum consecrationis.

Unde discursus quo manifestatur transsubstantiatio non est objective illativus, sed explicativus, aut ad plus subjective illativus; sic ostenditur quod negare conversionem est tollere veritatem verborum consecrationis. Æquivalenter exprimitur hæc conversio in his verbis, sicut infallibilitas summi Pontificis ex cathedra loquentis æquivalenter exprimitur in verbis Domini: « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt ». Verbum *transsubstantiatio* non apparet nisi sæculo XII [1], sed antea sæpe dicitur *conversio*, ad veritatem verborum consecrationis servandam.

Dubium ultimum: Quænam est relatio doctrinæ S. Thomæ circa transsubstantiationem cum principiis metaphysicæ ab eo formulatis cf. del Prado O. P. *De veritate fundamentali*, p. 575-585.

Ut apparebit ex solutione objectionum Scoti, connectitur doctrina thomistica de transsubstantiatione, 1° cum doctrina *de ente analogice communi* omnibus entibus; 2° cum doctrina *de substantia prima creata*, quæ habet jus ad esse per se, quamvis non sit suum esse, sed realiter ab eo distinguatur, 3° cum doctrina *de accidentibus* realiter a substantia distinctis, quæ per se habent *aptitudinem ad esse in alio*, ita tamen ut earum essentia realiter distinguatur ab eorum esse, seu *inesse* vel inhærere actualiter, 4° cum doctrina *de relatione, quæ non potest produci sine fundamento*, quæque non est mutua, « si extrema non sunt ejusdem ordinis » sic creatura refertur realiter ad Creatorem, non Creator realiter refertur ad creaturas (Iª, qu. 13, a. 7).

* * *

Examen difficultatum Scoti et aliorum.

Hoc examen utile est ad pofundius intelligendum quid sit transsubstantiatio juxta S. Thomam (cf. Scotum in IV, dist. XI, q. 3, ed Vivès, t. XVII, 350 sq.).

1° *Pro Scoto* IV Sent. loc. cit. *non necesse est affirmare conversionem, sufficit quod corpus Christi*, sine deperditione proprii loci in cælo, *acquirat quamdam præsentiam ad species panis*, quæ est quidam respectus quasi de genere *ubi*.

Respondetur: Non datur *nova relatio* sine *fundamento;* atqui fundamentum relationis præsentiæ realis est proprie conversio substantiæ panis in corpus Christi, secundum Traditionem expressam in Patribus et in Conciliis. Id est: conversio et præsentia realis se habent *ut fieri* et *factum esse*. Sic ex ipsa conversione sequitur relatio quidem *realis* specierum panis ad corpus Christi, et relatio rationis corporis Christi ad has species panis. Non enim est relatio realis mutua, quia « duo extrema non sunt unius ordinis »; imo dum species panis dependebant a pane converso in corpus Christi, corpus Christi nullo modo dependet a speciebus panis. Ita facultas visiva realiter refertur ad visibile a quo specificatur, dum res visibilis non realiter refertur ad facultatem visivam; nam res ista *secundum se* est extra ordinem cognitionis, et nihil acquirit ex hoc quod videtur, nec dependet a visu, sed visus ab ipsa.

[1] Primum apparet in operibus Stephani de Baugé Augustodunensis († 1140) et authentice a C. Lateranensi IV (1215) recognoscitur (Denz. 355).

Item est relatio *realis* creaturæ ad Deum creatorem, non vero Creatoris ad creaturam; cf. Iª, q. 13, a. 7: « quia extrema non sunt unius ordinis »: sicut res, in se consideratæ, sunt extra ordinem cognitionis et non referuntur ad scientiam, sed scientia ad eas; ita Deus non refertur ad creaturas, sed creaturæ ad ipsum. Est aliquid simile pro corpore Christi; sic juxta S. Thomam et Thomistas, ex transsubstantiatione, corpus Christi præexistens in cælo non acquirit relationem realem ad species panis, non perficitur, nec minuitur. Sed dicitur præsens in Eucharistia, propter relationem realem accidentium panis ad ipsum; hæc relatio non potest esse sine suo fundamento, quod est conversio. Non enim produci potest realis relatio sine reali fundamento, v. g. filiatio sine generatione passiva ejus qui dicitur filius alterius, nec produci potest relatio similitudinis sine productione similis qualitatis.

Ut corpus Christi haberet relationem realem ad species panis, sicut pater ad filium, oporteret quod mutaretur, seu perficeretur, sicut v. g. pater perficitur active generando. Transsubstantiatio autem secundum Traditionem est actio divina, non in corpus Christi perficiendum aut adducendum, sed in panem convertendum. Cf. S. Thomam (IV Sent., d. XI, q. 1, a. 3, q. 1ª ad 3um) [1].

* * *

2° *Instat Scotus*: Impossibilis est conversio substantiæ panis in *præexistentem* substantiam corporis Christi; quia *non posset assignari terminus* productus ab ista conversione, si corpus Christi præexistens nihil omnino ex ea acquirit. Nec verificatur in Eucharistia transsubstantiatio productiva, quia corpus Christi præexistit. Ergo admittenda est transsubstantiatio adductiva. Nam transsubstantiatio non potest esse nisi productiva, vel adductiva. Ita plures theologi post Scotum.

Respondetur secundum Cajetanum in art. 4, n. V: Transsubstantiatio adductiva non retinet nisi nomen transsubstantiationis, quæ prius in Traditione dicitur conversio. Insuper terminus ad quem transsubstan-

[1] Ibid. S. Thomas dicit « relationem istam ordinis hujus successionis esse *secundum rem* quidem in ipso pane, *qui mutatur*, non autem in corpore Christi vero, *nisi secundum rationem, quia ipsum immutatum manet* ». Cf. P. Cachia, *thesis citata*, p. 70. Idem auctor ait p. 69: « tota diversitas conceptionis de modo quo Christus præsens est inter utrumque Doctorem, in hoc reponenda est: dum S. Thomas præsentiam Christi explicat per mutationem substantiæ panis in corpus Christi, remanentibus dumtaxat speciebus panis, Scotus e contrario illam explicare vult per mutationem inductam in ipso corpore Christi ».

tiationis conversivæ certo non est corpus Christi de novo productum, quia præexistebat et nihil novi acquirit, unde terminus ejus non est corpus Christi absolute, sed terminus iste sic exprimendum est: *Id quod erat panis nunc est corpus Christi.* Hoc pulchre ostenditur a Cajetano (loc. cit. n. V).

Dicit enim Ambrosiaster (*De Sacramentis,* l. IV, c. 4): « Si tanta vis est in sermone Domini Jesu ut inciperet *esse quod* non erat, quanto magis operatorius est ut sint quæ erant et in aliud commutentur. Et sic *quod erat panis jam corpus Christi est,* quia sermo Christi creaturam mutat ».

Insuper instans conversionis est *primum non esse* panis, et *primum esse* corporis Christi sub speciebus panis, ratione conversionis.

Unde, in hoc instanti, terminus ad quem actionis transsubstantiativæ quæ versatur, non circa corpus Christi, sed circa panem convertendum, hic *terminus ad quem non est corpus Christi absolute* (quia præexistebat), sed *hoc quod erat panis esse corpus Christi,* ut patet exponendo pro illo instanti quod ista transsubstantiatio *simul fit et facta est.* Pariter dici potest: terminus est *corpus Christi,* non absolute in se, sed *prout ex pane.*

Brevius hoc sic probatur, ut ibidem n. V ait Cajetanus: « Ante consecrationem, corpus Christi quidem erat, sed non verum erat dicere: id quod erat panis nunc est corpus Christi. In instanti vero consecrationis verum est dicere: id quod erat panis *fit* et *est* corpus Christi, prout transsubstantiatio instantanea simul fit et est. Unde terminus ejus ad quem non est corpus Christi absolute, sed *nunc id quod erat panis est corpus Christi et immediate antea non erat* ».

Cf. etiam Joannem a S. Thoma disp. XXVIII, a. 2.

Et hoc est quod dicitur a S. Thoma in nostro articulo 4 ad 3: « Id quod entitatis est in una substantia panis, potest auctor entis convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur »; item a. 7: « Transsubstantiatio est instantanea », ita ut primum *non esse* panis sit *primum esse* corporis Christi in Eucharistia.

Aliæ sunt instantiæ (cf. Joannem a S. Thoma disp. XXVIII, a. 2: solvuntur argumenta).

Instantia: Idem numero effectus dependere nequit a duabus causis totalibus et adæquatis. Atqui idem corpus Christi dependeret a duabus causis totalibus et adæquatis, id est a Beata Maria Virgine a qua natum est, et a transsubstantiatione. Ergo hoc est impossibile, transsubstantiatio nihil efficeret.

Respondetur: Distinguo majorem: idem numero effectus dependere nequit a duabus causis totalibus adæquatis, si ambæ sunt creatæ, aut *si utraque producat de novo effectum suum,* concedo; bene tamen, si una est creata, altera vera increata et non producat hunc effectum de novo, sed convertat aliquid in ipsum. Revera ita est, quia transsubstantiatio non producit corpus Christi absolute in se, sed prout est ex pane, melius

convertit panem in ipsum (cf. thesim P. Cachia O. P. supra citata, p. 56).

Corollaria articuli 4 apud Joannem a S. Thoma disp. XXVIII, a 3.

1um *Corollarium: Per transsubstantiationem corpus Christi non mutatur physice.* Cf. S. Thomam IV, d. XI, q. 1, a. 3, qla 1: « Id in quod terminatur conversio nullo modo transmutatur »; et in nostro art. 3, ad 1 et ad 2.

Per mutationem physicam enim intelligitur illa quæ sit in aliquo *subjecto communi* utrique extremo. Atqui in transsubstantiatione constat tale subjectum non dari, sed tota entitas substantiæ panis (tam materia quam forma) convertitur in corpus Christi. Ergo.

Similiter constat quod corpus Christi physice non mutatur, quia non est subjectum alicujus mutationis, nec substantialis, nec accidentalis; est substantia panis quæ convertitur in ipsum, et igitur corpus Christi, immotum in se permanens, terminat innumeras transsubstantiationes quæ fiunt quotidie, sicut culmen pyramidis præexistens terminat novas lineas ad ipsum protractas. Corpus Christi, *ut est ex pane* recipit solum *metaphysice novam dependentiam a Deo,* prout incipit de novo esse, non absolute, sed *ex pane.* In hoc, corpus Christi non est subjectum mutationis physicæ, sed metaphysice dependet a Deo transsubstantiatore et a pane converso ut terminus conversionis; et propter hoc impossibile est quod res creata transsubstantietur in ipsam substantiam Dei, qui non potest dependere ab alio.

Unde id quod in transsubstantiatione physice mutatur est solum substantia panis et vini. In hoc profunde differunt sententia S. Thomæ et sententia Scoti, quia pro Scoto præsentia realis corporis Christi explicatur per mutationem inductam, non in pane, sed in ipso corpore Christi. Propterea loquitur de transsubstantiatione adductiva, quæ non videtur nisi transsubstantiationis nomen retinere. Juxta S. Thomam, sunt accidentia panis quæ, remanendo, acquirunt relationem realem ad corpus Christi, quod nunc habet relationem rationis ad ea, et dicitur præsens sub illis [1].

2um *Corollarium: Transsubstantiatio præsupponit subjectum convertendum in aliud,* sic differt a creatione, sed in ea non est subjectum *sub utroque extremo permanens.* Id quod est commune duobus extremis est solum « natura entis » quæ illis duobus analogice convenit.

Id est: non necesse est quod maneat aliquid commune physice, sed *aliquid commune analogice,* id est *aliquid simile.*

Quia vero transsubstantiatio supponit subjectum transmutandum potest fieri per instrumentum, per verba consecratoria, quod est impos-

[1] Ita quodammodo Deus, in omnibus rebus quas in esse conservat, dicitur et est realiter præsens, secundum relationem realem rerum ad Deum, et relationem rationis Dei ad res creatas.

sibile pro creatione, quia non præsupponit subjectum disponendum ad effectum principalis agentis (Iª, q. 45, a. 5).

3um *Corollarium: Quodlibet ens creatum converti potest in quodlibet creatum, non vero in Deum, nec a fortiori Deus in creaturam.*

Ratio primi est quod natura analogica entis invenitur in qualibet creatura. Ratio vero secundi est quod Deus non potest esse terminus ad quem *dependens ex creatura,* v. g. *ex pane.*

4um *Corollarium: contra Vasquez et Suarez: Transsubstantiatio posset esse sine accidentibus panis remanentibus;* quia natura entis est communis illis et accidentibus corporis Christi, unde ipsa accidentia panis possent converti in accidentia corporis Christi.

Sed tunc non esset præsentia realis corporis Christi sub aliquibus accidentibus visibilibus et præexistentibus; verificaretur tamen quod id quod erat panis sit nunc corpus Christi præexistens in cælo. Sed tunc esset etiam transaccidentatio.

* * *

Dubium: *An relatio corporis Christi ad substantiam panis, ex qua fit, sit realis.*

Respondetur: Est relatio realis sed transcendentalis, sicut conversio passive sumpta in fieri et in facto esse est essentialiter relativa ad substantiam panis conversi et ad omnipotentiam Dei convertentis. Sic hæc relatio pertinet ad corpus Christi non absolute sumptum, sed ut *est ex pane,* et fundatur in conversione panis absque mutatione physica corporis Christi. Joannes a S. Thoma loc. cit. hoc æquivalenter affirmat, notando quod non est solum denominatio extrinseca (ut murus visus, Deus præsens in mundo), nec relatio rationis quæ sequitur considerationem mentis nostræ. Alioquin enim esset periculum idealismi, seu considerandi ut quid rationis id quod revera est reale.

Ante considerationem mentis, *realiter ex pane fit corpus Christi.* Insuper: *non potest esse transsubstantiatio in Deum, quia Deus realiter dependeret ab actione transsubstantiativa,* et quodammodo *ex pane.* Corpus Christi potest sic dependere, attamen non ex hoc physice mutatur, quia non est mutationis subjectum, sed terminus.

1ª *Objectio:* Sed relatio realis non potest existere, quin terminus ejus existat. Atqui substantia panis non amplius existit.

Respondetur: Distinguo antecedens: relatio realis prædicamentalis, concedo; transcendentalis, nego. Unde requiritur relatio realis transcendentalis in termino transsubstantiationis, sicut generatio passiva dicit relationem transcendentalem ad activam et fundat relationem prædicamentalem filiationis. Ita hæc anima separata habet realem relationem transcendentalem ad corpus suum non amplius existens.

2ª *Objectio:* Sed in generatione alicujus compositi non fit mentio compositi præcedentis, nec relationis ad illud.

Respondetur: Non est paritas, nam in generatione forma compositi præcedentis totaliter relinquitur, et per accidens se habet ad generatum, dum substantia panis non relinquitur sed convertitur, ita ut corpus Christi fiat præsens sub accidentibus panis.

Notandum est quod realis relatio corporis Christi ad substantias panis in ipsum conversas, est non actualiter sed *virtualiter multiplex,* aliquo modo sicut in homine paternitas ejus est virtualiter multiplex prout respicit diversos filios suos.

* * *

Recapitulatio circa transsubstantiationem.

Optime igitur S. Thomas ordinavit primos articulos hujusce quæstionis:

In a. 1° explicavit verba Revelationis circa *præsentiam realem,* et dedit argumenta convenientiæ.

In a. 2° ostendit quod *non remanet substantia panis* post consecrationem, tum quia non potest incipere præsentia realis corporis Christi nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum, ut dicit Traditio; tum quia falsa essent verba consecrationis.

In a. 3° probat ex prædictis quod *substantia panis non annihilatur,* quia id quod convertitur in aliud non annihilatur, et rursus affirmat quod, nonnisi per conversionem panis in ipsum, corpus Christi potest fieri realiter præsens.

In a. 4° refert conclusionem præcedentium articulorum, et ostendit quod *possibilitas transsubstantiationis improbari nequit,* imo suadetur saltem, quia *auctor entis habet potestatem immediatam in ens in quantum ens cujuslibet creaturæ,* et proinde potest illud convertere in substantiam alterius.

Sic corpus Christi præexistens in cælo est velut culmen ad quod terminantur incessanter transsubstantiationes in celebratione Missarum, est velut culmen pyramidis, immotum in se permanens, ad quod terminarentur novæ lineæ e basi pyramidis protractæ, vel est sicut sol permanens ad quem terminantur novi actus visionis hominum. Non enim corpus Christi præexistens physice mutatur ex innumeris transsubstantiationibus quæ multiplicantur in tempore et terminantur ad ipsum.

q. 75, a. 5.

ART. V. — UTRUM IN HOC SACRAMENTO REMANEANT PANIS ET VINI ACCIDENTIA POST CONVERSIONEM

Status quæstionis: Non quæritur utrum remaneant sine subjecto; de hoc agendum est infra q. 77 quæ tota est de accidentibus eucharisticis sine subjecto remanentibus (cf. ibidem a. 1). Nunc quæritur solum an remaneant.

Difficultas est, 1° quod, remoto priori, removetur posterius; ergo remota substantia panis, removentur ejus accidentia. 2° Per accidentia judicamus de substantia realiter præsente; esset ergo deceptio in sacramento veritatis si remanerent accidentia panis sine ejus substantia. 3° Tunc fides esset contra sensum et quodammodo contra rationem quæ habet ortum a sensu. Sensus enim judicaret esse panem, dum fides credit esse substantiam corporis Christi. 4° Id quod manet, conversione facta, est subjectum mutationis. Accidentia autem panis non possunt esse subjectum hujusce mutationis.

His difficultatibus adjungendæ sunt objectiones Cartesianorum [1].

Responsio est: *Facta consecratione, omnia accidentia panis et vini remanent, ut sensu apparet.* Nec est solum, ut voluerunt Cartesiani, subjectiva apparentia accidentium, sed realitas extramentalis eorum.

1° Probatur auctoritate Sacræ Scripturæ et Traditionis, prout narratur apud Matth. XXVI, 26; Mc. XIV, 22; Lc. XXII, 9, quod, post consecrationem, Jesus « dedit discipulis suis » corpus suum non sub specie propria, sed sub speciebus panis. Ita pluries Summi Pontifices et Concilia declaraverunt quod *realiter manent panis accidentia* (cf. Denz. 416; 582): sub Martino V damnatur hæc propositio Joannis Wicleff: « Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento »; in hac propositione dicitur non solum species panis, sed etiam accidentia panis. Item Denz. 884; Concilium Tridentinum: « *manentibus dumtaxat speciebus panis et vini* ». Sic id quod jam est certum secundum sensum, certius fit secundum infallibilem Ecclesiæ declarationem.

In suo opusculo: « De mente Ecclesiæ circa accidentia Eucharistiæ » Billuart docet: est dogma in Ecclesia receptum, remanere in Eucharistia accidentia solida sine proprio subjecto ». Insuper, ut infra dicetur, erroneum esset negare quod remaneant absque ullo subjecto substantiali.

* * *

Ex his Ecclesiæ declarationibus quid sit dicendum de cartesiana explicatione?

1 Quoad positionem Cartesianorum, cf. Billuart, *de Eucharistia*, disp. I, a. VI, § II. Cartesiani qui essentiam corporis reponunt in trina extensione locali, in longum, latum et profundum, nullum agnoscunt accidens solidum et absolutum a substantia corporis distinctum. Unde ut explicent Eucharistiæ mysterium, in quo fide certum est non manere substantiam panis et vini, manere tamen eorum species, non parum desudant et in varios dicendi modos abeunt.

Quidam dicunt Deum *in sensibus nostris* et in anima easdem impressiones per seipsum operari ad præsentiam Eucharistiæ quas operabatur panis et quas operaretur si adesset. Ita P. Magnan.

Alii dicunt *remanere quidem accidentia panis* non tamen sine subjecto sed *in corpore Christi subjectata*. Ita Antonius Lengrand. Contra quem Billuart scripsit opusculum speciale *De mente Ecclesiæ circa accidentia Eucharistiæ*, 1714. Cf. de hac re in *Revue thomiste* 1901, mars, mai, juillet, tres articulos P. Lehu, O. P., contra P. Leray.

— Pro Cartesio substantia corporum non distiguitur ab extensione, et igitur si non remanet substantia panis, nec remanet ejus extensio, ejus resistentia, ejus color etc.

Quomodo igitur explicantur apparentiæ?

Primus modus dicendi Cartesianorum, scil. species panis sunt solum *impressiones subjectivæ*, non potest ullo modo sustineri. Nam Concilium Tridentinum (sess. 13, can. 2) dicit: *species panis et vini remanent.* Atqui per species panis non possunt intelligi nisi accidentia absoluta panis, quia species illæ, quæ secundum fidem remanent, *sunt aliquid reale extramentale,* non purum nihil; ipsum *nihil* enim non remanet, nec dividitur, nec alicujus rei potest esse species, nec sacramentum seu signum externum constituere.

Si nihil remanet ex parte objecti, sequitur quod Eucharistia non sit signum sensibile, nec igitur sacramentum, præsertim dum hostia consecrata clauditur in pyxide, tunc enim nihil est sensibile ex parte sensuum. Sequeretur etiam quod cum sacerdos tangit, frangit, manducat, porrigit hostiam, nihil reale tangat, frangat, manducet, porrigat, sed imaginarie tantum aut mere subjective, sicut somnians escis imaginariis reficitur. Denique sequeretur quod sensus nostri rite dispositi deciperentur circa proprium objectum debite propositum, quod negat Ecclesia et repugnat rationi. Ita optime Billuart.

Contra vero secundum modum dicendi Cartesianorum, scil. accidentia panis remanere, sed in corpore Christi sujectata, cf. infra q. 77, a. 1, ubi dicet S. Thomas: « Manifestum est quod hujusmodi accidentia non sunt in substantia corporis Christi sicut in subjecto, quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici, nec etiam est possibile quod corpus Christi gloriosum et impassibile existens *alteretur* ad suscipiendas hujusmodi qualitates ».

Sic enim corpus Christi fieret album, rotundum, sapidum etc., et denique corpus Christi immediate tangeretur, frangeretur, manducaretur, nec posset esse totum in qualibet parte hostiæ. Sed de hoc conf. infra q. 77.

* * *

2° In corpore nostri articuli S. Thomas ostendit *convenientiam permanentiæ accidentium panis tripliciter:*

a) Rationabiliter per divinam providentiam hoc fit, quia non est consuetum hominibus, sed horribile, carnem hominis (sub specie carnis) comedere, et sanguinem bibere. Et ideo proponuntur nobis caro et sanguis Christi sumenda sub speciebus panis et vini.

b) Ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur.

c) Ut dum invisibiliter corpus et sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei, prout fides est de non visis.

Hæ tres rationes convenientiæ non excludunt quod quidam sancti ut S. Catharina Senensis, in extasi, accipiant sanguinem Christi sub specie sanguinis fluentis ex latere ejus. Hoc est enim pro illis præmium eorum magnæ fidei; sic sacramentum non irridetur ab infidelibus, quia tunc est speciale privilegium; denique hoc non est horribile, sed dulcissimum in tali statu unionis cum Christo. Verum corpus Christi non est circumscriptive præsens, est ejus vivida apparentia; nam realis bilocatio est impossibilis: corpus Christi esset divisum a seipso si esset circumscriptive præsens in duobus locis distantibus, in cælo et in terra.

Ad 1um: Miraculose, virtute Dei, fieri potest ut remaneant posteriora, id est accidentia, prioribus sublatis, scil. sublata substantia, quia effectus plus dependet a causa prima quam a causa secunda.

Ad 2um: « In hoc sacramento nulla est deceptio; sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia, quæ sensibus dijudicantur. Intellectus autem, cujus est proprium objectum substantia, ut dicitur in III de Anima, c. 6 (lect. 11), per fidem a deceptione præservatur ».

* * *

APPENDIX: **Responsio ad phœnomenismum.**

Responsio ad 2um attente explicanda est, quia hic ponitur quæstio: *Quænam est notio substantiæ omnino necessaria ad servandum dogma transsubstantiationis et præsentiam realem.* Quadruplex dubium hodie proponi potest:

1° *An sufficiat notio substantiæ,* quæ habetur *a sensu communi,* seu a ratione naturali et quæ respondet definitioni nominali, scil. quid significat hoc nomen pro hominibus omnium populorum, prout æquivalenter invenitur in omnibus linguis.

2° An requiratur *notio magis philosophica* substantiæ?

3° An insufficiens sit notio substantiæ proposita a nominalistis et empiristis, scil. *collectio phænomenorum* cum adjuncto nomine communi « substantia »? Imo utrum hæc notio repugnet dogmati.

4° An insufficiens sit notio substantiæ proposita a *conceptualistis* subjectivistis, ut Kantius, juxta quos, substantia est *categoria subjectiva mentis nostræ* sine valore reali.

Cf. Denz. 2026: damnatur hæc propositio modernistarum: « Dogmata fidei retinenda sunt tantum juxta sensum practicum, id est tanquam norma præceptiva agendi, non tanquam norma credendi ».

Respondetur: Ad servandum dogma transsubstantiationis et præsentiam realem, sufficit notio sensus communis seu rationis naturalis prout *quid nominis* confuse continet *quid rei,* seu prout definitio nominalis supposita in omnibus linguis et correlativa conceptui confuso, confuse continet *definitionem realem* correlativam conceptui distincto.

Sed sæpe ad objectiones solvendas non sufficit hæc notio sensus communis, oportet illam explicare, transeundo ad statum distinctum ejusdem conceptus. Hæc est certo mens S. Thomæ, qui sicut Aristoteles, semper transit a definitione nominali (etiamsi de ea non expresse loquatur), seu a conceptu confuso, ad conceptum distinctum. Et propterea Aristoteles (in Met. l. 1, c. 6) valde laudat Socratem ex hoc quod in omnibus inquirebat definitiones (cf. Aristotelem, *Post Analyt.* l. II, *de venatione definitionum,* et *Met.* Index ad verbum « definitio »).

Quænam est igitur *communis notio substantiæ* et quomodo fit transitus ab ista notione confusa ad eandem ut distinctam? In hoc est exemplum evolutionis dogmatis.

Communiter nomine substantiæ designatur *quodlibet ens per se seu in se subsistens,* quod cognoscitur per suas varias proprietates. Sic omnes homines dicunt quod lapis, ferrum, aurum, panis sunt substantiæ et saltem in confuso sic distinguunt substantiam a qualitatibus suis sensibilibus. Hæc notio ad modum definitionis nominalis invenitur in quolibet vocabulario ordinario, nam in eo explicatio nominis est ejus definitio nominalis, scil. quid communiter significant homines dum hoc verbo vel nomine utuntur. Sensus communis seu ratio naturalis nondum affirmaret, v. g. quod substantia panis est tota in toto pane et tota in qualibet parte ejus: sed si hoc affirmatur ab aliquo philosopho, sensus communis non negat, imo hoc quodammodo intelligit.

Transitus autem a definitione nominali seu a conceptu confuso ad conceptum distinctum in definitione reali expressum fieri potest aut recte et methodice, aut absque methodo et etiam quandoque ad falsam definitionem perveniendo. Fit quidem methodice per rectam divisionem entis in categorias seu genera, et per progressivam divisionem generis supremi, necnon per comparationem rei definiendæ cum similibus et dissimilibus. Aut iste transitus a definitione nominali ad aliam magis explicitam fit absque methodo et pervenit quandoque ad falsam definitionem, quæ non cohæret cum definitione nominali prius consideranda.

Quomodo S. Thomas transit a conceptu confuso substantiæ ad distinctum? Dicit *ad* 2um nostri articuli, secundum Aristotelem III de Anima c. VI (lect. 11): *Proprium objectum intellectus est substantia,* scil. ens substantiale rerum sensibilium. Etenim ens ut ens non est quid per se sensibile, non est extensum, nec album, nec nigrum, nec calidum; non igitur per se cognoscitur a sensibus, nec ut sensibile commune, sicut magnitudo, nec ut sensibile, proprium, sicut color, sonus. Ens non est per se sensibile, sed per se intelligibile, imo est id ratione cujus omnia fiunt intelligibilia in rebus sensibilibus. Unde hoc ab omnibus intelligi potest, scil. *omne ens,* de quo dicitur proprie, non solum *quo aliquid est,* sed *quod est, est unum et idem sub suis variis et successivis phænomenis,* v. g. sub suis qualitatibus permanentibus aut variabilibus, sub suis actionibus, passionibus, relationibus, etc. Et hoc ens unum et idem sub

suis variis phœnomenis communiter vocatur *substantia*, seu *ens in se existens*, sic servatur et explicatur definitio nominalis substantiæ. Imo ex hoc sequitur principium substantiæ, scil. « omne *quod* proprie est, est substantia », accidens est *quo* aliquid est, v. g. album aut calidum etc.

Proinde notio substantiæ nihil aliud est quam quædam nova determinatio notionis entis, et principium substantiæ pariter est nova determinatio principii identitatis: « ens est ens, non ens est non ens ». Ex eo enim sequitur quod *omne ens est unum et idem sub suis phœnomenis*, si phœnomena habeat. Dicitur si phœnomena sensibilia habeat, quia potest esse substantia, quæ sit omnino supra ordinem sensibilem, id est substantia mere spiritualis, ut Deus et angelus.

* * *

In quonam sensu substantia dicitur sensibilis per accidens?

Ex prædictis apparet quod *substantia ut sic* etiam rerum sensibilium *non est per se sensibilis*, sic differt a qualitatibus sensibilibus, ut sunt color, calor, sonus, et a sensibilibus communibus, ut sunt extensio, figura. Attamen, ut optime explicat Aristoteles (*De Anima*, l. II, c. VI, lect. 13), substantia est quid *sensibile per accidens*, sicut v. g. vita animalis, sicut causalitas efficiens rei resistentis, sicut finalitas v. g. oculi vel pedis, vel pennarum avis.

Sensibile per accidens definitur ab Aristotele, loc. cit.: « *Id quod per se non cognoscitur a sensibus, sed quod statim ad occursum rei sensatæ apprehenditur intellectu* (sine discursu). Sicut statim cum video aliquem loquentem vel movere seipsum, *apprehendo per intellectum vitam* ejus, unde possum dicere quod video eum vivere ». Canis e contra non percipit substantiam, nec vitam, nec ens, sed solum percipit extensum, coloratum, sonorum etc. Substantia est quid intelligibile tantum, ut idea rectrix quæ realiter dirigit evolutionem embryonis, est quasi lex intelligibilis hujusce realis evolutionis.

Et sicut vita viventis, ita substantia rei sensibilis est quid sensibile per accidens, et intelligibile per se, quod statim ad occursum rei sensatæ apprehenditur ab intellectu, sine discursu. Attamen postea ad defendendam realitatem substantiæ contra empiristas, aut contra subjectivistas fiunt discursus, qui sunt potius explicativi, seu subjective illativi quam objective illativi. Id est hi discursus ostendunt quod nominalismus et conceptualismus subjectivus non recte transeunt a definitione nominali ad realem, a conceptu confuso ad distinctum.

Unde tenet S. Thomas quod puer, dum incipit cognoscere per intellectum, cognoscit in confuso substantiam v. g. lactis; scil. per gustum sentit lac ut dulce, et per intellectum apprehendit lac ut ens, et ut ens unum et idem sub suis phænomenis. Intellectus autem prius cognoscit ens dulce ut ens, et postea ens duce ut dulce. Cognoscit 1° ens substantiale in confuso; 2° accidentia in confuso; 3° substantiam distincte; 4° accidens distincte.

Hæc est doctrina realismi moderati contra nominalismum empiristarum et contra conceptualismum subjectivum.

* * *

Secundum nominalismum empiristarum, substantia nihil aliud est quam *collectio phænomenorum*, secundum aliquam legem experimentalem. Hoc est dicere quod objectum proprium intellectus non superat objectum proprium sensuum tum externorum tum internorum, in quibus coadunantur objecta diversorum sensuum externorum. Insuper tunc falsum esset dicere: panis est sapidus, quia hoc significaret: collectio horum phænomenorum est sapida, quod non est proprie verum; sicut collectio plurium hominum non est sapiens, ex eo quod unus eorum sapiens est. Sublato enim *primo attributionis subjecto*, id est substantia, falsa fiunt omnia judicia affirmativa in quibus per verbum *est* affirmatur realis identitas prædicati et subjecti.

* * *

Secundum conceptualismum subjectivistarum, substantia nihil aliud est quam quædam *subjectiva forma a priori* mentis nostræ sine valore ontologico. Tunc negatur omnino valor *realis* rationis. Et ideo oporteret etiam negare valorem realem ipsius principii contradictionis vel identitatis, et dicere: circulus quadratus est quidem incogitabilis quoad nos, sed forte non est *realiter impossibilis quoad se* extra mentem nostram.

Dubitare vero de valore reali principii contradictionis est contra rationem naturalem (cf. IV Met. Aristotelis), quæ cum certitudine affirmat quod circulus quadratus non solum est *quid incogitabile quoad nos* sed *quid realiter impossibile quoad se extra mentem*, ita ut nec Deus omnipotens si existit, nec malum ingenium, de quo loquebatur Cartesius, possit facere circulum quadratum, vel montes sine vallibus, quidquid de hoc dubitaverit Cartesius. Unde plures quæsierunt a Kantio: an Kant possit simul esse Kant et non Kant; id est: an vere dubites de valore reali principii contradictionis [1].

1 Idealistæ responderent: est quidem *pro nobis incogitabile* quod circulus quadratus sit *realiter* possibilis extra mentem. Sed ex hoc quod hoc est nobis incogitabile, non sequitur quod hoc vere sit *realiter impossibile extra mentem*. Hoc nescimus.

E contrario realismus traditionalis dicit: *certissimum est* quod *realisatio* circuli quadrati extra animam est non solum *incogitabilis quoad nos, sed realiter impossibilis quoad se*.

Cf. Denz. 570, damnatur conceptio mere subjectiva principii contradictionis proposita a Nicolao de Ultricuria: « Si aliquid est, aliquid est », sed forte nihil est et omne fit.

* * *

Unde *ad intelligentiam transsubstantiationis et præsentiæ realis sufficit notio substantiæ quæ habetur a sensu communi,* dummodo hæc notio non adulteretur in sensu nominalismi vel subjectivismi. Ad solvendas autem objectiones requiritur quandoque notio magis explicita secundum sensum realismi traditionalis.

Corollarium: *Sic dogma non dependet ab aliquo systemate philosophico,* sed exprimitur prius in notionibus sensus communis seu rationis naturalis, quæ non raro adulterantur a pluribus systematibus philosophicis et servantur imo explicantur et defenduntur a philosophia traditionali, quæ non est philosophia phænomenorum tantum seu phænomenismus, nec philosophia ipsius fieri, id est evolutionismus absolutus, sed est primario *philosophia entis,* seu ontologia, ita ut prima philosophia sit metaphysica quæ est de ente in quantum est ens. Hoc ostendimus longe in libro: « Le sens commun, la philosophie de l'être et les formules dogmatiques ».

His suppositis bene intelligitur articulus noster.

Ex hoc enim quod substantia non sit per se sensibilis, sequitur quod *sensus non possunt cognoscere cessationem substantiæ panis* per conversionem ejus in substantiam corporis Christi.

Ad intelligentiam responsionis *ad* 2um dicendum est: *nec intellectus noster potest hoc naturaliter cognoscere, quia ejus cognitio naturalis* oritur a sensibilibus, et transsubstantiatio est *miraculum invisibile* (proinde non apologeticum) sed « intellectus noster per fidem a deceptione præservatur » [1].

Ad 3um: sic « fides non est contra sensum, sed est de eo quod sensus non attingit ». Quoad responsionem ad 4um cf. infra q. 77.

q. 75, a. 6.

ART. VI. — UTRUM, FACTA CONSECRATIONE, REMANEAT IN HOC SACRAMENTO FORMA SUBSTANTIALIS PANIS

Status quæstionis: Primo aspectu, hæc quæstio videtur inutilis; jam enim dictum est quod tota substantia panis convertitur, ergo etiam ejus forma substantialis. Attamen S. Thomas hanc quæstionem ponit propter quemdam errorem temporis sui; quidam enim dicebant: remanet forma panis, vel quia est forma accidentalis, prout panis est quid

[1] Utrum angelus possit *naturaliter* cognoscere quod sub speciebus panis est corpus Christi, vel quod in Christo non erat personalitas humana? *Non* quia ejus cognitio naturalis se extendit solum ad *partes universi connexas ad invicem.* Sic non cognoscit naturaliter secreta cordium cf. Iam, q. 57, a. 1, 3, 4, 5.

artificiale, vel quia non potest converti in animam Christi quæ est quid spirituale, vel quia accidentia panis quæ remanent nutriunt et corrumpuntur, quod non potest explicari si non remanet forma panis.

Responsio tamen est: *forma substantialis panis non remanet.*

1° Probatur ex communibus in argumento « sed contra » quia forma substantialis panis est pars ejus substantiæ, quæ tota convertitur secundum Concilia.

2° In corpore articuli probatur indirecte ex triplici inconvenienti: rationes principales sunt duæ sequentes:

a) Tunc enim sola materia panis converteretur non in corpus Christi sed in ejus materiam, et sic non verificarentur verba: Hoc est corpus meum.

b) Si forma substantialis panis remaneret, esset aut in materia, aut a materia separata. Si in materia, aut in materia panis, qui nullo modo converteretur, aut in alia materia, sed hoc est impossibile, quia « propria forma non est nisi in propria materia » quia indiget dispositione ultima quæ postea se habet ad modum proprietatis, sic anima hominis nequit esse in corpore leonis aut equi. Nec forma panis potest esse forma separata a materia, tunc esset de se actu intelligibilis et intelligens. Idem argumentum valet ad ostendendum quod non remanet existentia panis, quia non potest esse nisi in essentia panis, non in alia; nec separata ad omni essentia creata, esset esse irreceptum, et identificaretur cum Deo. Actus enim non limitatur nisi per potentiam in qua recipitur.

Ad 1um: Difficile est dicere quid sit forma substantialis panis ex farina et aqua per artem confecti. Videtur esse forma substantialis frumenti decocti.

Ad 2um: Quomodo forma panis possit converti in formam corporis Christi quæ est ipsa anima spiritualis Christi? Anima dat etiam homini esse corporeum, unde forma panis convertitur in formam corporis Christi, prout dat esse corporeum, non prout est quid spirituale.

Ad 3um: Quomodo accidentia Eucharistica possint nutrire et corrumpi ita ut novum compositum generatum sit constitutum ex materia et forma?

Respondet S. Thomas: « Tales operationes inveniuntur in hoc sacramento non propter formam vel materiam, quæ remaneat, sed quia miraculose conferuntur ipsis accidentibus, ut infra dicetur q. 77, a. 3, 5, 6 ». Est miraculum sequens conversionem, seu ex ea resultans.

Nullo modo remanet forma substantialis panis, sed applicantur leges experimentaliter cognoscibiles quibus reguntur operationes accidentium panis; et pro operationibus quæ consequuntur panem ratione materiæ aut formæ substantialis, *Deus miraculose supplet,* rursus *producendo materiam* novi compositi *modo sibi placito;* non est novum miraculum proprie, sed quid sequens ex miraculo transsubstantiationis

Hoc remanebit obscurum, sed ex hoc non sequitur quod prædicta doctrina sit falsa, sequitur solum quod non est adæquata seu perfecta. Mille difficultates, ut aiebat Card. Newmann, non provocant dubium de aliqua doctrina, si ejus principia remaneant firma.

q. 75, a. 7.

ART. VII. — UTRUM ISTA CONVERSIO FIAT IN INSTANTI

Status quæstionis: Videtur quod non 1° quia ad minus requiruntur duo instantia, scil. ultimum esse panis, et primum esse corporis Christi. Atqui inter duo instantia indivisibilia est tempus medium, divisibile in infinitum;

2° in omni conversione est fieri et factum esse, quæ non sunt simul, quia quod fit nondum est;

3° quia conversio ista producitur a verbis consecrationis quæ successive proferuntur.

Responsio tamen est: *Hæc conversio est instantanea,* et hoc quidem triplici ratione probatur: ratione formæ, ratione subjecti, ratione causæ efficientis:

1° *ratione formæ* ad quam terminatur, quia substantia corporis Christi non suscipit magis neque minus; aliquid est aut non est substantialiter corpus humanum.

2° *ratione subjecti,* quia in hac conversione non est aliquod subjectum *successive* præparandum;

3° *ratione agentis,* quia agens infinitæ virtutis *statim* potest materiam ad formam disponere; quia Deus habet potestatem immediatam in ens et in materiam et in substantiam, non mediantibus alterationibus accidentalibus præviis, sic Christus in Cana immediate et in instanti convertit aquam in vinum, quod natura non potest facere nisi successive, per maturationem uvæ.

Solvuntur objectiones :

Ad 1um: Quid respondendum est huic difficultati: ad minus requiruntur *duo instantia,* scil. ultimum esse panis et primum esse corporis Christi. Atqui inter duo instantia indivisibilia est tempus divisibile in infinitum.

Respondetur: Non dantur duo instantia, sed unicum, quod est simul *primum esse corporis Christi* sub speciebus et *primum non esse panis.* Ante autem hoc unicum instans datur tempus divisibile in infinitum in quo adhuc erat panis. Hoc unicum instans est ultimum instans prolationis verborum, tunc enim solum aliquid determinate significant et efficiunt.

Ratio est quia ut probatur in l. VI Phys., c. I, lect. 1, *continuum* (magnitudo, motus, tempus) non componitur solum ex indivisibilibus, sed ex partibus divisibilibus in infinitum et ex indivisibilibus. Nam duo indivisibilia aut se tangunt, et tunc sunt unum, non datur continuum, aut non se tangunt, et tunc esset solutio continuitatis.

Ad 3um: In mutatione instantanea simul est fieri et factum esse. Tunc fieri non dicitur eodem modo de mutatione instantanea, et de mutatione non instantanea. Fieri stricte dictum non invenitur nisi in secunda, ut via ad esse, scil. ut actus entis in potentia in quantum est adhuc in potentia.

Ad 4um: Verba consecrationis non significant quid determinatum nisi in ultimo prolationis instanti. Sic *desinit* prolatio verborum, per *primum sui non esse* seu per instans extrinsecum. Oportet quod jam sit finita ut sensum habeat, alioquin si adderetur novum verbum, mutaretur ejus sensus, v. g. si diceretur: « Hoc est corpus meum figuratum ». Hæc est utilitas *puncti* in fine prolationis.

Unde communiter docetur quod entia successiva desinunt per ultimum *instans extrinsecum,* seu per *primum sui non esse* in quo verum est dicere jam non sunt et immediate antea erant. Sic desinit motus et tempus [1].

Ergo remanet quod transsubstantiatio fiat in instanti [2].

[1] *Instantia:* sed tunc videtur quod formula sacramentalis operatur quando non amplius existit, quod est impossibile. *Respondetur:* Dici potest quod statim post prolationem ultimi verbi formulæ remanet vibratio aeris deferens sonum ad audientes, et hæc vibratio, quæ est formula communicata, potest esse causa instrumentalis physica sive gratiæ sive transsubstantiationis. Insuper, ut dicunt plures thomistæ. v. g. Billuart, *Cursus theol.* de Sacramentis, diss. III, a. 2: « Quamvis forma sacramentalis *desierit in ratione motus* et entis fluentis (quando producit id quod tunc solum significat), *remanet tamen ejus terminus* qui est ipsi complementum intrinsecum et *in quo, vi motus immediate præcedentis, producitur gratia* (vel transsubstantiatio) sicut... *vi alterationis immediate præcedentis* in instanti ejus extrinseco, *producitur forma substantialis* ».

Ibidem dicitur: « Entia successiva desinunt per instans extrinsecum, seu per primum sui non esse... Attamen *istud instans,* quod dicitur ipsis extrinsecum, hoc sensu quod *non sit pars fluens,* ad ipsa pertinet ut *terminus* et *complementum intrinsecum* sicut punctum in linea et superficies in corpore ».

[2] Propter prædictam doctrinam de termino continui Cajetanus putavit, ut dicit in Iam, q. 64, a. 2, n. XVIII: « quod anima obstinata redditur per primum actum quem elicit in statu separationis a corpore, et quod anima tunc demeretur non ut in via, sed ut in termino ». Sic putat Cajetanus explicare obstinationem in anima fere sicut in angelo lapso, propter luciditatem quasi angelicam, in qua anima ponit ultimum suum actum meritorium vel demeritorium.

Sed alii thomistæ, ut ostendunt Ferrariensis in *Contra Gentes* IV, c. 95 et Salmanticenses *de Gratia,* de merito, disp. I, dub. IV, n. 36, recesserunt in hoc a Cajetano: « Hic dicendi modus communiter, ut aiunt Salmanticenses, non admittitur, propter testimonia Scripturæ, in quibus expresse dicitur homines solum posse mereri vel demereri *ante mortem* non vero *in morte.* Et præcipue id sonant illa verba Joannis c. 9: « oportet operari, donec dies est, veniet nox, in qua nemo potest operari ». Revera S. Thomas alio modo explicat immobili-

ART. VIII. — UTRUM HÆC SIT FALSA: „EX PANE FIT CORPUS CHRISTI „

Status quæstionis: In hoc articulo S. Thomas recolligit ea quæ dixit de transsubstantiatione, et eam comparando cum creatione et cum generatione magis præcise eam definit; sic *terminatur venatio ejus definitionis* per inductionem comparativam.

Simul S. Thomas determinat *quomodo loquendum est* de transsubstantiatione, scil. quommodo conficiendæ sunt de ea *veræ propositiones* præsertim quoad particulas *de*, vel *ex*, vel *post*.

Scientia enim terminantur in exacta terminologia scientifica quæ exprimit definitionem realem rei et proprietates ejus, sicut incœpit a definitione nominali seu vulgari. Ratio hujus est quia, ut dicit Aristoteles in I. l. Perihermeneias, c. 1, « *voces sunt signa intellectuum vel conceptuum, conceptus autem sunt similitudines rerum* ». Hoc principium sæpe citatur a S. Thoma quando agitur de terminologia, v. g. Iª, q. 13, a. 1 de nominibus divinis. Hoc autem principium continet expressionem *realismi traditionalis* per oppositionem ad nominalismum et ad conceptualismum subjectivistarum. Dicitur *contra nominalismum:* « *Voces sunt signa conceptuum* » et nullam rationem essendi haberent sine relatione ad conceptus exprimendos. Et *contra conceptualismum subjectivistarum* dicitur: « *conceptus autem sunt similitudines rerum* » et per eos intellectus noster intentionaliter fit aliud a se, non solum fit per similitudinem alius, sed per hanc similitudinem intentionaliter « *fit aliud a se* », fit natura rei extramentalis.

Unde ad cognoscendum conceptum confusum alicujus rei, consideranda est definitio nominalis, sine qua nomen hujusce rei nullam significationem haberet. Et quando postea intellectus pervenit ad conceptum distinctum, tunc determinanda est exacta terminologia ad hunc conceptum distinctum recte exprimendum. Quandoque vero requiritur

tatem animæ separatæ in bono vel in malo (cf. *Contra Gentes*, l. IV, c. 92, 93), hoc explicat per separationem animæ a corpore, quia corpus datum est naturaliter animæ, ut in eo existens anima perficiatur (ut infima intelligentia indiget enim sensibus), unde ad perfectionem movetur anima dum est in corpore non post. In primo instanti separationis a corpore, « *Homo non remanet ut mereri possit* » ait Ferrariensis, loc. cit.

Sic *via seu vita hominis* desinit *per primum non esse sui*, quod est *primum esse separationis a corpore, in quo non est amplius meritum.*

Item in transsubstantiatione, de qua nunc loquimur, cum prolatione verborum consecrationis desinit substantia panis *per primum non esse sui*, quod est *primum esse corporis Christi* sub speciebus panis. Sic optime servatur quod transsubstantiatio fiat in instanti.

Cajetanus non satis consideravit quod *subjectum meriti* debet esse homo et non anima separata. Est quæstio complexa non modo nimis abstracto consideranda.

labor plurium sæculorum ad transeundum a conceptu confuso ad distinctum conceptum, qui in fine exprimitur in terminologia præcisa.

Plures hodie dicunt quod S. Thomas videtur ignorare evolutionem dogmatis, quia dogma consideravit non historice, sed speculative. Revera tamen S. Thomas admittit magnum progressum in intelligentia dogmatum, scil. transitum a conceptu confuso in definitione nominali expresso ad conceptum distinctum in definitione reali enuntiato. Ipse optime exposuit in Post Analyt. l. II, c. XII, XIII, XIV a lect. 13 ad 19 inclusive, quomodo fit legitime hic transitus dupliciter, per progressivam divisionem generis supremi rei definiendæ, et per philosophicam inductionem in qua comparatur res definienda cum rebus similibus et dissimilibus.

Sic a sæculo I usque ad sæculum XIII fuit magna evolutio per discursum explicativum quoad notionem naturæ, personæ, substantiæ, Incarnationis, Eucharistiæ, conversionis, præsentiæ realis, item quoad notionem sacramenti in genere, necnon quoad notionem gratiæ tum habitualis, tum actualis, quoad notionem meriti, peccati, pœnæ etc. Si S. Thomas hoc non vidisset, non cognovisset principalem partem theologiæ quæ est in explicatione progressiva veritatum fidei, ante deductionem conclusionum theologicarum.

Quandoque requiritur labor plurium sæculorum ad perveniendum ad præcisam terminologiam. Et si hæc explicita terminologia statim, sine prævia præparatione, exponitur junioribus studentibus, qui nonnisi conceptum confusum habent, tunc est periculum psittacismi; recitant scil. formulas exactas quarum signicationem non penetrant.

Sic definitio nominalis substantiæ continet elementarem ontologiam quasi crystallisatam, dum definitio realis substantiæ exprimit ontologiam in statu scientiæ. Pariter pro transsubstantiatione.

Quæritur ergo an hæc propositio sit falsa: *ex pane fit corpus Christi. In difficultatibus* initio articuli positis dicitur: videtur quod sit falsa, nam 1° ex ea sequeretur ista: « *panis fit corpus Christi* » quod videtur falsum, quia panis non est subjectum hujusce conversionis totalis, in qua non datur subjectum permanens sub duobus extremis. Dicitur quidem puer fit paulatim homo adultus, sed panis non videtur proprie fieri corpus Christi, quia ipsum fieri videtur supponere subjectum permanens, ut materia.

2° Item sequeretur ista: *panis factus est corpus Christi,* quæ falsa est, quia non remanet panis, dum vera est hæc: Verbum caro factum est, quia remanet Verbum.

3° Item sequeretur ista: *panis convertitur in corpus Christi,* quæ videtur falsa, sicut falsa est ista: in creatione, non ens convertitur in ens.

4° Denique, sequeretur ista: *panis potest esse corpus Christi,* quæ videtur falsa; panis enim remanendo panis, non potest esse corpus Christi.

* * *

Responsio tamen est: *Vera est hæc propositio: « ex pane fit corpus Christi ».*

1° *Probatur auctoritate Ambrosii* vel potius Ambrosiastri auctoris libri *De Sacramentis,* l. IV, c. 4, qui dixit: « Ubi accedit consecratio, *de pane fit corpus Christi* ». Attamen in corpore articuli S. Thomas ostendit quod melius dicitur *ex* pane quam *de* pane.

Insuper hæc propositio est communiter in usu inter theologos: « ex parte fit corpus Christi ».

2° In corpore articuli, ad ostendendam veritatem hujusce propositionis, et quarumdam aliarum, sicut ad falsas propositiones excludendas, S. Thomas enuntiat principia, comparando transsubstantiationem cum creatione et cum generatione. Sic per inductionem comparativam terminatur venatio definitionis transsubstantiationis.

In corpore articuli sic exprimitur comparatio inter transsubstantiationem, creationem et mutationem naturalem.

a) *In tribus* verum est *quod post hoc sit hoc* et hæc duo non sunt simul, sed est successio terminorum. Corpus Christi est post panem, in transsubstantiatione; ignis post aerem, in mutatione; esse post non esse, in creatione;

b) *In transsubstantiatione et in creatione non est aliquod commune subjectum utrique extremorum;* e contrario in transmutatione naturali.

c) *In transsubstantiatione et in mutatione naturali:*

i) *unum extremorum transit in aliud,* dum e contrario in creatione non ens non convertitur in ens;

ij) in transsubstantiatione et in mutatione naturali *remanet aliquid idem,* sed in mutatione, hoc idem est materia; in transsubstantiatione sunt accidentia.

* * *

Corollaria: *Ex his accipi potest qualiter differenter in talibus loqui debeamus.*

1° In nullo trium potest unum extremum de alio prædicari; sic falsum est dicere: Panis est corpus Christi.

2° *Propter ordinem extremorum,* ratione cujus *post hoc fit hoc, possumus in tribus uti præpositione « ex », ut ordinem designat.*

Sic verum est dicere: ex non ente fit ens in creatione;

ex pane fit corpus Christi in transsubstantiatione;

ex alimento fit caro humana in assimilatione nutritiva.

3° Quia in transsubstantiatione non est subjectum commune utrique extremorum, *ea quæ verificantur in mutatione naturali ratione subjecti non sunt concedenda in transsubstantiatione.* Potentia autem ad oppositum sequitur subjectum.

Unde *non* potest proprie dici: panis potest esse corpus Christi.

Nec proprie vera est ista: *de* pane fit corpus Christi, quia *de* designat proprie causam materialem consubstantialem, quæ remanet v. g. statua de ligno.

Nec conceditur quod *panis erit corpus Christi,* vel quod *fiat corpus Christi,* nam hæ propositiones in mutatione naturali verificantur ratione subjecti, v. g. album fit nigrum, prout subjectum prius album fit nigrum; vel album erit nigrum.

Attamen concedi potest in sensu minus proprio hæc propositio: de pane fit corpus Christi, ita ut nomine panis non intelligatur ipsa substantia panis, sed *id quod* sub speciebus panis continetur.

Plures thomistæ reducunt hanc secundum complexam partem articuli ad has duas propositiones, quæ nunc facile intelliguntur.

1° *Veræ sunt et propriæ propositiones, significantes TERMINORUM SUCCESSIONEM vel TRANSITUM* unius in alium, quia talis successio et talis transitus in transsubstantiatione inveniuntur. Sic vere et proprie dicitur « *ex pane fit corpus Christi* ». Hoc est verum ratione ordinis et transitus, non ratione subjecti [1].

2° *Impropriæ sunt aut etiam falsæ propositiones denotantes SUBJECTUM COMMUNE* (ut causam materialem) utrique termino, quia in transsubstantiatione non est hoc subjectum commune.

Sic impropriæ sunt hæ propositiones:

panis *potest* esse corpus Christi, *de pane* fit corpus Christi,
panis *erit* corpus Christi, panis *fit* corpus Christi.

Attamen in sensu improprio concedi possunt, scil. *id quod est* sub speciebus panis potest esse corpus Christi, *fit* corpus Christi, *erit* corpus Christi, nam id quod erat panis nunc est corpus Christi, prout entitas unius totaliter conversa est in entitatem alterius, sublatis differentiis panis.

* * *

Solvuntur objectiones:

Ad 1um et *ad* 2um quandoque præpositio *ex* designat subjectum permanens sub extremis, v. g.: ex ligno fit statua. Et in hoc sensu non verum est dicere: ex pane fit corpus Christi. Sed verum est ratione successionis et transitus unius in alium.

1 Quandoque *ex* dicitur ratione subjecti permanentis, v. g. ex ligno fit statua (cf. ad 1um et ad 2um). Et non in hoc sensu sumitur quando est sermo de transsubstantiatione.

2um *Corollarium* invenitur ad 3um: *In transsubstantiatione sunt plura difficiliora* pro intellectu nostro *quam in creatione.*

In creatione quidem difficile est intelligere quod aliquid fiat ex nihilo, scil. ex nullo præsupposito subjecto.

Sed in transsubstantiatione difficile est concipere non solum totalem conversionem substantiæ panis, verum etiam conversionem in substantiam præexistentem non de novo productam, permanentiam accidentium, et multa alia, v. g. quod ista accidentia nutriant et ex eis generetur compositum substantiale in quo rursus producitur materia.

3um *Corollarium* invenitur ad 4um: « *Transsubstantiatio non fit per potentiam passivam* (naturalem) *creaturæ, sed per solam potentiam activam Creatoris* », quæ non limitatur nisi per contradictionem. Propterea *ad potentiam obedientialem* prærequisitam in pane *nihil aliud requiritur nisi non repugnantia* in tali subjecto ad transsubstantiationem.

Ita in humanitate Christi nihil aliud requirebatur nisi non repugnantia ad unionem hypostaticam. Et in sanctissima Christi Anima est adhuc potentia obedientialis ad altiorem gradum luminis gloriæ, prout de potentia absoluta Dei semper augeri potest intensitas luminis gloriæ, nam est semper distantia infinita inter quamlibet Dei visionem non comprehensivam et visionem comprehensivam. Sic hæc potentia obedientialis impleri nequit, sicut omnipotentia exhauriri non potest.

QUÆSTIO LXXVI

DE MODO QUO CHRISTUS EST IN HOC SACRAMENTO

Hucusque S. Thomas, agendo de materia hujus sacramenti, tractavit: 1° de specie materiæ (q. 74); 2° de conversione panis et vini in corpus Christi (q. 75); 3° nunc agendum est de modo quo Christus existit in hoc sacramento (q. 76), et denique 4° erit sermo in q. 77 de accidentibus panis et vini remanentibus sine subjecto.

Hæc quæstio 76a explicat igitur ea quæ transsubstantiationem sequuntur ex parte ipsius corporis Christi, quod ponitur in hoc sacramento.

Jamquidem S. Thomas q. 75 a. 1, ad 3um tangit hanc quæstionem, dicendo « corpus Christi non est eo modo in hoc sacramento, sicut corpus in loco » id est circumscriptive, quia idem corpus non potest esse circumscriptive in duobus locis distantibus, v. g. in cælo et in terra; sic hoc corpus esset divisum a se ipso, distans a seipso, et tunc non esset amplius individuum, indivisum in se; non esset idem corpus, sed multiplicaretur. Non autem multiplicatur corpus Christi. Restat igitur explicare *quo modo* corpus Christi sit in hoc sacramento, si *non circumscriptive, nec solum definitive,* scil. ut anima quæ est in corpore suo et non alibi. Communiter dicitur corpus Christi est *sacramentaliter* in Eucharistia.

Quid vero significat hoc adverbium « sacramentaliter? ».

Videamus prius breviter *quid sit de fide* circa hoc. Cf. Denz. *Enchiridion,* index systematicus, p. 33: De Fide est quod *idem numero corpus Christi* quod formatum est in sinu Beatæ Virginis, quod passum est in cruce, quod nunc est in cælo in suo statu naturali, est *realiter præsens* in Eucharistia, et etiam præsentes sunt ejus anima ac divinitas per concomitantiam (874, 876, 885), ita ut *Christus sit totus sub utraque specie* (932, 936, 996) et, separatione facta, sub qualibet parte (698, 1921). Denique hic modus existendi sacramentalis est, non naturalis (874).

Concilium Tridentinum (874) ait: « Ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assidet juxta *modum existendi naturalem* et multis nihilominus aliis in locis *sacramentaliter* præsens est ».

Definitur etiam quod hæc realis præsentia perdurat quamdiu manent species (578 sq.). E contrario Missa non durat quamdiu durat realis præsentia in hostiis consecratis quæ conservantur in pyxide.

Hæc varia autem puncta fidei explicantur in nostra quæstione q. 76. Præ oculis initio habendum est quoad difficultatem hujusce explicationis, id quod dicit Concilium Tridentinum (Denz. 874): « Corpus Christi in Eucharistia *sacramentaliter* præsens est *ea existendi ratione quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo,* cogitatione per fidem illustrata assequi possumus et constantissime credere debemus ».

Jam ex hoc apparet quod discursus contenti in articulis hujusce quæstionis sicut et præcedentium sunt generaliter explicativi aut subjective illativi, potiusquam objective illativi; scil. volunt explicare ipsas veritates fidei potiusquam ex eis alias veritates deducere.

Hæc quæstio 76 dividitur in octo articulos, qui reduci possunt ad duas sectiones. *In prima sectione,* quæ continet tres priores articulos agitur *de integritate Christi præsentis,* ita ut *totus* sit sub hoc sacramento (a. 1), totus sub utraque specie (a. 2), totus sub qualibet parte specierum, saltem separatione facta (a. 3).

In secunda autem sectione agitur *de modo hujusce præsentiæ:* scil. utrum dimensiones corporis Christi totæ sint in hoc sacramento (a. 4); utrum corpus Christi sit localiter in Eucharistia (a. 5); utrum moveatur ad motum hostiæ consecratæ (a. 6); utrum possit videri in hoc sacramento ab aliquo oculo saltem glorificato (a. 7); utrum remaneat in hoc sacramento quando miraculose apparet sub specie pueri vel carnis (a. 8).

Cf. inter commentatores S. Tomæ, Cajetanum, Joannem a S. Thoma, Gonet.

q. 76, a. 1.

ART. I. — UTRUM TOTUS CHRISTUS SIT SUB HOC SACRAMENTO

Status quæstionis: Notandum est quod S. Thomas nunquam dicit *sub pane* qui non amplius existit, sed sub specie panis, aut utitur expressione « *sub hoc sacramento* », nam, ut supra dictum est, sacramentum in communi est signum sensibile externum, sic est in genere signi, quamvis non sit solum significatio quæ sola mente concipitur; signum præsertim sensibile differt a significatione ejus, ut materiale a formali [1]. Et diximus etiam supra (q. 73, a. 6) quod sacramentum Eucharistiæ constituitur per species consecratas ut continentes corpus et sanguinem Christi.

Quæritur an *totus* Christus sit præsens sub hoc toto sacramento; et totus Christus significat totam personam Verbi incarnati, totam ejus

[1] Sic *signum,* sicut sacramentum, est concretum accidentale, supponens pro substrato materiali, quod est ens reale. Falsum est dicere signum est significatio, quæ tamen significatio est *relatio signi ad significatum;* et si agitur de signo non naturali sed ad placitum est relatio rationis hujusce signi ad significatum (cf. Billuart, *De Sacram. in communi,* diss. I, a. 1).

humanitatem, corpus et animam, et quidquid pertinet ad veritatem ejus humanitatis, ut quantitas ejus, necnon agitur de præsentia ejus divinitatis.

Initio articuli, S. Thomas enuntiat tres difficultates: 1° Cum Christus sit ibi præsens ratione conversionis quæ terminatur ad corpus suum et non ad ejus animam et divinitatem, videtur quod solum corpus Christi sit præsens.

2° Imo ipse Christus videtur dicere quod est præsens solum secundum suam carnem et suum sanguinem: « caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus ».

3° Imo corpus majoris quantitatis, ut corpus Christi, non potest contineri sub parva particula speciei panis. Unde quantitas dimensiva corporis Christi non est realiter præsens in Eucharistia.

Responsio tamen est *affirmativa* et est *de fide:* « *Omnino necesse est,* inquit S. Thomas, *confiteri secundum fidem catholicam quod totus Christus sit in hoc sacramento* ».

Apud Joannem (VI, 58), Christus dicit: « Qui manducat *me* et ipse vivet propter me », *me* designat totum Christum. Hoc constat etiam ex definitionibus plurium Conciliorum Constantiensis, Florentini et præsertim Concilii Tridentini (885): « Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta *totum* Christum contineri, an. sit ». Et in capite correlativo Concilii (n. 876) dicitur « corpus quidem esse sub specie panis et sanguinem sub vini specie *ex vi verborum,* ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, *animam* sub utraque *vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ,* qua partes Christi Domini, qui jam " ex mortuis resurrexit non amplius moriturus " (Rom. VI, 9) inter se copulantur, *divinitatem* porro (esse præsentem) propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem ».

Hæc doctrina fidei sic explicatur in corpore articuli:

Aliquid Christi est in hoc sacramento, aut *vi verborum,* aut *ex reali concomitantia.* Vi verborum consecrationis prout efficiunt id quod significant, solus terminus transsubstantiationis, scil. solum corpus Christi est sub specie panis, et solus ejus sanguis sub specie vini. Sed ex reali concomitantia, in hoc sacramento sunt etiam *ea quæ realiter conjunguntur cum termino transsubstantiationis.*

Hæc ultima assertio sic probatur: « Si aliqua duo *sunt realiter conjuncta,* ubicumque est unum realiter, oportet et aliud esse ».

Hoc indiget explicatione, quia *Lutherus et ubiquitarii* hoc male intellexerunt dicentes: ubicumque est Verbum, ut Deus, oportet esse corpus Christi, scil. ubique. Hoc dicebant quia nolebant admittere transsubstantiationem, et tamen volebant quamdam præsentiam realem corporis Christi explicare per communicationem idiomatum seu proprie-

tatum naturæ divinæ et naturæ humanæ. Sic dicebant: Christus est ubique ut Deus, ergo pariter ut homo. Sed hoc nimis probabat, quia hoc probaret præsentiam realem corporis Christi, non solum in Eucharistia, sed ubique, in toto universo.

Quomodo igitur intelligenda est regula formulata a S. Thoma in fine corporis articuli: « *Si aliqua duo sunt realiter conjuncta, ubicumque est unum realiter, oportet et aliud esse* »?

Hæc propositio, ut possit dici « *et e converso* », ut volunt ubiquitarii, intelligenda esset de conjunctis adæquate cum mutua ad invicem dependentia. Si autem, ut in præsenti, duo sint ea ratione conjuncta ut unum excedatur ab altero et ab ipso dependeat, sed non e converso, *ubi est illud quod exceditur et pendet ab altero, ibi est istud alterum, sed non e converso.* Sic ubi est caput corporis nostri, ibi est anima, at anima potest esse ubi non est caput nostrum, sic anima est tota in toto nostro corpore et tota in qualibet parte. Ratio est quia caput ab anima exceditur, non anima a capite. Et similiter in præsenti: ubi est corpus Christi, ibi est persona Christi et ejus divinitas, non autem ubicumque est persona Verbi ejusque divinitas oportet esse corpus Christi.

Ad 1um lex realis concomitantiæ bene explicatur: est duplex realis concomitantia, una naturalis, ratione unionis naturalis animæ et corporis, alia supernaturalis, ratione unionis hypostaticæ Verbi cum humanitate.

Ut docent omnes theologi post Damascenum: Verbum corpus assumptum nunquam deposuit (cf. III, q. 50, a. 2, 3, 4), proinde ubicumque est corpus Christi, necesse est esse ejus divinitatem (sed non e converso). Si visio beatifica est de se inamissibilis, a fortiori unio hypostatica indestructibilis est, cum omnis gloria electorum subordinetur gloriæ Christi. Unde Concilium Ephesinum citatum hic a S. Thoma, dicit quod in Eucharistia sumimus carnem Verbi incarnati. Sic Verbum et ejus divinitas sunt præsentia per supernaturalem concomitantiam.

Ex alia parte anima Christi gloriosi naturaliter unitur cum ejus corpore, et sic etiam præsens est.

* * *

Dubium: *Si consecratio facta fuisset in triduo mortis quid effecisset?*

Respondetur: Anima non fuisset realiter præsens, sed Verbum et divinitas, quia, ut ostenditur IIIa, q. 50, a. 2, *caro Christi,* quamvis ab ejus anima separata, *remansit unita cum Verbo.* Nam « quod per gratiam Dei conceditur, nunquam absque culpa revocatur. Multo autem major est gratia unionis hypostaticæ quam gratia adoptionis quæ ordinatur solum ad unionem affectivam. Et tamen videmus quod gratia adoptionis nunquam perditur sine culpa. Cum igitur in Christo nullum fuerit peccatum, impossibile fuit, quod solveretur unio divinitatis a carne ipsius... ut Damascenus dicit in l. III de fide orth. c. 27 ». Imo cadaver Christi adhuc existebat per ipsum esse Verbi, prout est unum esse in Christo (IIIa, q. 17, a. 2). Unde etiam in triduo mortis verificata fuissent verba consecrationis, scil.: « Hoc est corpus meum », quia cadaver Christi erat corpus ejus cadavericum (cf. Gonet). *Vi verborum,* transsubstantiatio terminatur ad corpus Christi, non ad animam ejus, nisi in quantum anima dat corpori esse corporeum; et verificarentur hæc consecrationis verba, etiam si corpus, ut in triduo mortis, non esset amplius vivum.

Imo si facta fuisset consecratio in triduo mortis, tunc sub specie panis fuisset corpus sine sanguine, sicut sine anima, et sub specie vini fuisset sanguis sine corpore et sine anima, quia tunc corpus Christi physice separabatur a sanguine sparso. Post resurrectionem vero rursus unita sunt corpus et sanguis sicut corpus et anima. Cf. IIIa q. 50, a. 4: Utrum Christus in triduo mortis fuerit homo. Respondetur: Non, quia vere mortuus est. — a. 5: Utrum corpus ejus fuerit idem numero mortuum et vivum. Respondetur: affirmative, « quia corpus Christi vivum et mortuum fuit supposito idem, quia non habuit aliam hypostasim vivum et mortuum, præter hypostasim Verbi... Sed non fuit totaliter idem, quia in hoc triduo non erat amplius vivum, et vita est aliquid de essentia corporis viventis ».

Ad 3um: Dimensiones corporis Christi non ex vi sacramenti sunt sub hoc sacramento, sed *concomitanter* tantum, quia dimensiones panis non conversæ sunt in dimensiones corporis Christi. Proinde corpus Christi est in hoc sacramento *per modum substantiæ,* non per modum quantitatis. Sic potest esse etiam totum sub parva particula hostiæ consecratæ, sicut tota substantia panis prius erat sub ea (cf. art. 3).

ART. II. — UTRUM TOTUS CHRISTUS CONTINEATUR SUB UTRAQUE SPECIE HUJUS SACRAMENTI

Status quæstionis: Difficultates propositæ initio articuli rursus postea formulatæ sunt ab his qui postulaverunt pro fidelibus, ut quid necessarium, communionem sub utraque specie: 1° Si totus Christus jam continetur sub specie panis, videtur quod secunda consecratio sit superflua.

2° Ita est præsertim si sanguis, ut est pars corporis, jam debet esse præsens sub specie panis sicut aliæ partes corporis.

3° Si corpus Christi jam est præsens in Eucharistia post primam consecrationem, quare de novo incipiat esse præsens per secundam. Videtur quod Eucharistia non esset sacramentum numerice idem.

Responsio tamen est *affirmativa* et est *de fide:* cf. Concilium Tridentinum (Denz. 936): « Si quis negaverit *totum* et *integrum* Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, *sub una panis specie sumi,*

quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur: an. sit ». Sic, ut dicitur n. 932: « nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt ».

In corpore articuli datur ratio quæ eadem est ac in articulo præcedenti, scil.: Vi verborum sub specie panis est solum corpus Christi, sed *ex reali concomitantia* est sanguis prout post resurrectionem rursus unitur cum corpore. Et sub specie vini e converso. Sed si hoc sacramentum celebratum fuisset in triduo mortis, sub specie panis fuisset corpus sine sanguine, et sub specie vini sanguis sparsus sine corpore.

Ad 1um: Secunda consecratio non est superflua, 1° *quia « hoc valet ad repræsentandam passionem Christi,* in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus; unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de ejus effusione ».

Hæc ratio est principalis, scil. *duplex consecratio requiritur ad Eucharistiam ut est sacrificium a Christo institutum,* ut scil. sit immolatio sacramentalis vel incruenta, quæ repræsentat cruentam Calvarii immolationem, ut dicit Concilium Tridentinum (Denz. 940). Videbimus infra quod sacrificium Missæ est verum sacrificium, quamvis in eo immolatio sit solum sacramentalis. Ratio est quia in sacrificio in genere, dum sacrificium internum est in genere actionis moralis, sacrificium externum seu id quod fit circa realem victimam oblatam, est *in genere signi,* scil. ut signum oblationis internæ, ut signum etiam agnitionis supremi dominii Dei in omnes res etiam externas, ut signum reparationis debitæ pro peccato. Sic in sacrificio Missæ *sanguis Christi effunditur,* non realiter et physice, sed *sacramentaliter* seu mystice. Attamen hæc immolatio sacramentalis ipsius Christi Salvatoris in ratione signi multo magis exprimit oblationem reparatricem internam et supremum dominium Dei, domini vitæ et mortis, quam cruenta immolatio omnium victimarum Veteris Testamenti.

S. Thomas *ad 1um* addit secundam rationem, quare non superflua est secunda consecratio: quia *duplex symbolismus cibi et potus* melius exprimit effectus Eucharistiæ, etiam ut est sacramentum.

Addit etiam tertiam rationem quæ est minoris momenti, data est a Pseudo Ambrosio: corpus Christi exhiberetur pro salute corporis, et sanguis pro salute animæ. Hæc ratio supponit quod anima nostra est præsertim in sanguine, prout separatur a corpore dum effunditur totus sanguis noster. Hæc tertia ratio est solum quædam appropriatio, quia manifestum est quod corpus Christi, sicut sanguis ejus, salvat non solum corpus nostrum sed etiam animam nostram. Quodammodo salus animæ appropriata est sanguini Christi, sicut omnipotentia Patri, sapientia Filio, amor Spiritui Sancto. Sed appropriatio in Trinitate majus fundamentum habet quam ea de qua nunc est sermo.

Ad 3um: Quamvis corpus Christi bis incipiat esse præsens in Eucharistia, scil. post utramque consecrationem, tamen non nisi *semel* præsens est *vi verborum,* scil. Eucharistia in genere signi remanet sacramentum numerice unum.

Cf. infra de sacrificio Missæ (q. 83, a. 1) et de Communione sub una specie (q. 80, a. 12).

Art. III. — UTRUM SIT TOTUS CHRISTUS SUB QUALIBET PARTE SPECIERUM PANIS ET VINI

Status quæstionis: Videtur quod non: 1° quia species possunt dividi in infinitum, sic infinities corpus Christi esset in hoc sacramento.

2° Si totus Christus esset præsens sub qualibet parte hostiæ, oculus ejus non posset esse distans ab aure; proinde corpus ejus non esset amplius corpus organicum, nec magis esset corpus hominis, quam v. g. corpus columbæ vel agni.

3° Imo si totus Christus esset in qualibet parte hostiæ, mutaretur in spiritum, quia esset ut anima quæ est tota in toto corpore et tota in qualibet parte ejus.

* * *

Responsio est quod *totus Christus est sub qualibet parte specierum.*

Imo definitum est in Concilio Florentino (Denz. 698) et in Concilio Tridentino (Denz. 885), quod « totus Christus est sub qualibet parte specierum, separatione facta ». Concilia dicunt « *separatione facta* » quia hoc clarius est post separationem, seu fractionem hostiæ in plures partes. Sed hæc conciliorum expressio non significat quod ante separationem factam, corpus Christi non erat præsens sub qualibet parte. Hoc ultimum affirmatur a theologis, et ipsum Concilium (sess. 13, cap. 3) declarat, totum Christum contineri sub qualibet parte specierum, nulla facta mentione separationis partium. Unde responsio est de fide quantum ad partes separatas; et quantum ad partes continuas, quamvis non sit de fide, est tamen certa.

Insuper damnata est hæc propositio Rosmini (Denz. 1921): « In sacramento Eucharistiæ *vi verborum* corpus et sanguis Christi est tantum ea mensura quæ respondet quantitati (a quel tanto) substantiæ panis et vini quæ transsubstantiantur: reliquum corporis Christi ibi est *per concomitantiam* ».

Ut notatur in argumento « sed contra », jam apud S. Gregorium hæc doctrina est clara.

In corpore articuli S. Thomas probat quod *TOTUS Christus est sub qualibet parte specierum, etiam ante earum separationem.*

Argumentum ejus, in quo major, ut sæpe, post minorem enuntiatur, sic in forma reducitur:

— *Substantiæ natura* est *tota* sub qualibet parte ejus dimensionum etiam non separatarum.

— Atqui corpus Christi est in Eucharistia præsens, non per modum quantitatis, sed per *modum substantiæ,* ratione transsubstantiationis, quæ vi verborum producitur, absque transaccidentatione.

— Ergo corpus Christi *totum* est sub qualibet parte specierum, etiam ante separationem.

Major jam secundum rationem naturalem constat, v. g. tota natura panis jam est sub qualibet ejus parte, etiam ante separationem. *Substantia* enim, quæ non *est quid per se sensibile,* sed quid per se intelligibile, non est de se *extensa,* sed quid altius quam extensio de se sensibilis. Nec substantia est solum punctum indivisibile, quia punctum habet situm in continuo, ut terminus ejus. Substantia pertinet ad ordinem altiorem. Dicitur etiam *quid profundius* seu magis internum, si accidentia sensibilia considerantur ut quid externum, sicut dicitur *quid altius,* si accidentia considerantur ut quid inferius, tanquam per se ad ordinem sensibilem pertinentia. Sic substantia est id quo quodlibet ens (de quo dicitur proprie *quod est*) est *unum* et *idem* sub suis variis phænomenis. Proinde natura substantiæ est tota in toto et tota in qualibet parte, v. g. natura auri vel radii est in minima parte hujusce metalli pretiosi, etiam ante separationem partium ejus.

Minor est certa ex prædictis, scil. corpus Christi est in Eucharistia, non per modum quantitatis, quia non fuit transaccidentatio accidentium panis in accidentia corporis Christi, sed solum transsubstantiatio ratione cujus præsens est, ut dictum est.

Si igitur quantitas corporis Christi etiam præsens est, non est *vi verborum,* sed solum *concomitanter,* et proinde, ut dicetur in articulo sequenti, non ratione sui, sed ratione substantiæ, et secundum relationem ad substantiam, quæ sola ratione sui, vi verborum, præsens est.

Ergo totum corpus Christi est sub qualibet parte hostiæ etiam ante separationem.

In fine corporis articuli S. Thomas confutat opinionem dicentium corpus Christi non esse totum sub qualibet parte, nisi post separationem, sicut imago quæ apparet in speculo non est tota in qualibet parte speculi nisi post ejus fractionem.

Disparitas est, inquit S. Thomas, quia « multiplicatio imaginum accidit in speculo fracto propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi; hic autem non est nisi una consecratio, propter quam corpus Christi est in hoc sacramento » per modum substantiæ, quæ est tota in toto et tota in qualibet parte totius.

* * *

In solutione objectionum S. Thomas jam tangit difficillimam quæstionem de qua erit sermo in articulo sequenti de modo præsentiæ quantitatis dimensivæ corporis Christi in Eucharistia:

Ad 1um: Non sequitur quod Christus sit *infinities* sub dimensione panis quæ est *divisibilis* in infinitum; nam hæc dimensio nunquam est *divisa* in infinitum, sic reduceretur ad indivisibilia, quæ non possunt constituere continuum, nam aut sese tangunt et sic identificantur, aut non sese tangunt, et sic inter ea est solutio continuitatis. Unde ad plus dici potest quod sub dimensione panis Christus est solum *infinities in potentia.*

Ad 2um: Sed quomodo corpus organicum humanum, distinctum a corpore v. g. agni vel columbæ, et in quo debet esse quædam *distantia* inter caput et pedes, possit esse totum sub qualibet minima particula hostiæ consecratæ?

Respondet S. Thomas: « Illa determinata distantia partium in corpore fundatur super quantitate dimensiva ipsius; ipsa autem natura substantiæ præcedit etiam quantitatem dimensivam. Et ideo quia *conversio* substantiæ panis directe *terminatur ad substantiam* corporis Christi *secundum cujus modum proprie et directe est in hoc sacramento* corpus Christi; *talis distantia partium est quidem in ipso corpore Christi vero,* sed non secundam hanc distantiam *comparatur* ad hoc sacramentum, sed *secundum modum suæ substantiæ,* ut dictum est in corpore », id est: quantitas dimensiva corporis Christi est in Eucharistia per modum substantiæ et secundum ejus relationem ad substantiam (cf. art. seq.).

Item *ad 3um*: non sequitur quod corpus Christi convertitur in spiritum, sed quod est sub dimensione panis sicut erat substantia panis, quæ erat tota in toto et tota in qualibet parte.

Hæ duæ ultimæ responsiones indigent explicatione, quæ in articulo sequenti datur. Sensus earum est quod, cum corpus Christi sit præsens in Eucharistia ratione transsubstantiationis et per modum substantiæ, *relatio realis præsentiæ est* specierum consecratarum *formaliter ad substantiam corporis Christi* et *non formaliter ad ejus quantitatem dimensivam.* Revera quidem in cælo est distantia determinata inter organa corporis Christi, sed *non secundum* hanc distantiam determinatam comparatur corpus Christi ad hoc sacramentum.

S. Thomas videtur admittere quod substantia corporis Christi est *terminus duplicis relationis:* 1° relationis quantitatis dimensivæ, quæ ut talis est in cælo, ut accidens ejus naturale; 2° relationis specierum consecratarum. Et hoc verum est et satis clarum, si bene intelligitur quod *substantia* est *supra ordinem spatii* et non ut punctum in termino lineæ. Attamen, ut videbimus in articulo sequenti, quantitas dimensiva

corporis Christi ipsa est præsens concomitanter in sacramento; quod difficile explicatur.

q. 76, a. 4.

ART. IV. — UTRUM TOTA QUANTITAS DIMENSIVA CORPORIS CHRISTI SIT IN HOC SACRAMENTO

Status quæstionis: Videtur quod non: 1° quia *tota* quantitas corporis Christi nequit esse sub minima particula hostiæ consecratæ;

2° quia remanet in hoc sacramento quantitas dimensiva panis, et duæ quantitates dimensivæ non possunt esse simul in eodem loco; identificarentur, non essent amplius duæ;

3° quia quantitas dimensiva corporis Christi est multo major quam extensio hostiæ, sic magis extenderetur.

Responsio tamen est *affirmativa,* scil. *tota quantitas corporis Christi est sub hoc sacramento;* primo aspectu hoc videtur incredibile, sed non repugnat si bene intelligitur quod in ea est concomitanter.

1° *Probatur ex communibus,* in argumento « sed contra » sic: « quantitas dimensiva corporis alicujus *non separatur* secundum esse a substantia ejus. Sed in hoc sacramento est *tota* substantia corporis Christi, ut dictum est (scil. aut vi verborum, aut concomitanter). Ergo tota quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento », scil. est ibi concomitanter.

Hoc argumentum fundatur in principio concomitantiæ jam expresso in articulo 1° et postea admisso a Concilio Tridentino (Denz. 876). Imo ipsum Concilium (Denz. 885) docet « sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta *totum* Christum contineri ». Item n. 876. Si autem totus Christus præsens est, ergo etiam ejus quantitas dimensiva [1]. Imo si non esset quantitas corporis Christi, Concilium non diceret quod hic modus præsentiæ vix exprimi potest. Dicit etiam (n. 874) ut notavimus: « præsens est (totus Christus) ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus et constantissime credere debemus ».

Hæc ultima formula in memoriam revocat definitionem augustinianam actus fidei, explicatam a S. Thoma IIa-IIæ, q. 2, a. 1: « credere est cum assensione cogitare » et ibidem ad 3um: « intellectus credentis determinatur ad unum, non per rationem (non enim habet intrinsecam

[1] Durandus, Major et Gabriel dixerunt quod quantitas dimensiva corporis Christi non est realiter præsens in Eucharistia. Contra eos afferri potest nunc textus Concilii Tridentini: « *totum* Christum contineri ». Insuper isti sub isto aspectu potius tollunt hoc mysterium quam illud explicant.

evidentiam rei creditæ), sed per voluntatem (quia bonum est credere Deo revelanti, etiam si revelata maneant valde obscura); ideo *assensus* hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod a voluntate determinatur ad unum ». Fides enim differt a scientia prout est *de non visis,* de non scitis, et differt tamen a dubio et ab opinione: prout est firma. Explicatio relativa mysterii non debet ipsum mysterium supprimere et hoc quodammodo facit Durandus dicens: quantitas corporis Christi non est in hoc sacramento.

Pro fidelibus generaliter sufficit id quod de hac re dicitur in Catechismo Concilii Tridentini, ubi est sermo de transsubstantiatione.

* * *

2° *In corpore articuli* S. Thomas in quantum possibile est ex propriis probat quod præsens est in Eucharistia ipsa quantitas dimensiva corporis Christi et in responsionibus ad difficultates ostendit quomodo.

Argumentum corporis articuli, respondens ad quæstionem an sit, evolvit id quod jam dictum est in argumento « sed contra ». Ad hoc reducitur:

— Quidquid non realiter separatur a substantia corporis Christi est concomitanter in Eucharistia (a. 1);

— Atqui quantitas dimensiva corporis Christi non realiter separatur ab ejus substantia;

— Ergo est concomitanter in Eucharistia.

Hoc argumentum est firmum, propter principium concomitantiæ a Concilio Tridentino admissum pro sanguine sub specie panis, pro corpore Christi sub specie vini, necnon pro anima Christi ejusque divinitate. Unde non potest negari applicatio hujusce principii ad quantitatem dimensivam corporis Christi, quæ in cælo non separatur ab ejus substantia. Et, sine ea, non *totum corpus* Christi præsens esset, contra Concilium; cum quantitate autem pariter præsentia sunt alia accidentia quæ in ea sunt sicut in subjecto immediato, ut color.

Proinde Joannes a S. Thoma (disp. 18, a. 4) dicit contra errorem Durandi et Gabrielis, nunc post Concilium Tridentinum esse erroneum vel temerarium negare præsentiam realem quantitatis dimensivæ corporis Christi in Eucharistia. Ad hoc ostendendum notat Joannes a S. Thoma, quod de fide est sub speciebus eucharisticis esse verum corpus et verus sanguis. Si autem *sola substantia* (id est materia prima et forma substantialis) corporis ejus esset præsens, tunc corpus Christi non esset præsens ut corpus, ut corpus organicum, et præsertim ut corpus distinctum a sanguine; insuper unio materiæ et formæ exigit dispositiones in materia. Deus quidem posset de potentia absoluta separare substantiam corporis Christi a suis accidentibus, sed hoc esset novum miraculum, quod non importat formula consecrationis, imo hoc ei oppo-

nitur; nam, in hac formula dicitur, non « Hæc est substantia corporis mei », sed « hoc est corpus meum »; imo in ea corpus distinguitur a sanguine.

Unde temerarium vel erroneum esset negare præsentiam realem quantitatis dimensivæ corporis Christi in Eucharistia.

* * *

Quomodo autem possit in ea esse, hoc aliqualiter explicatur in responsionibus ad difficultates.

1ª *Objectio* erat: Nulla quantitas dimensiva potest esse tota in qualibet parte continentis; atqui ita esset in casu; ergo hoc est impossibile.

Respondetur: Distinguo majorem: nulla quantitas dimensiva præsens *rationi sui* et *secundum proprium suum modum,* concedo; præsens *ratione substantiæ* et per modum substantiæ, nego et contradistinguo minorem. Legenda est littera.

Hoc est dicere quod quantitas dimensiva corporis Christi est præsens in Eucharistia, non ratione transaccidentationis, sed ratione transsubstantiationis, et igitur concomitanter solum; id est *secundum relationem quam ipsa habet ad substantiam,* et *non secundum relationem quam habet ad locum.*

Durandus diceret: sed tunc non vere præsens est hæc quantitas dimensiva, S. Thomas dicit: *vere est,* sed non ratione sui, sicut anima Christi, ejusque divinitas.

Ad 2um: Duæ quantitates dimensivæ non possunt *naturaliter* esse simul in eodem loco, ita quod utraque sit ibi secundum proprium modum quantitatis dimensivæ, concedo. Sed in hoc sacramento, non ita est; insuper in eo praesentia corporis Christi non naturalis est, sed miraculosa.

Ad 3um: Nec sequitur quod corpus Christi in Eucharistia sit magis extensum quam hostia, quia in ea non est « secundum modum commensurationis, qui est proprius quantitati ». In hoc erravit Rosmini, ut supra dictum est.

Hæ duæ ultimæ responsiones rursus affirmant id quod dictum est ad 1um.

* * *

Ad majorem explicationem oportet considerare modum secundum quem quantitatis dimensiva unitur cum substantia.

Excludendæ sunt imprimis opiniones, quæ cum dogmate conciliari nequeunt: Quatuor sunt sententiæ saltem principales circa quantitatem:

Hæ sententiæ sic exprimi possunt:

Quantitas corporum	non est eorum substantia	sed 1° distinguit partes inter se et 2° eas localiter extendit	THOMISTÆ
		sed est extensio spatialis	NOMINALES ET SUAREZ
	est eorum substantia: CARTESIUS.		

1° *Sententia Cartesii* est quod *extensio* seu quantitas corporum est eorum substantia; sic non remaneret quantitatis panis; et corpus Christi in Eucharistia deberet esse localiter extensum. 2° *Sententia nominalium* est quod *quantitas* consistit essentialiter *in extensione actualiter repletiva spatii;* ex hoc sequitur quantitatem dimensivam corporis Christi non esse in Eucharistia. 3° *Sententia Suarezii* et quorumdam affinis est sententiæ nominalistarum, nempe quod substantia corporea habet *ex se* partes integrantes actualiter distinctas, et *quantitas eas extendit in ordine ad locum,* sic in Eucharistia corpus Christi haberet extensionem substantialem, sed non extensionem dimensivam. 4° *Sententia thomistarum et plurium aliorum* est quod *quantitas* habet *duas functiones:* prima distinguit partes inter se et in ordine ad totum, secunda eas extendit in ordine ad locum. Hic autem effectus secundarius quantitatis potest ab illa separari.

Examinandæ sunt hae quatuor theoriæ:

1° *Opinio Cartesii* est *quod substantia corporum est eorum extensio.* Ex hoc sequitur juxta theologos cartesianos, quoad Eucharistiam, quod quantitas panis non remanet post consecrationem, sicut non remanet panis substantia. Est solum apparentia panis, ut aiunt, et ad explicandum quomodo substantia corporis Christi reducitur ad limites hujusce apparentiæ recurrunt ad quamdam condensationem corporis Christi, secundum compenetrationem atomorum, ut quidam dixerunt.

Hæc autem opinio Cartesii admiti non potest philosophice, nec theologice:

Philosophice, hæc opinio non transcendit imaginationem, Cartesius agendo de substantia corporea, loquitur ut geometra, qui non transcendit continuum, et quærit sub qualitatibus sensibilibus substratum adhuc accessibile sensibus, v. g., ut ait, dum fragmentum ceræ liquefit, qualitates ejus sensibiles, ut ejus resistentia, figura variantur, sed aliquid remanet idem, scil. *extensio.* Hæc est, inquit Cartesius, substantia corporum. Ex hoc apparet quod habitus mathematicæ specificatur a quantitate et eam non superat.

Non animadvertit Cartesius quod extensio non potest esse nisi extensio alicujus *rei* extensæ, alicujus subjecti, vel entis, v. g. panis aut vini, aut ceræ. Extensio ipsa importat multitudinem partium, et multitudo præsupponit unitatem, sicut compositio identitatem, sicut phæno-

mena transitoria supponunt *subjectum* permanens. Cartesius non videt quod, *vi principii identitatis, omne ens* (quod proprie est) *est unum et idem sub suis variis phænomenis,* et quod inter hæc phænomena est ejus extensio, quæ *ei* tribuitur ut subjecto.

Sic notio substantiæ est solum determinatio notionis entis unius seu indivisi et proinde principium substantiæ (omne *quod est* est substantia) est determinatio principii identitatis: (id quod est, est). Sic philosophice loquendo opinio Cartesii non transcendit imaginationem.

Theologice autem opinio Cartesii pariter rejicienda est. Ex ea enim sequitur quod post consecrationem *quantitas* panis sicut ejus substantia *non remanet.* Hoc est contra definitiones Concilii Tridentini (Denz. 884) dicentis: « manent species panis et vini » et Denz. 582 damnata est hæc propositio Joannis Wicleff: « Accidentia panis non manent sine subjecto in sacramento Eucharistiæ ».

Sequitur etiam quod deberet esse *condensatio quantitatis corporis Christi,* imo qualibet fractione hostiæ esset nova condensatio corporis Christi per novum miraculum nullo modo significatum a formula consecrationis. Proinde corpus Christi, cujus substantia est juxta Cartesium extensio, non amplius esset corpus humanum.

Inutile est recurrere ad compenetrationem atomorum. Hoc gratuito asseritur, et corpus Christi gloriosum omnino mutaretur, fieretque mutilatum ac reductum velut ad punctum invisibile, quamvis localiter extensum.

Hæ omnes explicationes in fine asserunt corpus Christi esse in sacramento *localiter* et *circumscriptive,* quod est impossibile, ut supra dictum est. Idem corpus, *indivisum in se,* non potest esse *circumscriptive in duobus locis distantibus,* in cælo et in terra.

Cartesiani non intellexerunt id quod profunde explicaverat S. Thomas, quantitatem corporis Christi esse in Eucharistia *non ratione sui* et vi verborum, sed *concomitanter* tantum secundum suam relationem ad substantiam et per modum substantiæ.

Proinde hæc cartesiana opinio relicta est quasi ab unanimitate theologorum.

2° *Secundum opinionem nominalistarum,* Durandi et Gabrielis, quantitas consistit essentialiter *in extensione actualiter repletiva spatii.* Proinde tenent quantitatem corporis Christi nequidem concomitanter esse in Eucharistia.

Hæc sententia ducit, ut diximus, ad negandum id quod affirmatur a Concilio Tridentino, scil. « *totum* Christum contineri in Eucharistia ». Et philosophice falsa est quia, ut melius infra patebit, extensio partium in ordine ad locum præsupponit quamdam distinctionem earum inter se, nam id quod est indivisibile non potest spatialiter extendi.

3° *Secundum Suarezium* (*Disp. Met.* disp. 40, sect. 2 et 4; *de Eucharistia* disp. 48, sect. 2) substantia corporea debet habere *ex se* non solum duas partes essentiales, scil. materiam et formam, sed etiam *partes integrantes distinctas et actuales. Essentia* autem *quantitatis*

juxta ipsum est extensio partium *ad replendum locum* et resistendum penetrationi.

Sic quoad definitionem quantitatis, Suarez retinet quasi opinionem Durandi. Applicando autem hanc theoriam Eucharistiæ, tenet Suarez quod corpus Christi in ea habet suas *partes integrantes, distinctas* et *actuales,* sed non habet extensionem localem. Sic caput et pedes Christi distinguuntur, sed non localiter [1].

In hac theoria sunt plures difficultates theologice et philosophice.

Theologice quidem, non satis explicatur quod quantitas corporis Christi sit in Eucharistia concomitanter, quia in ea est solum prout partibus integrantibus jam actu distinctis in ipsa substantia dat solum *aptitudinem* ad extensionem localem. Hæc autem functio quantitatis in hac theoria videtur inutilis, quia partes integrantes jam actu distinguuntur antequam adveniat quantitas. Unde hæc functio quantitatis non videtur vere realis, et theoria ista non satis recedit a nominalismo, qui aperte dicit quantitatem corporis Christi nequidem concomitanter esse in Eucharistia.

Insuper *philosophice* falsum est, ut aiunt thomistæ, quod substantia corporea habeat *ex se* partes integrales distinctas et actuales. Eas habet solum in potentia, seu radicaliter et exigitive. Partes enim integrales actuales non sunt de ratione formæ substantialis, quæ est principium unitatis et indivisibilitatis, nec sunt de ratione materiæ, quæ est de se indeterminata et solum capax hujusce quantitatis, ita quod non illius. Substantia in se indivisibilis est [2], non quidem ad modum puncti, qui est terminus continui, sed quia transcendit totum genus quantitatis et continui. Propterea S. Thomas dixit quod natura substantiæ est tota in toto et tota in qualibet parte [3].

1 Circa hanc opinionem Suarezii de quantitate, cf. Boyer, S. J., *Cursus philosophiæ,* t. I, 1935, p. 391. Item Hervé, *Manuale theologiæ dogmaticæ,* 1926, t. IV, p. 69. Cf. *Ciencia tomista,* Mai 1917, theses ad mentem Eximii D. F. Suarezii, comparatæ cum viginti quatuor thesibus S. Thomæ a sacra Congregatione Studiorum propositis, vide thesim decimam.

Quidam, ut P. Hoenen, S. J., *Cosmologia,* p. 52, n. 8, censent hanc opinionem coincidere quoad rem cum sententia S. Thomæ. E contrario P. Mattiussi, S. J., ostendit quod notabiliter ab ea differt (cf. *Les points fondamentaux de la philosophie thomiste,* Turin-Rome, 1926, p. 112-113). Item C. Boyer, *loc. cit.* Item Billot, *De Eucharistia,* 1915, p. 457-462.

Attamen Suarez recedit a Durando in hoc quod pro eo, quantitas 1° ordinat partes inter seipsas et relate ad totum, ac simul dat eis aptitudinem ad extensionem localem, 2° dat ipsam extensionem localem.

Inter has duas functiones quantitatis, juxta thomistas, prima videtur inutilis in hac theoria, quia, secundum Suarezium, substantia corporea habet jam *in actu* suas partes integrales entitative distinctas, Ita Billot, *De Eucharistia,* 1915, p. 456. Sic Suarez logice deberet dicere quod effectus formalis primarius quantitatis est extensio localis.

2 S. Thomas dicit: « Remota quantitate, substantia omnis indivisibilis est » (*Contra Gentes,* l. IV, c. 65. Item Iª q. 50, a. 2 et *Quodlibet,* IX, a. 4).

3 Contra Suarezium cf. L. Billot, *De Eucharistia,* 1915, p. 456 et seq.

G. Mattiussi, S. J., *Les points fondamentaux de la philosophie thomiste,* Turin-Rome, 1926, p. 112-113, ubi explicatur 10ª thesis ex viginti quatuor the-

4° *Secundum thomistas et plures alios,* substantia corporea non habet partes integrales distinctas et actuales, sed componitur solum ex materia et forma, et exigit radicaliter, ratione formæ, qualitates et facultates operativas, et ratione materiæ quantitatem et passivitates materiales. Id est hæc accidentia sunt quidem accidentia compositi, sed sequuntur compositum vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ, prout habent similitudinem aut cum forma, ut qualitates, aut cum materia, ut quantitas.

Proinde distinctio actualis partium integralium, v. g. capitis et cordis, habetur non ex ipsa substantia, sed ex quantitate. Hæc est prima ejus functio, scil. distinguere partes inter se, ita ut una non sit alia, et in ordine ad totum. Ante quantitatem quidem jam adest tota *entitas substantialis* partium; sed quantitas constituit partes integrales in formali ratione *partium,* faciendo eas esse *inter se distinctas,* ita ut una non sit alia, et non sit ipsum totum.

Hæc est prima functio quantitatis, vi cujus partes corporis humani sunt distinctæ. Et *effectus secundarius* quantitatis est quod hæ partes sint extensæ in ordine ad locum.

Addunt thomistæ: *extensio partium in ordine ad locum præsupponit quamdam distinctionem partium,* nam localiter extendi nequit aliquid indivisibile, in eo non est capacitas extensionis localis, et hæc realis capacitas præcedere debet extensionem localem actualem. Non potest localiter extendi angelus, nec forma substantialis alicujus corporis, nec materia prima.

Insuper hoc saltem indirecte experientia constat, v. g. in evolutione embryonis, in qua prius distinguuntur partes corporis, v. g. origo cordis et origo cerebri, et postea extenduntur localiter. Item microscopium pro oculis nostris extendit quasi localiter ea quæ sunt in quadam minima parte corporis vix visibilis sine hoc instrumento; attamen microscopium non posset sic extendere quasi localiter id quod esset proprie indivisibile non haberet partes distinctas. Hæ animadversiones sunt solum analogiæ remotæ, ad ostendendum quod extensio partium in ordine ad locum præsupponit quamdam distinctionem partium; non potest localiter extendi aliquid indivisibile, ut forma substantialis alicujus corporis, quæ superat ordinem continui et invisibilis est etiam cum microscopio, quia nonnisi per intellectum apprehenditur ad occursum rei sensatæ, ut lex genetica embryonis, quæ est velut idea rectrix in ipso embryone.

Unde hæc distinctio duarum functionum quantitatis non est arbitraria, non est sine fundamento.

sibus thomisticis a sacra Congregatione Studiorum propositis, scil.: « Etsi corpoream naturam extensio in partes integrales consequitur, non tamen idem est corpori esse substantiam et esse quantum. *Substantia quippe ratione sui indivisibilis est,* non quidem ad modum puncti, sed ad modum ejus quod est extra ordinem dimensionis. Quantitas vero quæ extensionem substantiæ tribuit, a substantia realiter differt et est veri nominis accidens ».

Hoc constat etiam ex variis quæstionibus quæ ponuntur circa quantitatem, v. g. si quæritur quare quantitas continua est *divisibilis* in infinitum? Respondetur, quia habet partes extensas et non solum componitur ex indivisibilibus eam terminantibus. Si quæritur pariter: quare quantitas continua sit *impenetrabilis?* Respondetur: quia habet partes distinctas, quarum una est extra aliam. Si quæritur denique: quare quantitas continua sit *localiter extensa?* Respondetur: quia habet partes quarum una non est alia. Sed si quæritur: quare *quantitas habet partes?* Tunc non est responsio, nisi quia *hæc est essentia quantitatis.* Extensio localis non est nisi proprietas ejus, non ejus essentia.

Confirmatur: In ipsa anima distinguuntur facultates ejus inter se et ab anima, et sunt velut partes animæ, absque extensione locali. Unde non mirum est quod in ordine corporeo ex forma substantiali indivisibili procedant partes integrales quæ prius natura distinguuntur quam localiter extendantur.

Uno verbo hæc doctrina reducitur ad hanc intuitionem, *ipsum indivisibile non potest localiter extendi.* Ergo *extensio localis* præsupponit distinctionem quamdam partium inter se.

Hæc explicatio non est quidem sine obscuritate, sed non est magis obscura quam theoria Suarezii, quæ immerito tribuit substantiæ id quod est, juxta nos, prima functio quantitatis. *Substantia de se indivisibilis est,* de se non habet nisi partes essentiales, scil. materiam capacem hujusce quantitatis ita quod non illius, et formam substantialem indivisibilem.

* * *

De applicatione hujusce doctrinæ ad Eucharistiam.

Sic proponitur a thomistis hæc applicatio:

Quantitas corporis Christi est in hoc sacramento *ut extensiva partium inter se et in ordine ad totum,* ita scil. quod cor distinguatur a capite, non vero præsens est hæc quantitas *ut extensiva partium in ordine ad locum.* Quare? Quia est ibi, non vi verborum, sed solum concomitanter, id est non ratione sui, nec secundum suum proprium modum, sed *ratione substantiæ* cui est conjuncta, et *ad modum substantiæ,* scil. ita ut sit tota in toto et tota in qualibet parte, non pars in parte. Ratio ultima est quia quantitas corporis Christi præsens est per transsubstantiationem.

Neque hoc implicat contradictionem: quia extensio partium in ordine ad locum est effectus secundarius quantitatis, et, ut dixit S. Thomas art. 3 ad 2um: « talis distantia partium est quidem in ipso corpore Christi vero, sed *non secundum* hanc distantiam comparatur ad hoc sacramentum, sed secundum modum suæ substantiæ ».

Sic explicatur quod corpus Christi sit in Eucharistia, non circumscriptive, nec definitive ut anima quæ est in suo corpore et non alibi, sed sacramentaliter, ita ut possit esse simul numerice idem in cælo.

Hæc explicatio, ut videtur, sola potest servare veritatem verborum S. Thomæ a. 4 ad 1um: « Quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento non secundum proprium modum..., sed per modum substantiæ »; id est *secundum ejus relationem, non ad locum, sed ad substantiam, ratione cujus ibi est.*

* * *

Ultima conclusio circa prædictas sententias.

Præter prædictas explicationes non apparet alia possibilis. Opinio vero cartesiana est inconciliabilis cum dogmate, et opinio Durandi ac nominalistarum est ad minus temeraria. Opinio Suarezii philosophice deficiens est prout ponit partes integrales actualiter distinctas in ipsa indivisibili substantia, et theologice pariter non satis affirmat quantitatem Christi esse in hoc sacramento. Unde non restat nisi sententia thomistarum, quæ philosophice servat indivisibilitatem substantiæ, et theologice principium concomitantiæ quo illustratur tota hæc quæstio.

Dubium: Hæc distinctio duarum functionum quantitatis estne omnino necessaria?

Respondetur: 1° ad servandam fidem sufficit dicere cum Concilio Tridentino (Denz. 874): « Corpus Christi præsens est in hoc sacramento *ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus,* possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, et constantissime credere debemus ».

2° Ad scientiam theologicam sufficit etiam terminologia S. Thomæ in nostro articulo adhibita; scil. quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento, non secundum proprium modum (id est *non circumscriptive, secundum ejus relationem ad locum,* ut melius dicetur articulo sequenti), *sed per modum substantiæ* (id est *secundum ejus relationem ad substantiam,* cui realiter conjungitur).

Hæc terminologia sufficit, et in his rebus difficillimis oportet sapere ad sobrietatem, nam velle nimis explicare perducit ad falsam subtilitatem, ad acribologiam, ut dixit Aristoteles, quæ elungat a contemplatione mysteriorum.

In his quæstionibus servandum est id quod dicit Concilium Vaticanum de theologia (Denz. 1796): « Ratio quidem fide illustrata, *cum sedulo, pie et sobrie quærit,* aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se, et cum fine ultimo hominis, nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quæ proprium ipsius objectum constituunt ».

S. Thomas qui generaliter sua manuscripta *abbreviando* non evolvendo corrigebat, hanc sobrietatem egregie servavit, magis quam plures ejus commentatores, qui quandoque volunt ejus doctrinam nimis explicare per inferiora, non satis tendendo ad contemplationem altiorum.

Commentaria circa doctrinam S. Thomæ, etiamsi sint egregia, se habent ut polygonum scriptum in circumferentia, quæ multo simplicior et pulchrior est. Ipsa doctrina S. Thomæ est velut polygonum scriptum in ipso circulo adhuc altiori et puchriori ipsius Evangelii seu doctrinæ fidei.

Unde non oportet confundere vulgarisationem scientiæ theologicæ quæ est infra hanc scientiam, cujus substantiam sæpe non satis servat, et contemplationem christianam quæ ascendit supra theologiam ad medullam Evangelii seu revelationis divinæ.

* * *

Quoad terminologiam quædam remanent dubia:

1um DUBIUM: Quid intelligatur nomine *corporis,* quod *vi verborum* ponitur in hoc sacramento.

Respondetur: Intelligitur compositum ex materia et forma, abstrahendo ab anima et a forma cadaverica, quia communiter tenetur quod, si in triduo mortis Apostoli panem consecrassent, fuisset *corpus* Christi in Eucharistia, sed sine anima dante esse corporeum, et *idem corpus* ratione identitatis suppositi (IIIa q. 50, a. 5).

Unde in formula consecrationis: « Hoc est enim corpus meum », corpus non significat materiam nudam ab omni forma substantiali, quia materia nuda non est compositum quale est corpus.

Sed corpus, cum possit esse et cum anima humana et sine ea cum forma cadaverica, neutram in suo conceptu formali includit. A parte rei quidem non potest esse sine aliqua forma determinata, sed non quærimus quid sit aut non sit corpus a parte rei, sed quid sit vi significationis verborum.

2um DUBIUM: Utrum vi verborum ponatur tantum sub specie vini sanguis Christi qui effusus est in passione, et de quo dicitur « qui pro vobis effundetur ».

Respondetur: Ponitur vi verborum totus sanguis qui nunc est in corpore Christi glorioso, licet supponatur quod totus non fuerit effusus in passione; quia vi verborum ponitur sanguis ut de facto est. Verba « qui pro vobis effundetur » non limitant præcedentia, sed significant finem hujusce sacramenti, qui est repræsentare Christi passionem tunc futuram, nunc præteritam.

3um DUBIUM: Utrum Pater et Spiritus Sanctus sint in hoc sacramento, per concomitantiam.

Respondetur: Ibi sunt per concomitantiam *mediatam* aut *late dictam;* id est: non solum per immensitatem per quam sunt in omnibus creatis, sed specialiter *propter circumincessionem,* seu mutuam inexistentiam personarum divinarum ad invicem, ratione unitatis naturæ divinæ et mutuæ relationis earum. Insuper Pater et Spiritus Sanctus operantur cum Filio in Eucharistia mirabiles effectus gratiæ.

Hæc tamen concomitantia late dicta et mediata, de qua non loquitur Concilium Tridentinum, notabiliter differt a concomitantia *proprie dicta* et *immediata,* secundum quam sola persona Filii præsens est in Eucharistia, quia sola unitur hypostatice corpori et sanguini quæ directe ponuntur vi verborum.

4um DUBIUM: Utrum anima Christi sit præsens vi verborum, an solum concomitanter.

Respondetur: In præsenti statu, ut rursus unita cum corpore, et *dans ei esse corporeum,* præsens est vi verborum. Sed ut est anima rationalis emergens supra corpus, est præsens per concomitantiam. In hoc ultimo sensu Concilium Tridentinum (Denz. 876) dicit « animam esse sub utraque specie vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ.

5um DUBIUM: An corpus Christi in Eucharistia sit coloratum, figuratum etc.

Respondetur: Non attribuenda sunt ei adjectiva quæ supponunt quantitatem localiter extensam, ut esse magnum, localiter figuratum, extensive coloratum. Ratio semper eadem est ac in articulo 3, ad 2um: « talis distantia partium est in ipso corpore Christi vero, sed *non secundum hanc* distantiam comparatur ad hoc sacramentum ».

Hoc autem imaginatione repræsentari nequit, sed solo intellectu concipi potest. Et cum non sit pro nobis intelligere sine conversione ad phantasmata, etiam valde difficile est hoc pro nobis intelligere, et hæc est proprie obscuritas mysterii superantis captum non solum imaginationis, sed etiam intelligentiæ nostræ.

q. 76, a. 5.

ART. V. — UTRUM CORPUS CHRISTI SIT IN HOC SACRAMENTO SICUT IN LOCO

Status quæstionis: In hoc articulo et in sequentibus hujusce quæstionis enuntiantur corollaria præcedentis conclusionis.

In hoc titulo S. Thomas sumit *esse in loco* rigorose, scil. *circumscriptive.* Et videtur, ut dicitur in difficultatibus initio formulatis, quod ita sit: 1° quia corpus Christi ita continetur superficie hostiæ consecratæ, quod non excedit, nec exceditur; 2° quia locus specierum ubi non est amplius substantia panis non potest esse vacuus; 3° quia ipsa quantitas corporis Christi præsens est.

Responsio tamen est: *Corpus Christi non sicut in loco est in hoc* sacramento.

1° *Probatur ex communibus* in argumento « sed contra », sic: oportet locum et locatum esse æqualia. Atqui hostia consecrata est multo minor quam corpus Christi in ea præsens. Ergo non sicut in loco in ea est.

2° *Probatur ex propriis,* assignando scil. rationem propriam, sic.

— Illud solum quod est alicubi *secundum modum quantitatis* est ibi sicut in loco.

— Atqui corpus Christi est in Eucharistia non secundum modum quantitatis, sed secundum modum substantiæ.

— Ergo corpus Christi est in Eucharistia, non sicut in loco.

Major clara est. Minor sequitur ex prædictis, quia corpus Christi est præsens ratione transsubstantiationis; ante consecrationem autem substantia panis non sicut in loco erat sub speciebus panis, scil. non circumscriptive, sed tamen erat ibi definitive, scil. *et non alibi.*

Corpus autem Christi est ibi realiter, sed nequidem definitive, quia simul est alibi, scil. in cælo, ubi est localiter. Et non potest esse simul localiter in duobus locis distantibus, sic enim, ut supra dictum est, esset divisum et distans a seipso. Cf. ad 1um.

In fine corporis articuli S. Thomas notat quod substantia corporis Christi non est subjectum dimensionum panis, sicut erat substantia panis, quæ ratione suarum dimensionum (non ratione sui) erat ibi localiter.

Notat etiam quod « dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum hostiæ mediante substantia, quod est contra rationem corporis locati ».

Ad 2um: Locus Eucharistiæ est ne igitur vacuus? *Respondetur:* « Non est vacuus, sed non repletus est substantia corporis Christi, quæ non est ibi localiter: *repletus est speciebus,* scil. quantitate panis et vini, quæ miraculose subsistit sine subjecto. Hoc eo verius est quod ante consecrationem substantia panis non erat ibi localiter ratione sui, sic non replebat locum, nec reliquit illum vacuum.

Ad 3um: Respondetur huic difficultati: *esse in loco* est accidens reale corporis Christi, ergo deberet esse concomitanter præsens.

Respondetur: Esse in loco est accidens reale, non intrinsecum, sed per comparationem ad extrinsecum continens, et non per comparationem ad ipsam substantiam corporis Christi, quæ sola ratione sui est in Eucharistia.

* * *

Corollarium: Non attribuenda sunt corpori Christi in Eucharistia præsenti *adjectiva* quæ supponunt quantitatem localiter extensam, v. g. esse magnum, parvum, stans, sedens etc. Hæc dicuntur relative ad alia corpora. Unde S. Thomas dicit in Officio SS. Sacramenti: « *Fracto*

demum sacramento... signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur ». Cartesiani dixerunt contrarium in eorum theoria imaginativa condensationis corporis Christi et compenetrationis atomorum.

Profunde S. Thomas dicit: *signi tantum fit fractura, non signati,* quia *contactus quantitativus* est conditio naturalis necessaria talis actionis transitivæ alicujus corporis in alterum. Manus autem sacerdotis, dum frangunt hostiam, non habent contactum quantitativum cum corpore Christi. Item corpus Christi ut præsens in Eucharistia, non videt sensitive adoratores ad eum venientes, sed in cælo anima Christi eos intellectualiter videt in Verbo, et hic actus visionis intellectualis horum adoratorum est in Christo præsente in Eucharistia.

* * *

Oculus Christi in Eucharistia non est localiter extensus, nec ideo accipit influxum corporum externorum. Ad hoc requireretur novum miraculum non supponendum quia non significatur a verbis consecrationis [1].

Denique non debemus loqui saltem in sensu proprio de bilocatione aut de multilocatione corporis Christi. Bilocatio proprie dicta ut supra dictum est, secundum S. Thomam, est *impossibilis,* 1° quia corpus esset distans a seipso, non esset amplius individuum indivisum in se, et 2° tota ejus quantitas quæ circumscriptive esset in duobus locis distantibus simul circumscriberetur et non circumscriberetur ab aliquo loco. Hoc implicat contradictionem. Miraculum nequit esse absurdum, potest esse præter leges physicas, hypothetice necessarias, sed non præter metaphysicum principium contradictionis, jam esset contra illud.

Unde casus bilocationis de quibus est sermo in vita quorumdam sanctorum recte explicantur per apparitionem quamdam eorum in uno loco, dum erant realiter præsentes in alio.

q. 76, a. 6.

ART. VI. — UTRUM CORPUS CHRISTI SIT MOBILITER IN HOC SACRAMENTO

Post explicationem præcedentium articulorum, non immorandum est in isto.

Respondetur: *Per se loquendo corpus Christi non mobiliter est in hoc sacramento, bene tamen per accidens,* ut dicitur ad 1um.

Ratio primi est quia per se moveri localiter includit esse in loco, seu locum unum deserere et alium acquirere. Christus autem non sicut in loco est in Eucharistia. Ergo.

1 Cf. Hervé, *De Eucharistia*, p. 73 sq.

Ratio secundi est quia *per accidens* moveri localiter, est moveri non ratione sui, sed ad motum alterius, ut anima rationalis ad motum corporis nostri. Sic per accidens movetur corpus Christi dum per se movetur localiter hostia consecrata, v. g. dum elevatur, dum defertur in processionibus et ad infirmos. Et adhuc magis per accidens movetur quam homo sedens in navi durante navigatione, quia corpus Christi caret extensione locali, quam habet navigator qui est in navi ut in loco.

In corpore articuli nec non in responsione ad 2um et 3um, S. Thomas ostendit etiam quod *non per se movetur corpus Christi, dum cessat ejus præsentia per corruptionem specierum.* Ratio est quia corpus Christi sic præsens est corpus gloriosum incorruptibile, et cessatio ejus præsentiæ supponit solum mutationem in ipsis speciebus panis et vini, quæ corrumpuntur. Eo ipso quod non sunt amplius species panis et vini, *desinit eorum relatio ad substantiam corporis Christi,* sicut cessasset earum relatio ad substantiam panis, si remansisset hæc substantia. Ita aliquo modo quando entia corrumpuntur, Deus non est amplius præsens in eis præsentia immensitatis, absque ulla mutatione in ipso Deo. Unde *corpus Christi NON PER SE sed solum per accidens desinit esse sub speciebus,* scil. ad desitionem specierum.

Ad 3um S. Thomas dicit « cessantibus speciebus... tollitur *habitudo* corporis Christi ad eas, per quem modum Deus desinit esse Dominus creaturæ desinentis ». Hæc *habitudo* est relatio non realis, sed rationis corporis Christi ad species, sicut Deus habet relationem non realem, sed rationis ad creaturas quarum est Dominus. E contrario relatio specierum ad corpus Christi realis est, sicut relatio creaturarum ad Deum.

Objectio: Videtur quod neque per accidens moveatur corpus Christi in Eucharistia, quia nec per accidens frigescit nec calefit ad frigefactionem vel calefactionem specierum.

Respondetur: Disparitas est, quod sit ibi incapax cujuslibet motus alterationis, sive in se, sive ratione alterius; ut autem localiter moveatur per accidens ad motum localem specierum non debet in se mutari vel alterari, quia tunc motus localis per accidens sumitur *ab extrinseco.* Item anima rationalis quamvis per accidens dicatur moveri localiter, moto corpore suo, non tamen per accidens frigescit, nec calefit.

q. 76, a. 7.

ART. VII. — UTRUM CORPUS CHRISTI PROUT EST IN HOC SACRAMENTO POSSIT VIDERI AB ALIQUO OCULO SALTEM GLORIFICATO

Respondetur: *A nullo oculo corporali potest videri:* 1° quia accidentia corporis Christi, cum sint ibi per respectum ad ejus substantiam et non in ordine ad locum, non possunt immutare medium, ut ab aliquo oculo corporali videri possint (item ad 1um);

2° quia corpus Christi est ibi per modum substantiæ, quæ ut sic non est visibilis sensibus sed *solo intellectui.* Sic melius apparet quod substantia est sensibilis solum per accidens, per se est quid intelligibile, ut jam dixerat Aristoteles, scil. est ens intelligibile unum et idem sub suis phænomenis sensibilibus.

1um DUBIUM: *An Christus præsens in Eucharistia ibi se videat oculo corporali?*

Respondetur ad 2um: Oculus corporalis Christi prout est præsens in Eucharistia seipsum videt in ea, quia non privatur sua activitate quam habet nunc in cælo. Joannes a S. Thoma videtur hoc melius explicare quam Billuart et quidam alii.

Ibidem, S. Thomas addit: « Oculus corporalis Christi non tamen potest videre *ipsum modum essendi* quo est sub sacramento, quod pertinet ad solum intellectum. Non tamen est simile de alio oculo glorioso, quia etiam ipse oculus Christi est *sub* hoc sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus ».

2um DUBIUM: *An corpus Christi præsens in Eucharistia percipi possit ab intellectu glorificato?*

Respondetur: Corpus Christi percipitur diversimode a diversis intellectibus. Percipitur clare ab intellectu Dei et ab intellectu beatorum.

Ab intellectu hominis viatoris non potest cognosci nisi per fidem, sicut supernaturalia non sensibilia. Dæmones non possunt illud videre, sed fide acquisita non infusa, quæ innititur evidentia miraculorum « credunt et contremiscunt ». Id quod debetur cognitioni naturali Spirituum est universus mundus cum partibus suis inter se connexis, corpus autem Christi in Eucharistia non sic est *pars universi,* cum aliis naturaliter connexa, de eo verificatur quod dicitur de secretis cordis Ia, q. 57, a. 4.

q. 76, a. 8.

ART. VIII. — UTRUM QUANDO IN HOC SACRAMENTO APPARET MIRACULOSE CARO VEL PUER, SIT IBI VERE CORPUS CHRISTI

Status quaestionis: *Sensus principalis* est: an facta hujusmodi apparitione, sub speciebus sic immutatis maneat adhuc corpus Christi sacramentaliter præsens.

Respondetur distinguendo: *affirmative,* si apparitio sit solum ex parte videntium, subjective; vel etiam si sit externa ex parte specierum consecratarum, *dummodo remaneant adhuc dimensiones panis,* cum earum densitate, sapore, odore, quamvis fiat quædam earum immutatio, præsertim quoad colorem. Ratio est quia tamdiu manet corpus Christi sub speciebus, quandiu manent ipsæ species, ita ut adhuc sint species panis.

Si vero taliter immutarentur species, ut sub eis non maneret substantia panis si adesset, non maneret etiam corpus Christi sacramentaliter. Sed hoc non debet evenire, quia non apparet ratio propter quam hoc fieret. Talis apparitio est enim ad confirmandam præsentiam realem quæ sic tolleretur.

In explicatione hujusce rationis S. Thomas bene distinguit apparitiones externas, seu visiones corporeas, ab his quæ dicuntur visiones imaginariæ, seu subjectivæ, quamvis divinitus aut per angelos productæ. Dicit « *quandoque apparitio est ex parte videntium quorum oculi* immutantur *ac si* expresse viderent exterius carnem; et hoc quidem videtur contingere, *quando uni tantum videtur sub specie carnis et pueri,* et aliis sicut prius sub specie panis.

Contingit e contrario hujusmodi apparitio non per solam immutationem videntium, sed etiam *per ipsam immutationem externarum specierum,* et hoc quidem videtur esse quando sub tali specie, v. g. pueri vel carnis, *ab omnibus videtur,* et non ad horam, sed per longum tempus ita permanet. Legenda est littera.

Secundum hoc criterium videtur quod apparitiones Beatæ Mariæ Virginis in spelunca Lourdes nunc in sanctuario transformata, non fuerunt externæ, quia a sola puella Bernadette Soubirous videbantur et non ab aliis puellis. Absolute loquendo tamen Beata Maria Virgo potuit esse realiter præsens, quamvis invisibilis pro aliis testibus. De hoc difficile est judicare [1].

[1] Quidam putaverunt ex hoc articulo, quod secundum S. Thomam possit esse genuina seu proprie dicta *sensatio* a Deo subjective in nobis producta, *sine reali sensato externo.* Et sic volunt respondere quibusdam objectionibus idealistarum modernorum.

Joannes a S. Thoma, *Cursus Philosophicus*: *Logica,* q. 23, a. 2 contrarium docet: Revera S. Thomas dicit solum: « Quandoque hoc contingit *ex parte videntium,* quorum oculi immutantur tali immutatione, AC SI *expresse viderent* exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte sacramenti ». Non dixit quod in hoc casu est genuina sensatio, seu visio corporalis. Cf. S. Thomam Ia q. 51, a. 2 et ubi de hallucinatione ac de visionibus imaginariis, cf. Aristotelem (index, de hallucinatione).

Pro S. Thoma nunquam est *genuina sensatio sine reali sensato externo existente,* quia genuina sensatio est essentialiter relativa ad illud, sicut verbum mentis ad naturam rei intellectæ, quæ in eo repræsentatur; sed verbum mentis abstrahit ab existentia hujusce naturæ intellectæ, non vero genuina sensatio abstrahit ab existentia realis sensati.

Et tenendum est contra idealismum quod non potest esse proprie dicta experientia sine existentia rei expertæ, id est non est experientia externa sine reali sensato externo, et non est experientia interna sine reali sensato interno.

Sed potest esse *hallucinatio* quæ est falsa sensatio orta ex præteritis sensationibus occasione perturbationis seu læsionis organismi; v. g. post amputationem pedis aliquis putat adhuc sentire resistentiam terræ. Hallucinatio, ut dicit Aristoteles, se habet ad sensationem, sicut echo ad sonum. Et hallucinatio differt a genuina sensatione prout est sine reali sensato. Pariter potest esse *visio imaginaria* (et non corporalis), cum quadam redundantia in sensibus, unde est *ac* si homo videret, sed non proprie videt visione corporali (cf. Ia q. 51, a. 2; IIIa q. 57, a. 6, 3um).

Alia quæstio secundaria ponitur in hoc articulo, scil. *an in apparitionibus externis,* caro vel puer quæ exterius videntur sint *verum corpus* Christi in propria specie?

S. Thomas et cum eo communius theologi respondent *negative,* propter rationes datas in tertia parte corporis articuli: ubi legitur « sed hoc videtur inconveniens, quia corpus Christi non potest *in propria specie* videri nisi in uno loco, in quo definitive (seu melius circumscriptive) continentur, scil. in cœlo ». Atqui ut supra dictum est, idem corpus non potest esse circumscriptive in duobus locis distantibus, esset divisum a seipso. Bilocatio nec miraculose possibilis est secundum S. Thomam. Nec ulla est necessitas dicendi quod Christus ad tempus deserat cælum post suam ascensionem [1].

Nec tamen est deceptio in his apparitionibus externis, ut ait S. Thomas, in fine corporis articuli, quia « *hoc fit in figuram cujusdam veritatis,* scil. ad ostendendum per hanc miraculosam apparitionem, quod in sacramento est vere corpus et sanguis Christi ». Sic contingit Bolsenæ, in diœcesi Urbevetana, sacerdotem quemdam, post consecrationem de veritate corporis et sanguinis dubitasse; statimque supra hostiam apparuit *sanguis;* quo miraculo attonitus, hic sacerdos omnia sua dubia deposuit.

Dubium: Quomodo se gerere debeat sacerdos celebrans cui talis apparitio contingeret?

Ex his quæ dicuntur infra q. 83, a. 4 ad 2um et a. 6 respondendum est quod sacerdos non debet sumere corpus Christi sub specie carnis, nec sanguinem sub specie sanguinis, aut sub aliqua extranea specie a specie panis et vini; sed *reservata specie quæ est immutata, debet alteram sumere;* nec obstat præceptum de integrando sacrificio, quia quæ miraculose fiunt, legibus non subduntur. Consultum tamen foret huic sacerdoti iterum corpus et sanguinem Christi consecrare et sumere.

* * *

Sic terminatur quæstio de modo quo Christus existit in hoc sacramento; scil. in eo est per modum substantiæ, et non sicut in loco; ita ut Christi corpus et sanguis sint in Eucharistia vi verborum, anima vero ejus et divinitas concomitanter. Imo Pater et Filius concomitantia late dicta, per circumincessionem.

* * *

Observatio. In his omnibus quæstionibus apparet quomodo S. Thomas egregie servat *principium œconomiæ,* scil. in scientia non sunt multiplicanda principia sine necessitate, sed quantum possibile est debemus omnia facta explicare per pauciora principia, imo hæc pauciora principia in perfecta scientia subordinantur uni supremo.

[1] Exceptio tamen facta est pro S. Paulo (cf. IIIa q. 75, a. 6, ad 3um).

Ita in præsenti S. Thomas omnia explicavit per conversionem seu transsubstantiationem proprie dictam, scil. conversivam, substantiæ panis in corpus Christi et per principium concomitantiæ, cujus veritas sequitur rectam notionem conversionis.

Sublata autem conversione, et admissis annihilatione substantiæ panis et adductione corporis Christi, seu substitutione ejus substantiæ ubi prius erat substantia panis, hoc ædificium doctrinale simplicissimum ruit et loco ejus recurrunt plures theologi ad theorias valte complexas, quæ fundamento carere videntur.

QUÆSTIO LXXVII.

DE ACCIDENTIBUS REMANENTIBUS IN HOC SACRAMENTO

Haec quaestio et ultima earum quae pertinent ad materiam hujus sacramenti.

Jamquidem q. 75 a. 5 S. Thomas ostendit quod, facta consecratione, omnia accidentia panis et vini remanent, ut sensu apparet, et ut pluries declaratum est ab Ecclesia. Sic Concilium Tridentinum (Denz. 884) dicit « manentibus dumtaxat speciebus panis et vini » et inter propositiones damnatas Joannis Wicleff ea est: « accidentia panis non manent sine subjecto in hoc sacramento » (Denz. 582).

Supra, explicando doctrinam prædicti articuli 5, q. 75, confutabimus *duos modos dicendi Cartesianorum*, quorum 1us erat: cum substantia panis sit ejus extensio, hæc extensio panis post transsubstantiationem non manet, sed species panis sunt solum *subjectivæ apparentiæ;* sic externe nihil essent, nec Eucharistia esset signum externum ac proinde sacramentum, præsertim dum clauditur in pyxide et nullo modo videtur.

Nec species istæ possent dividi, frangi, distribui, non enim franguntur repræsentationes subjectivæ. Denique nostri sensus deciperentur circa proprium objectum debite propositum, quod negat Ecclesia.

2us modus Cartesianorum erat quod species panis apparentes sunt *accidentia externa corporis Christi præsentis.* Hoc est, ut diximus, inadmissibile, quia sic corpus Christi gloriosum alteraretur, fieret album, rotundum, mutilatum, ipsum frangeretur, et denique esset circumscriptive præsens in locis distantibus, scil. in cælo et in terra, sic esset divisum a seipso, quod repugnat.

Supposito igitur quod remanent accidentia panis et vini, quæruntur plura de eis, quoad eorum esse, et quoad eorum operari et pati. Sic sunt duæ sectiones in hac quæstione:

1^{a} sectio, quoad eorum *esse,* continet duos priores articulos, utrum remaneant sine subjecto, et utrum quantitas dimensiva sit subjectum aliorum accidentium.

2^{a} sectio, quoad *operari* et *pati,* continet alios articulos: utrum possint nutrire, utrum possint corrumpi et ex eis aliquid possit generari. In hoc plura sunt mirabilia, quæ difficile explicantur, et quæ sunt velut consequentia invisibilis miraculi transsubstantiationis. Notandum est quod, si in hoc remanet obscuritas, pro intellectu nostro infimo, non mirum est, et quod hæc obscuritas non destruit certitudinem de

præsentia reali et de transsubstantiatione aliunde fundatam in ipsamet revelatione secundum sensum litteralem Scripturæ et explicatione infallibilis Ecclesiæ. In hoc Sacramento, sicut in diversis mysteriis, satis claritatis est pro his qui credere volunt, et satis obscuritatis pro his qui credere nolunt. Est clarum-obscurum in quo, si negatur id quod clarum est propter id quod obscurum est, loco mysterii ponitur contradictio in ipsis verbis Christi Eucharistiam instituentis.

In hoc sensu dicitur: Mille difficultates vel obscuritates non causant unum dubium saltem deliberatum, si difficultates istae non destruunt motivum formale certitudinis, quod est in præsenti auctoritas Dei revelantis. Sic etiam in ordine naturali obscuritates circa modum intimum quo producitur sensatio, vel abstractio idearum a sensibilibus, non destruunt certitudinem de existentia corporum externorum et de cognoscibilitate eorum. Et sicut naturaliter certi sumus de existentia corporum externorum, ita de existentia accidentium panis post consecrationem remanentium. Imo de eis est certitudo naturalis per infallibilem Ecclesiæ declarationem confirmata. Hoc firmiter tenendum est contra Cartesianos.

q. 77, a. 1.

ART. I. — UTRUM ACCIDENTIA PANIS ET VINI REMANEANT SINE SUBJECTO IN HOC SACRAMENTO

Status quæstionis: Videtur quod non: 1° quia hoc est contra ordinem rerum; 2° quia ad definitionem accidentis pertinet quod sit in subjecto, et nec miraculose accidens potest suam definitionem amittere; 3° accidens individuatur a subjecto, et sic sine subjecto esset quid universale et non sensibile; 4° nec esset compositum ex materia et forma, esset proinde quid simplicius quam angelus.

Responsio tamen est: *Accidentia in hoc sacramento manent sine subjecto.*

Probatur 1° *auctoritate Traditionis,* expressæ in textu S. Gregorii citato in argumento « sed contra ». Concilium Tridentinum (Denz. 884) dicit: « Si quis dixerit, in sacramento Eucharistiæ remanere substantiam panis... negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in Sanguinem *manentibus dumtaxat speciebus panis et vini,* a. s. ». Ex hoc habetur saltem quod species panis non sunt *in proprio subjecto.* Sed ex damnatione 2^{a} propositionis Joannis Wicleff (Denz. 582) habetur contradictoria hujus propositionis infallibiliter damnatae ad minus ut erroneæ: « *Accidentia panis* non manent sine subjecto in hoc sacramento ». In hac propositione legitur non solum species panis sed etiam « accidentia panis ».

Unde est de fide quod accidentia eucharistica remanent *sine proprio subjecto*, et est saltem theologice certum quod remanent *sine ullo subjecto*, ut clarius statim patebit.

2° In corpore articuli sunt duæ partes:

In prima S. Thomas intentum probat inductive, per exclusionem cujuslibet subjecti, sive substantiæ panis, sive substantiæ corporis Christi, sive substantiæ aeris aut similis corporis.

Etenim substantia panis non remanet; insuper substantia corporis Christi, sive ut humanum est, sive ut gloriosum et impassibile, non potest affici his accidentibus alienis, quidquid dixerint postea Cartesiani; fieret album, rotundum, frangeretur, et esset circumscriptive in duobus locis distantibus, ut dictum est.

Denique hæc accidentia panis non possunt esse in substantia aeris aut similis corporis 1° quia aer non est susceptivus horum accidentium; 2° quia hæc accidentia non sunt ubi est aer qui depellitur ad motum eorum; 3° quia accidentia non transeunt de subjecto in subjectum, individuantur enim a subjecto; 4° quia aer haberet simul accidentia propria et aliena. Ergo hæc accidentia panis sunt in nullo subjecto.

In secunda parte articuli, S. Thomas probat hoc non esse impossibile sic:

— Effectus magis dependet a causa prima quam a causa secunda.

— Atqui Deus est causa prima accidentium, dum substantia creata est eorum causa secunda.

— Ergo Deus potest *conservare in esse* hæc accidentia, subtracta substantia, sicut potuit formare humanum corpus Christi, sine virili semine.

Ad 1um: Hoc est quidem præter ordinem naturalem, sed est miraculum immediate consequens transsubstantiationem, et sic expressum est per verba consecrationis, quæ efficiunt id quod significant.

Ad 2um respondetur huic objectioni: Quod est de essentia alicujus nequidem miraculose potest ab eo separari. Atqui *esse in subjecto* est de essentia accidentis. Ergo nequidem miraculose hoc potest ab eo separari.

Respondetur: concedo majorem; distinguo minorem: esse in subjecto *aptitudinaliter*, concedo; *actualiter*, nego; et pariter distinguitur, conclusio.

Ratio est, ut dicit S. Thomas ad 2um: quod, cum ens (quod dicitur ab esse) non sit genus, hoc ipsum quod est *esse non potest esse essentia substantiæ vel accidentis*. Non est ergo definitio substantiæ, ens per se sine subjecto, nec definitio accidentis, *ens in subjecto;* sed essentiæ substantiæ competit habere *esse* non in subjecto; essentiæ autem accidentis *competit habere esse in subjecto*. In hoc autem sacramento non datur accidentibus quod ex vi suæ essentiæ non sint in subjecto, sed ex divina

virtute sustentante, et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis *definitio accidentis, quæ est aptitudo ad subjectum*, quæ semper manet in iis, *non actualis inhærentia*, nec competit eis definitio substantiæ ». Deus non potest gerere vices causæ materialis, hoc esset imperfectio in eo, sed est causa efficiens conservans, accidentia eucharistica.

Ut ostendit P. del Prado, *De Veritate fundamentali philos. christianæ* p. 585, hoc non potest admitti, nisi admittatur distinctio realis inter essentiam creatam et esse, quæ negatur a Scoto et a Suarezio. S. Thomas autem multis locis ostendit quod, ante considerationem mentis nostræ, vera est hæc propositio: Petrus *non est suum* esse, item panis *non est* suum esse, item accidentia panis *non sunt* suum esse; solus Deus *est* suum esse, quia est ipsum Esse subsistens. In Deo solo esse est prædicatum essentiale, in creaturis est prædicatum non essentiale sed contingens. In hoc judicio autem negativo « creatura *non est* suum esse », *non est* negat identitatem realem subjecti et prædicati. Si autem prædictum judicium negativum est verum et ab omnibus theologis admittitur, sequitur quod ante considerationem mentis nostræ *non est identitas realis* inter creaturam et suum esse. Sed ubi non est identitas realis, est distinctio realis; etiamsi sit minima, adhuc realis est seu ontologica, dummodo existat ante considerationem mentis. Distinctio enim logica seu rationis ea est quæ sequitur considerationem mentis. Nec potest dari, ut vult Scotus, distinctio formalis-actualis a parte rei, quæ esset media inter distinctionem realem et distinctionem rationis. Nam distinctio antecedit aut non antecedit considerationem mentis, nec datur medium inter ea quæ contradictorie opponuntur.

Instantia: Sed Petrus non est sua humanitas, et tamen non realiter distinguitur ab ea. Ergo pariter non realiter distinguitur a suo esse.

Respondetur: Distinguo antecedens: Petrus non realiter distinguitur a sua humanitate ut res a re, concedo; ut totum a parte essentiali, nego; et propterea non potest dici: Petrus est sua humanitas, quia totum non est pars ejus. Ad consequens, nego paritatem, quia esse vel existentia non est pars essentialis Petri, sed prædicatum contingens, unde in Petro essentia et existentia distinguuntur non ut totum a parte essentiali, sed ut res a re, vel ut realitas ab actualitate, ut participans a participato. Est distinctio realis adæquata, dum inter totum reale et partem ejus est distinctio realis inadæquata.

Insuper persona Petri, imo personalitas ejus, non est suum esse, quod contingenter prædicatur de illo; esse enim non prædicatur essentialiter nisi de Deo. Ergo remanet distinctio realis inter essentiam creatam et esse.

S. Thomas jam clare applicavit hanc doctrinam distinctionis realis ad accidentia eucharistica in IV Sent., d. 12, q. 1, a. 1, qa. 1, ad 2um ubi dicitur: « Esse seu existere in nulla quidditate creata est intrinsecum (seu essentiale) prædicatum ». Hoc enim solius Dei est proprium. Si ergo existentia ut sic non sit de essentia entis creati ut sic, sequitur

quod talis existentia, scil. in alio, non sit de essentia talis entis, scil. accidentis, sed solum aptitudo ad talem existentiam.

Insuper præsens responsio fundatur in doctrina fundamentali exposita 1ª q. 104, a. 1: creaturæ indigent ut a Deo conserventur in *esse*, quoniam Deus est causa non solum fiendi, verum etiam essendi omnium rerum.

Sic *Deus conservando accidentia eucharistica*, supplet causalitatem substantiæ. Sed, ut recte animadvertit Card. Billot (*De Sacra Eucharistia* in IIIª q. 77, a. 1), *Deus supplet* non materialem causalitatem substantiæ, sed ejus *causalitatem quasi efficientem*, in quantum scil. accidentia ab ea dimanant per quamdam resultantiam. Id est Deus non gerit vices subjecti, sed sublato substantiæ influxu, quicumque ille sit, conservat accidentis essentiam sub proprio *esse*.

Instantia: Sed existentia accidentis est *inesse*. Atqui hæc accidentia non amplius habent *in esse*. Nec proinde amplius habent *esse*.

Respondetur: Distinguo majorem: existentia accidentis est *in esse*, prout non habet esse proprium, nego; prout ejus esse proprium naturaliter dependet ab esse substantiæ, concedo. Concedo minorem. Distinguo conclusionem: non amplius habent esse: si non haberent antea esse proprium, concedo; secus, nego. Adhuc habent esse proprium, quod tamen non amplius dependet ab esse substantiæ, sed sustentatur miraculose ab omnipotentia divina.

Instantia: Suarezianorum. *Inhærentia actualis* est de essentia accidentis actu *existentis*. Etenim omne quod actu existit, essentialiter existit aut in se, aut in alio. Atqui accidens actu existens non existit essentialiter in se. Ergo existit essentialiter in alio.

Respondetur: Distinguo majorem: hæc divisio (aut in se, aut in alio) potest quidem dici *essentialis respectu actualis existentiæ*, concedo; *non vero respectu entis creati*, quod non est suum esse. Existentia actualis ut sic non est enim de essentia entis creati, quod sic distinguitur a Deo.

Instantia: Ergo saltem in hoc casu, speciali Dei miraculo, accidens fit substantia, quod est impossibile.

Respondetur: Si non retineret aptitudinem ad esse in subjecto, concedo; secus nego.

Ultima instantia: Minus dependet substantia ab accidentibus, quam accidentia a substantia. Atqui non potest esse substantia corporea sine omni accidente, v. g. sine ubi et quando. Ergo nec accidens sine omni substantia.

Respondetur: Concedo majorem. Nego minorem: substantia quidem corporea non potest esse sine ubi et quando fundamentali et radicali, sed potest esse sine ubi et quando formali et actuali; nam hæc accidentia sunt modi resultantes in corpore localiter extenso ex mensuratione loci et temporis. Et Deus potest impedire ne resultent isti modi, sicut impedivit subsistentiam propriam humanitatis Christi, ut dicitur IIIª q. 4, a. 2.

Ad 3um: S. Thomas solvit aliam difficultatem, scil. accidens individuatur a subjecto, ac proinde sine subjecto esset quid universale et non sensibile.

Respondetur: Hæc accidentia virtute divina remanent in illo esse individuato, quod prius habebant, quia retinent aptitudinem ad substantiam, ita aliquomodo anima separata remanet individuata per relationem ad corpus suum, quod clarius apparebit in articulo sequenti.

Ad 4um: Nec haec accidentia sunt quid simplicius angelo. Nam « habent esse » (non sunt suum esse), unde sunt composita ex *esse* et *quod est* sicut angeli; et insuper habent compositionem partium quantitativarum.

Notandum est quod S. Thomas dicit, sicut S. Albertus, angelos componi ex *esse* et *quod est*, unde in eis non solum est distinctio realis inter essentiam et esse; sed inter suppositum et esse. Persona Michaelis, imo personalitas ejus, non est suum esse, ac proinde personalitas ejus realiter distinguitur ab existentia, quæ in eo est prædicatum contingens.

Notandum est insuper quod secundum S. Thomam in hac responsione ad 4um, quantitas panis prius erat solum *id quo* panis erat quantus et habebat esse quantum, nunc est *id quod* est [1]; retinet tamen aptitudinem ad esse in subjecto.

Cajetanus in hunc articulum notat quod proinde quantitas panis fit vice-substantia, scil. accipit modum, vim, proprietatemque substantiæ. Id est, ut dictum est ad 4um, quantitas transit de *quo* est in *quod* est et est compositum ex *quod est* et *esse;* cf. articulum sequentem.

q. 77 a. 2.

ART. II. — UTRUM IN HOC SACRAMENTO QUANTITAS DIMENSIVA PANIS SIT SUBJECTUM ALIORUM ACCIDENTIUM

Status quæstionis: Videtur quod non: 1° quia accidens non est subjectum accidentis; 2° quia accidentia individuantur non a quantitate sed a substantia; 3° nec explicaretur rarum et densum in his accidentibus quia rarum est quod habet parum *de materia* sub magnis dimensionibus, densum e contrario; 4° quantitas separata a substantia est quantitas mathematica et non sensibilis.

Responsio tamen est: *Necesse est dicere alia accidentia esse in quantitate dimensiva panis vel vini sicut in subjecto.*

1° *Probatur ex experientia,* in argumento « sed contra », nam per sensum patet quod dividuntur qualitates remanentes in hoc sacra-

1 Cf. de hac re Cajetanum et in « Revue Thomiste », nov. 1934, p. 319-343, P. GILLON, O. P., *La condition des accidents eucharistiques selon Cajetan.*

mento per divisionem quantitatis dimensivæ. Item, initio corporis articuli, dicitur: « ad sensum apparet *aliquid quantum* esse ibi coloratum et aliis accidentibus affectum ».

2° *Probatur ratione, quia quantitas est prima dispositio materiæ* scil. pertinet ad substantiam corpoream ratione materiæ, quæ est primum subjectum. Ergo omnia alia accidentia referuntur ad subjectum, mediante quantitate dimensiva; sic *subjectum immediatum coloris est superficies* substantiæ corporeæ, et substantia ipsa non recipit colorem, nisi mediante superficie.

3° *Probatur ex hoc quod accidentia individuantur a subjecto;* atqui quantitas est aliquo modo individuationis principium. Ergo quantitas est subjectum immediatum aliorum accidentium. (Legenda est integraliter hæc ratio).

Forsitam nullibi S. Thomas tam clare loquutus est de principio individuationis.

Probatur minor: Nam principium individuationis est materia quantitate signata, seu materia capax hujusce quantitatis ita quod non illius.

Ratio est duplex:

a) Quia individuum, ut sit indivisum in se, oportet quod non sit in pluribus; *materia autem,* tanquam primum subjectum, *non potest esse in alio,* et proinde forma jam recepta in materia non potest esse in alio subjecto materiali.

Sic constituitur individuum, ut sit indivisum in se.

b) Sed ut individuum, sit *divisum a quolibet alio* ejusdem speciei, oportet quod forma sit recepta in materia, ut est capax hujusce quantitatis ita quod non illius, v. g. ut est capax quantitatis hujusce embryonis, ita quod non quantitatis alterius embryonis.

Sic diversæ formæ numero sunt in diversis partibus materiæ, v. g. *duæ guttæ aquæ* perfecte similes quoad naturam aquæ, quoad qualitates, quoad volumen materiæ, sunt tamen *duæ,* una non est alia; quare? quia forma specifica aquæ recipitur *in materia apta* ad hanc quantitatem ita quod non ad illam, seu recipitur *in hac* materia. Proinde quælibet gutta, vel etiam quælibet molecula aquæ est individuum, indivisum in se et divisum a quolibet alio. Item duo gemelli perfectissime similes sunt tamen duo, ratione materiæ quantitate signatæ. Et sic *quantitas dimensiva est quoddam individuationis principium,* et *« ipsa secundum se habet quamdam individuationem »* prout habet *partes extra partes,* quarum una non est alia. Sic possumus imaginari *duas* lineas perfecte similes quæ tamen sunt *duæ,* prout differunt positione, et non constant eisdem partibus. « Et ideo potius quantitas dimensiva potest esse subjectum aliorum accidentium quam e converso ». Hic articulus est magni momenti sub aspectu philosophico.

Brevius: Individuum est *indivisum in se,* ratione *materiæ,* quia forma jam recepta in materia non potest amplius recipi in alio materiali

subjecto. Et individuum est *divisum a quolibet alio,* ratione ordinationis materiæ ad talem quantitatem potiusquam ad aliam [1].

Corollarium: Sic in Eucharistia salvatur modus connaturalis existendi aliorum accidentium, nec multiplicantur miracula; sed sufficit quod quantitas existat separata a substantia. Unde nulla fit mutatio in aliis accidentibus.

Ad 1um: « Aliquod accidens recipitur in substantia, alio mediante, sicut superficies dicitur esse subjectum coloris. Unde quando accidenti datur divinitus *ut per se sit* (retinendo tamen aptitudinem ad esse in subjecto), potest etiam per se alterius accidentis subjectum esse ».

Ad 3um: « Subtracta materia (per transsubstantiationem), divina virtute conservantur qualitates materiam consequentes, v. g. rarum et densum, sicut alia accidentia ». Hoc sequitur ex principio œconomiæ scil. in scientiis non sunt multiplicanda principia sine necessitate.

Ad 4um: Quantitas dimensiva panis remanet sensibilis, et proinde non est quantitas mathematica, quæ abstrahit a materia sensibili, seu a qualitatibus sensibilibus.

q. 77 a. 3.

ART. III. — UTRUM SPECIES QUÆ REMANENT IN HOC SACRAMENTO POSSINT IMMUTARE ALIQUID EXTRINSECUM

Status quæstionis: Videtur quod non: 1° quia sunt formæ sine materia, ergo non possunt immutare materiam; 2° quia formæ accidentales non operantur nisi virtute formæ substantialis, quæ non amplius existit in hoc sacramento; 3° quia effectus non potest esse potior causa. Ergo accidentia eucharistica non possunt immutare materiam saltem ad formam substantialem.

Responsio tamen est: *Non est dubium quod accidentia eucharistica possunt immutare exteriora corpora.*

1° *Probatur ex experientia,* in argumento « sed contra », quia possunt sentiri; sentitur autem aliquid per hoc quod immutatur sensus a sensibili.

1 Cf. JOANNEM a S. THOMA, *Cursus Phil.,* Phil. Natur. q. IX, a. 4, de principio individuationis: Quid sit materia signata quantitate, quæ est principium individuationis. « Signatio materiæ explicanda est per ordinem (ejus) ad quantitatem, ut dividentem et separantem ipsas partes materiæ ». Item *Cajetanum* in Iam q. 29, a. 1, et Comment. *de Ente et essentia* q. V. Principium individuationis ipsius substantiæ debet enim ad ordinem *substantiæ* pertinere priusquam (prioritate naturæ) adveniat accidens quantitatis; ergo hoc principium debet esse materia ut ordinatur ad hanc quantitatem, potiusquam ad illam, v. g. ad quantitatem hujusce embryonis potiusquam ad quantitatem alterius. Et denique ipsa quantitas individuatur a subjecto. Nec in hoc est circulus vitiosus; sed causæ ad invicem sunt causæ, in diverso genere (cf. Joannem a S. Thoma, *loc. cit.*).

2° *Probatur ratione theologica,* in corpore articuli sic:

— Unumquodque agit in quantum est ens actu, et determinat aliquid aliud secundum suam propriam determinationem, sic *operari sequitur esse.*

— Atqui speciebus sacramentalibus datum est divinitus, ut remaneant *in suo esse.*

— Ergo consequens est quod etiam remaneant *in suo agere.*

Id est: omnem actionem quam poterant exercere, substantia panis et vini existente, possunt etiam nunc exercere.

Hoc est quidem satis mysteriosum, sed valent major et minor hujusce argumenti, nec destruuntur per objectiones.

Ad 1um: « Species sacramentales retinent *idem esse* quod habebant prius in materia, et ideo secundum suum esse assimilantur formis quæ sunt in materia ». Totus hic articulus reducitur ad hoc principium: Operari sequitur esse.

Ad 2um: Operari sequitur esse, « datur autem speciebus sacramentalibus ut possint *esse* sine substantia, ita datur eis ut possint *agere* sine forma substantiali, virtute Dei ».

Ad 3um: « Qualitates activæ agunt (naturaliter) in virtute formæ substantialis. Hæc autem virtus instrumentalis conservatur in speciebus sacramentalibus divina virtute ». Id quod remanet absconditum est ipsa virtus divina et modus ejus operandi. Non sequitur quod Deus possit facere quod lapis videat, quia visio, ut actus vitalis, requirit principium vitale.

q. 77 a. 4.

Art. IV. — UTRUM SPECIES SACRAMENTALES POSSINT CORRUMPI

Status quæstionis: Hæc quæstio difficilior est quam quæstio præcedentis articuli, quia Deus potest gerere vices causæ efficientis absentis, sed non potest gerere vices materiæ, seu subjecti; hoc esset imperfectio pro Deo, quia materia est potentia passiva, determinabilis, seu perfectibilis. Deus autem est Actus purus.

Proinde, ut dicunt objectiones enuntiatæ initio articuli, valde difficile est explicare quod species sacramentales corrumpi possint, 1° quia sunt formæ sine materia, et corruptio fit per separationem formæ a materia; 2° videtur proinde quod sint incorruptibiles; 3° nequidem miraculose corrumpuntur, quia miracula, quæ fiunt in hoc sacramento, fiunt virtute consecrationis, quæ species istas conservat et non destruit.

Responsio tamen est, quod *species sacramentales possunt corrumpi et corrumpuntur de facto.* Non est proprie conclusio theologica, sed potius explicatio ejus quod sensu constat.

1° *Probatur ex experientia,* nam sensu deprehenditur hos 'as consecratas putrefieri et corrumpi.

2° *Probatur ratione theologica* possibilitas hujusce corruptionis, sic.

— Species sacramentales retinent *idem esse* quod prius habebant cum aptitudine ad esse in subjecto (a. 2).

— Atqui hoc *esse* accidentium poterat corrumpi dupliciter: *per se,* scil. per alterationem qualitatum, quæ adhuc possibilis est, et per accidens, scil. per corruptionem subjecti a contrario agente, ita v. g. sanitas perfecta oculi moribundi perit cum subjecto, cum morte ejus.

— Ergo etiam nunc hoc esse accidentium potest corrumpi, et *per se,* scil. per alterationem qualitatum panis et vini, et etiam *per accidens* « quia, quamvis subjectum non remaneat, remanet tamen *esse* quod habebant hujusmodi accidentia in subjecto... et ideo hujusmodi *esse* potest corrumpi a contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis et vini ».

Id est quidquid potuisset corrumpere substantiam panis et sic consequenter destruere ejus accidentia, potest nunc eodem modo hæc accidentia destruere.

Corollarium duplex enuntiatur in secunda parte corporis articuli: cessat aut non cessat præsentia realis corporis Christi, prout fit aut non fit tanta immutatio, quod fuisset corrupta substantia panis et vini; v. g. si qualitates vini non sint amplius vini, sed aceti, tunc cessat realis præsentia.

De miraculosa conservatione specierum longo etiam tempore post communionem et usque ad communionem sequentis diei cf. Schram, *Theologia mystica* (ubi de communione). Hoc est rarum, proprie exceptionale, et non faciliter admittendum.

Ad 1um et *ad* 2um: « Species sacramentales, licet sint formæ non in materia habent tamen *esse* (corporale) quod prius in materia habebant ». Sic possunt corrumpi, et differunt a formis separatis a materia, ut sunt angeli.

Ad 3um: Corruptio illarum specierum non est miraculosa, sed naturalis. Præsupponit tamen quod hæ species miraculose retineant *esse* sine subjecto.

Remanet vero difficultas, prout corruptio unius est generatio alterius, quæ fieri nequit sine materia. Hæc difficultas examinatur in articulo sequenti.

q. 77, a. 5.

Art. V. — UTRUM EX SPECIEBUS SACRAMENTALIBUS ALIQUID POSSIT GENERARI

Status quæstionis: Videtur quod non: 1° quia nihil generatur nisi ex materia, atqui species sacramentales sunt sine materia, nec Deus potest gerere vices materiæ; 2° quia substantia non potest generari ex accidente, quod est alterius generis.

Objectiones istæ facilius intelliguntur quam responsio, quia sunt superficiales, dum responsio sumitur ex alto, scil. ex his quæ Deus omnipotens facere potest modo extraordinario.

Responsio est: *Ex speciebus sacramentalibus aliquid potest generari, et generatur de facto, imo necesse est quod aliquid generetur, dum corrumpuntur.*

1° *Probatur factum ex experientia,* in argumento « sed contra »: « Ad sensum videri potest ex speciebus sacramentalibus aliquid generari, vel cineres, si comburantur, vel vermes, si putrefiant, vel pulveres, si conterantur ». Attamen vermes non generantur proprie ex iis (requiritur quod fuerint prius germina viventia vermium) sed vermes nutriuntur ex eis.

2° *Probatur quod hoc necesse sit et quomodo fiat in corpore articuli.*

— In primis hoc *necesse* est. Etenim corruptio unius est generatio alterius; nam corruptio non est annihilatio.

— Atqui species sacramentales corrumpuntur (articulo præcedenti).

— Ergo necesse est quod ex eis aliquid generetur.

« *Quomodo* autem ex eis aliquid generari possit, difficile est videre », ait S. Thomas. Facilius dicitur quomodo hoc fieri nequit.

Certo quidem novum compositum v. g. cineres, vel pulveres non generantur ex incorruptibili corpore Christi, nec ex substantia panis quæ non remanet (vermes non generantur ex non vivo, sed nutriuntur).

A) Quidam dixerunt quod novum compositum *generatur ex aere.* Sed, inquit S. Thomas, hoc est impossibile: 1° quia in aere circumstante nulla apparet alteratio, ut via ad hanc generationem, 2° quia natura aeris non est apta ad similem generationem, 3° nec alteratio apparet in aliis corporibus circumstantibus.

B) Alii dixerunt, quod *redit substantia panis* in ipsa corruptione specierum. Sed, ait S. Thomas, hoc etiam est impossibile: 1° quia non posset redire nisi per inversam transsubstantiationem corporis Christi in ipsam, et sic cessaret corpus Christi; nisi dicatur quod Deus *creat* novam substantiam panis, et hoc gratis affirmatur. 2° Substantia panis non potest redire cessantibus ejus accidentibus, quia sic esset sine propriis accidentibus.

C) S. Thomas, in fine corporis articuli dat *duas solutiones probabiles,* quarum prima, juxta eum, est minus probabilis.

1ª *solutio* est: Quod in ultimo instanti corruptionis specierum, redit, non quidem substantia panis, sed *materia panis,* quæ magis *de novo creata* diceretur quam rediens. Et secundum hoc, inquit, posset sustineri prædicta positio. Sed hoc esset novum miraculum, non expressum in verbis consecrationis.

2ª *solutio:* « Melius videtur dicendum quod in ipsa consecratione *miraculose datur quantitati dimensivæ panis et vini, quod sit primum subjectum subsequentium formarum...,* seu datur ei omne illud quod pertinet ad materiam. Hoc esset ex vi miraculi prius facti, non vero novum miraculum ».

Item S. Thomas dicit *ad* 1um: « Quantitas dimensiva supplet vicem materiæ ». *Ad* 2um: « Sic quamvis sit accidens habet vim substantiæ » virtute divina.

Difficultas tamen remanet, scil.: *Utrum novum compositum constet solum quantitate et forma substantiali,* an e contra Deus producat materiam ex cujus potentia et in qua recipiatur forma substantialis novi compositi?

Hoc disputatur inter thomistas. Ferrariensis cum quibusdam aliis tenet quod novum compositum est sine materia, et quod in eo quantitas gerit vices materiæ; idem ita esset in compositis generatis ex illo, et sic semper.

Sed communius thomistæ tenent, v. g. Joannes a S. Thoma, Gonet, Billuart, quod probabilius *producitur de novo materia,* alioquin sequeretur quod foret perpetuum miraculum etiam extra eucharistiam, nam ex novo composito, v. g. ex cineribus, generatur aliud et sic semper usque ad finem mundi. Et compositum generatum ex speciebus eucharisticis non esset compositum naturale.

Hæc ultima sententia fundatur in responsione ad 3um præsentis articuli, ubi dicitur in fine: « quantitas dimensiva panis potest *transire in substantiam* et dimensionem » novi compositi. Item S. Thomas in IV Sent. d. 12, q. 1, a 2, qa 4ª ad 4um dicit: « Secundum quamlibet positionem, oportet ponere aliquid in hac generatione esse miraculum et aliquid naturale: reditus substantiæ, vel creatio materiæ, vel *conversio dimensionum in materiam* est miraculum, sed quod materia jam existens recipiat talem formam, cujus dispositiones præcesserant in dimensionibus, hoc est naturale ».

Unde S. Thomas admittit saltem in hoc loco, et in nostra responsione ad 3um quod dum generatur aliquid ex speciebus sacramentalibus, *Deus modo sibi placito materiam producit* aut per creationem, aut per conversionem quantitatis in ipsam, aut etiam forte per conversionem aeris ambientis, sicut in Cana conversa est aqua in vinum.

Indecisum est pro S. Thoma utrum materia producatur per creationem an per conversionem quantitatis in ipsam. Videtur tamen convenientius dicere per *conversionem,* quæ sic esset sequela miraculi transsubstantiationis.

Scotus et Vasquez putant quod novum compositum, ut vermes, cineres, de novo creatur. Hoc non admittunt thomistæ, quia tunc novum compositum produceretur ex nihilo, corruptio autem specierum non terminatur ad nihilum. Corruptio unius est generatio alterius, ut dixit S. Thomas, initio corporis nostri articuli.

Fatemur in hoc esse difficultatem; sed hæc difficultas non minuit certitudinem nostram de præsentia reali et de transsubstantiatione, quæ fundatur in auctoritate divinæ revelationis ab Ecclesia propositæ.

Difficultates circa modum intimum rerum non tollunt certitudinem de existentia harum rerum; v. g. *factum sensationis* est certum,

quamvis absconditus maneat modus intimus secundum quem corpora mere materialia possint influere in organum vivum et sic in ipsam facultatem sensitivam et producere in sensibus nostris similitudinem vitalem ordinis vitæ sensitivæ (cf. S. Thomam, de Potentia, q. 5, a. 8 et Joannem a S. Thoma, Cursus phil. de Anima, q. 8, a. 4). Videtur quod effectus nobilior sit quam causa. Item factum abstractionis idearum nostrarum a sensibilibus est certum quamvis modus intimus secundum quem hoc evenit sub influxu intellectus agentis sit satis obscurus, sicut ipsa natura intellectus agentis. Imo *productio minimi motus localis* continet mysterium, prout non potest plene explicari nisi per interventionem Primi motoris, et ita ut sit *novitas effectus sine novitate actionis* in Primo motore; hoc est mysterium coexistentiae aeternitatis cum tempore. Non tamen ex hoc minuitur certitudo nostra de existentia ipsius motus. Si autem sunt obscuritates in ordine naturæ, non mirum est quod sint in ordine supernaturali v. g. in Eucharistia. Mille obscuritates non causant dubium, si non destruunt nec minuunt ipsum motivum formale certitudinis nostræ, sed ex alia parte proveniunt.

Item quando agitur de conciliatione intima attributorum Dei.

Imo quo certiores sumus de existentia in Deo infinitæ misericordiæ et infinitæ Justitiæ, eo magis apparet obscuritas earum intimæ conciliationis, quæ vocatur a mysticis magna tenebra. Non enim possunt hæ duæ perfectiones infinitæ conciliari nisi in eminentia Deitatis, quæ nonnisi per visionem beatificam cognosci potest ut in se est.

In his omnibus, sicut in Eucharistia, oportet bene distinguere obscuritatem superiorem quæ provenit ex nimia luce pro debilitate nostri intellectus et obscuritatem inferiorem, quæ provenit ex incoherentia et etiam ex absurditate. Kantius rejicit mysteria supernaturalia propter eorum obscuritatem, et in ejus doctrina alia est obscuritas, totaliter diversa, quæ non ex nimia luce provenit. Non oportet nimium momentum theoreticum tribuere Kantismo, posset esse magna deperditio temporis, ad salutem animarum magis fructuose consumendi. Item dicendum est de Cartesianismo, cujus debilitas speciatim apparet in elucubrationibus theologorum cartesianorum circa Eucharistiam, propter confusionem substantiæ cum extensione.

q. 77 a. 6.

ART. VI. — UTRUM SPECIES SACRAMENTALES POSSINT NUTRIRE

Status quæstionis: videtur quod non, quia sunt accidentia tantum, et alimentum nutrit prout est substantia quædam, et prout assimilatur a viventi; assimilatio enim nutritiva est manifeste mutatio substantialis in qua materia alicujus alimenti etiam non vivi fit materia viventis, materia hominis, per mutationem formæ substantialis.

Responsio tamen est: *species sacramentales manifeste nutriunt.*

1° *Probatur ex experientia* in argumento « sed contra ».

2° *Probatur ratione theologica:* est corollarium articuli præcedentis in quo dictum est quod species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam, ergo in substantiam corporis nostri.

Ad 1um: E contrario corpus Christi, qui est panis mysticus, non convertitur in corpus hominis, sed reficit mentem ejus.

Observatio.

Notandum est, quoad istas quæstiones, aliquid pertinens ad ascensum materiæ; dicit pluries, post Aristotelem, sanctus Thomas quod materia quæ naturaliter ordinatur ad formam, appetit formam, imo progressive appetit formam superiorem, sic materia elementi appetit formam plantæ, deinde formam animalis bruti, v. g. bovis, deinde formam hominis, quæ est excellentissima omnium formarum quæ recipiuntur in materia. Sic est mirabilis ascensio materiæ ad superiora, ad subserviendum intelligentiæ nostræ et amori Dei.

In ordine autem supernaturali quædam pars materiæ est unita animæ Christi, quæ personaliter unitur Verbo, et materia ac forma panis convertuntur in corpus Christi gloriosum; non potest esse altior materiæ ascensio. Hæc sunt certa, priora sunt certa secundum rationem, posteriora sunt certa secundum fidem.

Hæ autem certitudines nullo modo minuuntur ex prædicta obscuritate scil. quomodo ex corruptione specierum Eucharistiæ generatur novum compositum? Deus modo sibi placito materiam novi compositi producit aut per invisibilem creationem, aut potius per invisibilem conversionem quantitatis panis in substantiam novi compositi; hæc conversio esset sequela transsubstantiationis, et sequela quæ oritur secundum hanc legem « corruptio unius est generatio alterius ». Deus enim creator et conservator materiæ, habet potestatem immediatam in ipsam.

q. 77 a. 7.

ART. VII. — UTRUM SPECIES SACRAMENTALES FRANGANTUR IN HOC SACRAMENTO

Status quæstionis: Hic articulus instituitur, ut apparet ex difficultate tertia, quia posset male intelligi professio fidei, cui debuit subscribere Berengarius, et in qua legitur « Post consecrationem *verum corpus et sanguinem* Christi esse (sub hoc sacramento) et in veritate manibus sacerdotum tractari, *frangi*, et fidelium dentibus atteri ». Denzinger in suo Enchiridion n. 355, refert hanc professionem fidei, non vero hæc ultima verba. Quidquid sit de authenticitate eorum, quidam possent intelligere: id quod frangitur est corpus Christi.

Responsio est: *Ipsæ species panis franguntur, non vero corpus Christi.*

1° *Probatur ex communibus,* in argumento « sed contra » quia fractio fit per divisionem quanti. Sed nullum quantum ibi dividitur, nisi species sacramentales; nam corpus Christi est incorruptibile et est ibi per modum substantiæ et non per modum quantitatis. Unde S. Thomas dicit in officio SS. Sacramenti: « A sumente non concisus (Christus), non confractus, non divisus, integer accipitur. Nulla rei (contentæ) fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur ».

2° *Probatur magis ex propriis,* ac simul excluduntur opiniones erroneæ.

Quidam dixerunt: non est ibi vera accidentium fractio; sed hoc contradicit sensui, qui non decipitur circa ea quæ sunt per se sensibilia, ut est quantitas localiter extensa, quæ est sensibile commune pluribus sensibus.

« Apparet enim in hoc sacramento *aliquid quantum,* prius unum existens, et postea in multa partitum, quod quidem oportet esse subjectum fractionis ». Atqui hoc quantum non est corpus Christi impassibile, quod ibi est per modum substantiæ, scil. totum sub qualibet parte. Ergo id quod frangitur est ipsa quantitas dimensiva panis.

Ad 1um: In hac quantitate panis remanent porositas et frangibilitas sicut aliæ qualitates, vg. raritas et densitas, ut dictum est a. 2 ad 3.

Ad 2um: Remanet etiam duritia, quæ sequitur densitatem.

Ad 3um: Corpus Christi non manducatur in sua specie, sed in specie sacramentali; ideo ipsum corpus Christi non frangitur, et hoc modo intelligenda est confessio Berengarii. « Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura ».

. 77 a. 8.

ART. VIII. — UTRUM ALIQUIS LIQUOR POSSIT VINO CONSECRATO COMMISCERI

Status quæstionis: Non agitur de gutta aquæ miscenda cum vino ante consecrationem; agitur de admixtione post consecrationem. Estne possibilis. Et ex hoc cessatne præsentia realis sanguinis Christi, ut quæritur in 4a difficultate.

Respondetur et hoc patet ad sensum, *physice fieri potest additio alicujus liquoris post consecrationem vini sicut antea,* quamvis hoc sit illicitum.

Ratio est quia species sacramentales retinent suum esse et suum agere ac pati, ut scil. agere et pati possint quidquid ageret vel pateretur substantia vini, si ibi existeret.

Corollarium: *Cessat aut non cessat præsentia realis* sanguinis Christi *prout fit aut non fit tanta permixtio* liquoris adjuncti quod species seu qualitates vini non remaneant, tanta scil. quod cessasset substantia vini si præsens fuisset cf. ad 4um. Quandonam vero cessat substantia vini ex admixtione alterius liquidi, difficile est determinare in concreto, sed scientia non est in istis rebus singularibus, quæ sunt contingentes; ita si quæreretur quandonam incipit esse *cumulus* granorum arenæ; cumulus est quid accidentale, non habet essentiam determinatam. Sophistæ multiplicabant similes quaestione, quœ sunt estra scientiam.

Recapitulatio quæstionis de accidentibus eucharisticis.

1° *Hæc accidentia post transsubstantiationem remanent sine proprio subjecto,* hoc est de fide; imo *sine ullo subjecto* ut communiter admittitur.

2° Quantitas dimensiva panis est subjectum aliorum accidentium vg. coloris, resistentiæ, saporis.

3° Quia *haec accidentia* virtute divina remanent *in suo esse,* remanent etiam in suo *agere,* sic immutant exteriora corpora.

4° *Haec accidentia possunt corrumpi* per se, scil. ratione alterationis accidentalis, et per accidens scil. per actionem quæ destruxisset ipsam substantiam panis.

5° *Ex his accidentibus potest aliquid generari,* prout quantitas vices gerit substantiæ, et rursus producitur a Deo materia in composito generato, per miraculum subsequens ex transsubstantiatione.

6° Sic species sacramentales *possunt nutrire.* Hæc sunt principalia capita hujusce quæstionis.

Si comparantur hi articuli S. Thomæ de transsubstantiatione et de accidentibus eucharisticis cum scriptis theologorum antecedentium vel ejusdem temporis, apparet magnus progressus. Historici narrant quod S. Thomas in oratione postulavit a Domino an vera esset hæc doctrina de accidentibus eucharisticis; speciatim pro ea obtinuit hanc responsionem: « Bene scripsisti de me, Thoma ».

* * *

Sic terminantur quæstiones ad materiam Eucharistiæ pertinentes; quatuor scil. quæstiones: q. 74 de specie materiæ; q. 75 de conversione panis et vini in corpus Christi; q. 76 de modo quo Christus existit in hoc sacramento; q. 77; de accidentibus panis et vini quæ in hoc sacramento remanent.

Transeundum est *nunc* ad quæstionem 78 *de forma* hujus sacramenti.

QUÆSTIO LXXVIII

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

In hac quæstione sunt sex articuli quorum ordinatio de se clara est:

1° de forma hujus sacramenti; 2° de convenientia formæ consecrationis panis; 3° de convenientia formæ consecrationis vini; 4° de virtute utriusque formæ; 5° de veritate harum formularum ut efficiunt id quod significant; 6° de comparatione unius formæ ad aliam.

Aliquis dicere posset: sanctus Thomas debuisset de forma hujus sacramenti prius tractare, antequam de transsubstantiatione; quia formula consecrationis, quæ est forma sacramenti, efficit id quod significat; unde prius considerandum est quid proprie significat. Ad hoc respondendum est, quod sanctus Thomas prius jam consideravit verba consecrationis ut necessarium erat ad explicationem præsentiæ realis et transsubstantiationis q. 75; nunc autem magis illustratur ex ipsa præsentia reali significatio profunda et exacta horum verborum nec non particularitates hujusce consecrationis, prolatæ in persona Christi.

Sic, in ordine naturali, natura rerum prius cognoscitur ex suis notis et postea ex ipsa natura rei cognitæ illustrantur notæ, quæ tunc apparent ut rei *proprietates* intelligibiles. Ita pro notis et proprietatibus Ecclesiæ, ita etiam nunc pro sacramento Eucharistiæ.

Manifestum est quod quæstiones quæ ortæ sunt inter catholicos et schismaticos circa formam consecrationis et circa epiclesim tractari debent nunc, supposita quæstione de præsentia reali et de transsubstantiatione.

Declarationes Ecclesiae.

Initio præ oculis habendæ sunt definitiones Ecclesiæ. Ecclesia declaravit quod forma hujus sacramenti sunt *verba Christi,* non vero *epiclesis* seu subsequens oratio sic a græcis vocata. Cf. Denz. 414, 698, 715, 876, 938, 3043, 3035.

Concilium Florentinum (n. 698) dicit: « *Forma* hujus sacramenti sunt *verba Salvatoris,* quibus hoc confecit sacramentum: sacerdos enim *in persona Christi* loquens hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum *virtute* substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur ». Item in eodem Concilio (n. 715) enunciatur integraliter utraque formula. In Conciliis dicitur: « in persona Christi » et non solum in persona Ecclesiæ.

Concilium Tridentinum (n. 876) dicit: « *Vi verborum* (consecrationis) corpus Christi est sub specie panis et sanguis sub specie vini ».

Ibidem n. 938: « Christus corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac *sub earumdem rerum symbolis, Apostolis* (quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat), ut sumerent, *tradidit* et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, *ut offerrent,* præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem* etc. (Luc. XXII, 19; I Cor. XI, 24) uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit ». Item n. 949.

Innocentius IV anno 1254, circa ritus Græcorum (Denz. 3043) declarat: « Græci in celebratione missarum, de hora celebrandi suam sequi consuetudinem permittantur, dummodo in confectione vel *consecratione, formam verborum a Domino expressam et traditam observent* ».

Denique Pius X anno 1910 (Denz. 3035), damnans doctrinam recenter propugnatam, declarat contra quosdam Orientalium errores: « Non intacta relinquitur catholica doctrina de Sanctissimo Eucharistiæ sacramento, cum præfracte docetur, sententiam suscipi posse, quæ tenet, apud Græcos *verba consecratoria* effectum non sortiri, nisi jam prolata oratione illa quam *epiclesim* vocant, cum tamen compertum sit Ecclesiæ minime competere jus circa ipsam sacramentorum *substantiam* quidpiam innovandi ».

Ibidem Denzinger notat quod antea plures pontifices declaraverunt epiclesim ad consecrationem non requiri, scil. Benedictus XII (Denz. 532) Clemens VI, Benedictus XIII, Benedictus XIV ac Pius VII. Græci schismatici a sæculo XIV dicunt Eucharistiam confici precibus quas post prolata hæc verba: *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei,* fundunt, secundum suas liturgicas orationes in hunc modum: « Rogamus Pater, ut mittas Spiritum tuum super nos et super hæc apposita munera: et fac panem istum pretiosum corpus Filii tui et quod est in calice pretiosum sanguinem Filii tui ».

Dicere hanc orationem esse necessariam ad consecrationem est affirmare quod missæ celebratæ in Ecclesia Romana sunt invalidæ et hoc est insuper contra Concilium Florentinum (Denz. 698 et 715).

Hujus erroris præcipui patroni fuerunt Cabasilas, Marcus Ephesinus et Simeon Thessalonicensis, quos confutarunt Cardinalis Bessarion, opusc. *de Eucharistia,* Allatius et Arcudius. Cf. *Dict. Théol. Cath.* art. « Epiclèse » (P. Salaville). Juxta Dom Cabrol, in antiquissimis liturgiis, epiclesis *præcedebat* verba consecratoria, inde nulla difficultas [1]. De sensu vero epiclesis post verba consecrationis est *duplex explicatio:*

1 Falsitas opinionis Græcorum schismaticorum ostenditur ex S. Scriptura et Traditione. Non enim possibile est quod Evangelistæ et S. Paulus, referendo verba Christi instituentis Eucharistiam et dicentis *Hoc facite in meam commemorationem,* omiserint verba omnino necessaria ad validitatem consecrationis.

Insuper multi Patres etiam Græci assignant ut causam conversionis panis in corpus Christi, verba relata a Synopticis et a S. Paulo sine aliis. Et nullus inter Patres insinuat hæc verba non sufficere. Insuper etiam inter græcos schismaticos hic error non cognoscitur nisi a sæculo XIV.

1ª *explicatio:* Dum legitur ut nunc est post consecrationem, epiclesis invocat Spiritum Sanctum, non ad efficiendam transsubstantiationem, jam peractam, seu non ut panis fiat corpus Christi, sed *ut nobis fiat,* scil. ut proficiat sacerdoti et fidelibus, præsertim communicantibus. Ita loquuntur Vasquez, S. R. Bellarminus, Suarez, de Lugo, Billuart, inter recentiores: Billot. Sed hæc explicatio non videtur satis litteralis.

2ª *explicatio,* quæ communior est, proposita est a Card. Bessarion, scil. Epiclesis invocat Spiritum Sanctum, prout consecratio, ut opus ad extra, est communis tribus personis divinis, et ideo invocatur Spiritus Sanctus, ut, cum Patre et Filio jam invocatis, ipsam transsubstantiationem operetur. Hæc quidem transsubstantiatio facta est eo instanti, quo verba consecrationis prolata sunt, sed quia, *humano sermone,* hæc omnia non possunt eodem instanti exprimi, « *successive declarantur ea quæ in instanti peraguntur* ». Ita Card. Bessarion, Bossuet, Ferraris, D. Cagin, Franzelin, Salaville.

Notandum est insuper quoad protestantes quod diversimode erraverunt circa formam sacramenti Eucharistiæ. Lutherus contendit hæc etiam verba *qui pridie,* etc. esse consecratoria; Kemnitius totam Christi institutionem pertinere ad integritatem formæ. E contrario Bucer vult nulla verba esse proferenda. Calvinus autem vult esse proferenda recitative tantum ad fidem excitandam. Est exemplum variationum eorum.

Nonnulli *cum Scoto* (IV d. 8, q. 2, a. 2) existimaverunt verba consecrationis non esse valida *sine iis quæ præcedunt:* « *Qui pridie quam pateretur...* », « *Simili modo...* », quia alioquin sacerdos non loqueretur in persona Christi, sicque verba *corpus meum* importarent corpus celebrantis, non Christi. Id revera videtur docere Scotus *loc. cit.,* ab hac tamen sententia illum vindicare conantur quidam ejus discipuli.

q. 78 a. 1.

ART. I. — UTRUM HÆC SIT FORMA HUJUS SACRAMENTI: « HOC EST CORPUS MEUM » ET « HIC EST CALIX SANGUINIS MEI »

Status quæstionis: S. Thomas speciatim considerat formam hujus sacramenti magis quam formam aliorum, quia Eucharistia perficitur in consecratione vi verborum, alia vero sacramenta in usu, et insuper Eucharistia perficitur a ministro ut immediate repræsentat Christi personam, alia vero perficiuntur ab eo ut a persona distincta quæ potestatem habet a Christo, et dicit v. g. *Ego* te baptizo...; *Ego* te absolvo...

1ª difficultas enuntiata initio articuli est quod Christus, ut videtur, consecravit quando *benedixit* panem acceptum, nihil dicendo, et postea dixit: « Accipite et comedite, hoc est corpus meum ». Propter hanc difficultatem, inter catholicos, Innocentius III l. 4 *Myst. Missæ* c. 6 *opinative* censuit ipsum Christum sine verbis, sed sola benedictione consecrasse, postea tamen præscripsisse formam seu verba quibus sacerdotes consecrant. Catharinus etiam sustinuit hanc sententiam, quæ rejicitur a sancto Thoma, et post Tridentinum est saltem erronea (cf. Billuart).

2ª difficultas: quare ad formam non pertinerent hæc verba: « Accipite et comedite ».

3° Insuper in forma debet exprimi actus ministri, ut: Ego te baptizo, Ego te absolvo. Hoc autem non exprimitur prædictis verbis.

4° Si hæc verba separatim ab aliis dicerentur, intelligeretur: *hoc esse corpus ministri,* non Christi. Ergo est inconveniens, quia verba formæ debent habere sensum determinatum ex seipsis, sine aliis, ut: Ego te baptizo.

Responsio *tamen est affirmativa.* Imo de fide est: consecrationem his verbis perfici. Cf. Concilium Florentinum in decreto pro græcis (Denz. 698 et 715). S. Thomas citat, in argumento « sed contra » Pseudo-Ambrosium, seu auctorem libri de Sacramentis, in quo clare enuntiatur hæc doctrina.

In corpore articuli ostenditur convenientia hujusce formæ, prout Eucharistia differt ab aliis sacramentis. Hæc sunt attente consideranda, ad cognoscendam doctrinam S. Thomæ de sacrificio Missæ, de quo breviter tantum loquutus est postea q. 83.

In argumento S. Thomæ, major non subito apparet, quia quasi subintelligitur; ad hoc reducitur argumentum:

— Forma sacramentorum debet exprimere *id quod efficit.*

— Atqui Eucharistia perficitur non in materiæ usu, sed in materiæ consecratione, *quæ transsubstantiationem efficit, in nomine,* non ministri, sed immediate *ipsius Christi.*

— Ergo forma sacramenti Eucharistiæ sic debet exprimere, in nomine Christi, transsubstantiationem efficiendam. « Hoc est corpus meum ». « Hic est calix sanguinis mei ».

Hoc argumentum pulchrum est et profundum, nec semper satis conservatum est a posterioribus theologis.

Major habetur ex tractatu de sacramentis in communi.

Minor sequitur ex prædictis in hoc præsenti tractatu: « Formæ enim aliorum sacramentorum important usum materiæ, puta baptizationem vel consignationem, et exprimunt *actum ministri,* vel indicative: Ego te baptizo... ego te confirmo; vel imperative: Accipe potestatem (ordinis); vel deprecative: Per istam unctionem et nostram intercessionem (pro extrema unctione).

E contrario forma Eucharistiæ importat solam consecrationem materiæ quæ transsubstantiationem efficit in nomine non ministri, sed Christi; minister enim non facit actum personalem, non abluit, non consignat, sed solum profert verba consecrationis. « *Ut detur intelligi quod minister in perfectione hujus sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi* ». Cf. litteram articuli.

Ex hoc apparet quare S. Thomas tractat de convenientia hujusce formæ, post quæstionem de transsubstantiatione et ante quæstionem de

sacrificio Missæ, q. 83. Sed jam satis clare apparet quod in essentia sacrificii Missæ, quod est sacrificium sacramentale, « minister nihil agit nisi quod profert verba Christi », quæ exprimunt *internam oblationem Christi semper viventis ad interpellandum pro nobis.* Unde dicemus postea quod hæc oblatio est quasi anima sacrificii Missæ, id est: *oblatio interna principalis offerentis,* quæ est infiniti valoris, etiamsi Missa celebretur ab indigno ministro. Sic jam patet quod Missa offertur magis a Christo, quam ab Ecclesia, quia Christus ipse est principalis offerens (Denz. 940).

Sic etiam explicatur quare in forma sacramenti Eucharistiæ, non dicitur: « Ego consecro », nec: Ego transsubstantio, nec imperative: consecretur, nec deprecative: per nostram intercessionem fiat conversio...

Verba debent esse ipsa verba Christi, *principalis offerentis,* sicut victima realiter præsens est corpus ejus. Sic est idem sacerdos principalis et eadem hostia ac in sacrificio crucis.

Ad 1um: S. Thomas non admittit id quod *opinative* dixit Innocentius III, scil. quod Christus *benedixit* panem *sine verbis* et sic consecravit, ac postea verba protulit, sub quibus alii postmodum consecrarent.

Dicit S. Thomas: « Contra hoc expresse sunt verba Evangelii, in quibus dicitur quod Christus benedixit, quæ quidem benedictio aliquibus verbis facta est », et non fuit mere interna. Remanet tamen difficultas, scil. verba: *hoc est enim corpus meum* in Evangelio videntur potius declarativa consecrationis jam factæ quam consecratoria, nam legitur: « Jesus accepit panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis *dicens*: accipite et manducate: hoc est enim corpus meum ». Respondet S. Thomas in fine responsionis ad 1um: « Participium *dicens* concomitantiam quamdam importat respectu totius præcedentis (dictionis)»... ut sit sensus quod Christus verba « Hoc est corpus meum », dixit, non in fine, dum dedit panem consecratum discipulis, sed dum benediceret, frangeret ed daret discipulis. Ita Traditio viva quæ melius declarat sensum S. Scripturæ.

Ratio est quia narratio est successiva et enuntiat verba post facta, dum *realiter* verba dicta sunt simul cum factis. Aliquid simile dicet postea Cardinalis Bessarion ad explicandum sensum Epiclesis.

Ad 2um: « Accipite et comedite », exprimunt usum materiæ consecratæ, qui non est de necessitate hujus sacramenti, ut supra dictum est. Ergo potest celebrari missa sine communione fidelium; unde hæc verba non sunt de substantia formæ, sed exprimunt finem sacramenti.

Ad 3um: Non dicitur: « Ego consecro » sicut dicitur: Ego te baptizo, quia in Eucharistia minister non exercet aliquem actum circa usum materiæ, nisi postea dando communionem. Sed solum profert Christi verba.

Ad 4um: solvitur dubium: An prædicta verba « Hoc est corpus meum » et « Hic est calix sanguinis mei », sufficiant ad validitatem sacramenti et sacrificii. Quidam responderunt negative, et Scotus, ut dictum est, videtur admittere quod dubia esset consecratio, si non

dicerentur hæc verba: « Qui pridie etc. quia tunc sacerdos videretur dicere: « Hoc est corpus meum et non corpus Christi ».

Sanctus Thomas respondet: Hoc esset quidem illicitum proferre hæc sola verba, sed esset validum. Cajetanus pulchre respondet ad Scotum in explicatione hujusce ad 4um: Juxta Cajetanum, si hæc verba *Hoc est corpus meum* dicerentur *recitative tantum,* rationabilis esset opinio Scoti, sed dicuntur *significative et practice,* quia loquendo tantum « recitative sacerdos non conficit in persona Christi, sed recitat Christum conficientem. In Concilio autem Florentino legimus hæc verba: « *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum* ». Unde sequitur quod *intentio* sacerdotis, ad gerendam personam Christi, *in hoc ipso quod intendit conficere sacramentum, sufficiat* ad exprimendum vi verborum: hoc esse corpus Christi, dicendo in persona Christi: « Hoc est corpus meum ». Et hac ratione motus est sanctus Thomas, ut patet in littera ». Ita Cajetanus.

Brevius: celebrans differt a prædicatore qui recitative tantum narrat institutionem Eucharistiæ; non recitaretur quidem hoc esse corpus Christi, nisi prærecitaretur *Christum dixisse: « Hoc est corpus meum ».* Sed celebrans in persona Christi loquitur non recitative sed *significative,* scil. *ad practice significandum id quod efficitur hic et nunc* per consecrationis verba. Id est celebrans adimplet id quod Christus dixerat, scil. « *Hoc facite in meam commemorationem* ». Luc. XXII, 19, I Cor. XI, 24. Hoc clarius erit infra ex articulo sequenti.

Ex hoc apparet quod sacerdos principalis Novæ Legis est solus Christus semper vivens ad interpellandum pro nobis (Hebr. VII 25) et quod alii sunt solum ejus ministri, qui tamen dicuntur sacerdotes prout ejus sacerdotium participant et sunt supra diaconos.

q. 78 a. 2.

ART. II. — UTRUM HÆC SIT CONVENIENS FORMA CONSECRATIONIS PANIS: « HOC EST CORPUS MEUM »

Status quæstionis: Agitur nunc magis explicite de convenientia hujusce formulæ. Videtur quod non, 1° quia oporteret dicere: « Hoc *fit* » ad exprimendam conversionem quæ fit in hoc instanti; 2° aut dicendum esset potius imperative « *hoc sit* corpus meum », ad significandam conversionem producendam; 3° vel dicendum esset: *Hic panis est corpus meum* », nam si prædicatum est determinatum ita subjectum debet esse determinatum; 4° imo oporteret determinare personam, dicendo: « Hoc est corpus *Christi;* 5° denique inutile est dicere *enim.*

Responsio tamen est: *Hæc forma est convenientissima.*

1° Probatur, quia ea usus est Dominus. In memoriam revocandum est quod secundum protestantes, ut supra dictum est, in his verbis, vox

est, idem valet ac *significat*, et tunc *corpus* figurate accipitur, sicut diceretur ostendendo statuam Cæsaris: hic est Cæsar.

Ostendimus autem supra in q. 73 a. 5 de institutione Eucharistiæ et q. 75, a. 2, 8, hanc interpretationem esse contra sensum litteralem et proprium narrationis Evangelicæ, in qua nil indicat quod hæc verba sumi debent *metaphorice*, imo constat quod sumenda sunt in sensu litterali et proprio, nam *signum metaphoricum* debet esse auditoribus *notum*, vel ex natura rei, vel ex consuetudine hominum, vel ex prævia aut subsequenti explicatione. Alioquin falsa et stulta esset locutio. Facile e contrario intelligitur sensus non proprius hujusce propositionis: « Hic est Cæsar », si simul ostenditur statua Cæsaris, quia ex natura sua eum repræsentat.

2° In præsenti articulo hoc præsupponitur et ostenditur convenientia hujusce formæ, hoc syllogismo explicativo, non objective illativo:

— Forma sacramentalis debet significare id quod efficitur ab ipsa.

— Atqui in Eucharistia id quod efficitur est transsubstantiatio, quæ exprimenda est *in facto esse* et *non in fieri* (quia est instantanea) et quæ ordinatur ad hoc quod *id quod* erat panis *sit determinate corpus Christi.*

— Ergo hæc forma est convenientissima: « Hoc *est* corpus meum ». Hæc est optima metaphysica; hic non sufficeret theologia positiva.

Major habetur ex tractatu de sacramentis in communi.

Minor explicatur per partes scil.:

Hæc conversio exprimi debet *non in fieri*, sed *in facto esse*, quia est instantanea, non successiva (q. 75 a. 7), sic in ea non distinguitur ipsum fieri a facto esse, sicut in creatione sic expressa: « Dixit et facta sunt ».

Insuper formula sacramentalis debet exprimere ultimum effectum producendum, sicut ædificator exprimit domum ædificandam in facto esse, et non in fieri, dum dicit id quod vult facere.

Denique *terminus ad quem* conversionis *debe esse determinatus*, scil. *corpus Christi, non vero terminus a quo*, quia hic non manet secundum suam substantiam, sed solum secundum sua accidentia; proinde designandum est per pronomen demonstrativum *hoc* relativum ad id quod est sub accidentibus sensibilibus quæ manent. Est syllogismus explicativus ex prædictis veritatibus fidei.

Sic hæc formula et ipsa transsubstantiatio se mutuo illustrant et hoc explicat quare S. Thomas tractat ex professo de hac forma post quam de transsubstantiatione.

Equidem formula recte intellecta in sensu litterali et proprio perducit ad cognitionem transsubstantiationis, et postea transsubstantiatio jam cognita, sine circulo vitioso, perducit ad profundiorem intelligentiam formulæ.

Ita communiter definitio nominalis qua utitur sensus communis perducit ad definitionem realem philosophicam, et hæc jam inventa manifestat divitias sensus communis seu ejus elementaris ontologiæ; « quid nominis » confuse continet « quid rei ».

Item proprietates alicujus rei prius congoscuntur ab exteriori ut « *notæ* », sic perducunt ad cognitionem essentiæ hujusce rei, et postea deducuntur ab essentia. Ita notæ Ecclesiæ sunt etiam ejus proprietates.

Ad 1um: Unde non dicendum est: « Hoc fit corpus meum »; quia fieri non est ultimus effectus hujus consecrationis.

Ad 2um: Quare non dicitur: « Hoc sit corpus meum », sicut pro creatione dictum est: « Fiat lux et facta est lux »?

Respondet S. Thomas: Quia in creatione sermo Dei operatus est effective sed non sacramentaliter, in transsubstantiatione autem « sermo Dei operatur et *effective et sacramentaliter*, id est secundum *vim significationis*, et ideo oportet in hoc sermone significari ultimum effectum consecrationis per verbum substantivum indicativi modi et præsentis temporis » potiusquam imperative. Hæc explicatio bona quidem est, sed non videtur omnino necessaria. Ut videtur, Dominus potuisset etiam dicere: « Hoc sit corpus meum », sed melius dicitur: « Hoc est corpus meum » ad significandum quod effectus instantaneus *jam productus est*, quando terminatur verborum prolatio. Hoc melius explicabitur art. 5 ubi dicetur quod hæ formulæ sunt veræ *veritate practica*, quæ non præsupponit rem significatam, sed eam facit.

Ad 4um: Non debet dici « corpus Christi », sed « corpus meum », quia hæc verba proferuntur in persona Christi.

Ad 5um: « *enim* » non est de essentia formæ, nec ad validitatem requiritur.

q. 78 a. 3.

ART. III. — UTRUM HÆC SIT CONVENIENS FORMA CONSECRATIONIS VINI: « HIC EST CALIX SANGUINIS MEI ETC. »

Status quæstionis: Quæritur an hæc sola verba: « Hic est calix sanguinis mei », sine aliis verbis adjunctis sint de substantia hujusce formæ. Sic existimaverunt Alexander Halensis, S. Bonaventura, Petrus a Tarentasia.

S. Thomas autem cum pluribus aliis respondet: *etiam sequentia verba sunt de substantia formæ, tanquam ad ejus integritatem pertinentia*, usque exclusive ad « Hæc quotiescumque feceritis... ».

Ratio est quia ultima verba sunt determinationes prædicati, scil. sanguinis Christi, scil. « pertinent ad integritatem ejusdem locutionis » et eodem ritu et modo proferuntur, dum sacerdos calicem in manibus tenet. Sic omnia hæc verba in Missali scribuntur cum majusculis.

Sic enim designatur virtus sanguinis effusi, dicendo: « *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti: mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* ».

Id est: effusus est sanguis Christi: 1° ad vitam æternam consequendam; sic dicitur « *novi et æterni testamenti* »; 2° ad justitiam

gratiæ quæ est per fidem, sic dicitur *mysterium fidei;* 3° ad remissionem peccatorum.

Quoad variationes accidentales in diversis liturgiis orthodoxis, cf. Corbelet, *Histoire du Sacrement de l'Eucharistie,* t. I, p. 263 sq.

Dubium: Quoad corpus hujusce articuli, ut notat Cajetanus (in articulum 1um hujusce quæstionis) est difficultas, scil. An S. Thomas velit dicere quod hæc sola verba « Hic est calix sanguinis mei » non sufficiant ad validitatem?

Disputatur etiam inter thomistas, nam in corpore articuli, sanctus Thomas dicit quidem,(rejiciendo priorem opinionem)quod *subsequentia verba sunt de substantia formæ;* sed paulo postea dicit: *pertinent ad integritatem* (integritas autem distinguitur ab essentia) [1]. Et in articulo 1° in corpore et ad 4um, dicit simpliciter: « Hæc verba « Hic est calix sanguinis mei », esse formam hujus sacramenti ».

Juxta Billuart et plures alios, probabilius ad validitatem sufficiunt hæc sola verba *Hic est calix sanguinis mei,* vel *Hic est sanguis meus.*

Probatur 1° *ex Patribus* præsertim ex S. Justino, *Apolog.* 2 et Damasceno l. IV *de fide orth.,* c. 14, qui dicunt consecrationem fieri his verbis: *Hoc est corpus meum* et *Hic est sanguis meus.*

Item auctor *de Cœna Domini* apud S. Cyprianum, et Innocentius III in l. 4 *de Missa* c. 6.

Probatur 2° *ex liturgiis Græcorum,* Græci essentialem formam servant, valide enim consecrant, ut omnes fatentur. Non autem proferunt verba: *novi et æterni testamenti,* etc.

Probatur 3° *ratione theologica:* Illa sola verba sunt essentialia quæ significant præsentiam realem sanguinis Christi. Atqui prædicta verba independenter a sequentibus hanc præsentiam realem significant, non minus quam « *Hoc est corpus meum* », independenter a sequentibus, *quod pro vobis tradetur.* Ergo ultima verba consecrationis vini pertinent non ad ejus essentiam, sed ad ejus integritatem.

Gonet respondet: hoc sufficeret quidem ad Eucharistiam ut sacramentum non vero ut sacrificium, in quo effusio sanguinis significari debet. Sed hoc non videtur certum, nam eo ipso quod secunda consecratio producit vi verborum præsentiam sanguinis tantum, ita ut corpus Christi non sit ibi nisi concomitanter, sufficienter jam exprimitur *sacramentalis effusio sanguinis,* quia missa est sacrificium sacramentale et incruentum.

Denique ipse S. Thomas in nostra qu. a. 1 c. et *ad 4* dicit: « Si Sacerdos sola verba prædicta (scil. *Hoc est corpus meum* et *Hic est calix sanguinis mei*) proferret, cum intentione conficiendi sacramentum, perficeretur hoc sacramentum ».

[1] Verum est quidem quod aliqua integralis pars (ut caput et truncus in homine) est necessaria.

Imo in nostro articulo 3° S. Thomas dicit « per prima verba " *Hic est calix sanguinis mei* ", *significatur ipsa conversio in sanguinem. per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione* ». Ergo per hæc ultima verba non significatur ipsa conversio, quæ jam effecta est a proribus verbis quæ eam significant.

Insuper, ut notavimus, paulo antea, dixit sanctus Thomas: hæc subsequentia verba *pertinent ad integritatem formæ,* et ipse generaliter distinguit integritatem rei ab ejus essentia; v. g. pes et manus pertinent ad integritatem hominis, non ad ejus essentiam.

Ergo probabiliter sanctus Thomas non negaret, præsertim si considerasset liturgias græcorum, sententiam quæ nunc ut probabilior censetur. Tenet tamen quod sequentia verba non sunt mere accidentalia, sed ad integritatem formulæ pertinent.

Objectio: S. Pius V jussit expungi ex Commentariis in Summam S. Thomæ dissertationem in qua Cajetanus dicebat: « *Etsi S. Thomæ intentio contraria sit, non est curandum* ».

Respondetur: Summus Pontifex jussit hanc dissertationem expungi non tanquam falsam in hac parte, sed quia Cajetanus non satis reverenter de S. Thoma loquebatur. Cf. alia de hac re apud Billuart *ibidem.*

* * *

Explicantur denique verba secundæ consecrationis in responsionibus ad difficultates articuli 3.

Ad 1um: « *Hic est calix* »: *Hic* non est adverbium loci, alioquin non significaretur transsubstantiatio, sed sicut in prima consecratione est pronomen demonstrans immediate liquorem seu potum contentum sub speciebus vini, seu id quod est in calice. *Calix* ponitur per metonymiam, ut continens pro contento.

Ad 2um: « Sanguis seorsum consecratus expresse passionem Christi repræsentat », sic in missa sacramentaliter effunditur, non physice.

Item ad 7um: sic jam apparet quid sit *immolatio sacramentalis* de qua agitur infra q. 83 a. 1 sed contra: « *Christus quotidie immolatur in sacramento* » ut dicit sanctus Augustinus.

Ad 3um: explicantur verba « novi et æterni testamenti ». Testamentum est dispositio hereditatis. Hereditatem autem cœlestem disposuit Deus hominibus dandam per virtutem sanguinis Jesu Christi... Sanguis autem Christi dupliciter est hominibus exhibitus: 1° *in figura* quod pertinet ad Vetus Testamentum... 2° *in veritate* quod pertinet ad Novum Testamentum. Dicitur tamen in veritate dupliciter: 1° *cruente* in cruce; 2ª in veritate sacramentaliter seu *incruente* in Missa cf. litteram.

Ad 4um: Hoc Testamentum dicitur novum, quia novissimis temporibus est exhibitum et a veteri distinctum, et dicitur *æternum* dupliciter 1° ratione æternæ Dei præordinationis et 2° ratione æternæ hereditatis

Ad 5um et 6um: Quare dicitur *mysterium fidei?* Sunt verba addita ab Ecclesia cum fundamento in Traditione ad ostendendum quod sanguis Christi est occulto modo in hoc sacramento et quia est ipsum magnum mysterium Passionis commemoratum ac velut continuatum, quod ab omnibus sacrificiis Veteris Testamenti præfiguratum est.

Ipsa Passio dicitur mysterium fidei, prout justificat per fidem secundum quam conjungimur cum illa.

Ad 8uum: Quare dicitur *pro vobis et pro multis?* Pro vobis scil. Judæis, et pro multis aliis, scil. pro gentibus.

Item significat: « pro vobis manducantibus, et *pro multis* pro quibus offertur ».

Pro multis significat etiam pro omnibus sufficienter, ut explicatur in tractatu de Deo uno, ubi agitur de voluntate salvifica universali cf. Iª q. 19, a. 6 ad 1um [1], cf. I Tim. II, 5: « Christus dedit redemptionem seipsum pro omnibus ». Id est: *pro omnibus sufficienter, pro multis efficaciter* ut explicat S. Thomas in Comment. in Ep. ad Tim. ibidem. Item S. Paulum II Cor. V, 15. « pro omnibus mortuus est Christus »; Rom. V, 18: « Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ », cf. Tabulam auream operum S. Thomæ ad verbum Satisfactio, nº 36.

Ad 9um: Dicitur quod verba « *mysterium fidei* », habentur ex traditione orali Domini. Sed non necessarium est quod Christus ipse hæc verba pronuntiaverit.

q. 78 a. 4.

ART. IV. — UTRUM PRÆDICTIS VERBIS FORMARUM INSIT ALIQUA VIS CREATA EFFECTIVA CONSECRATIONIS

Status quæstionis: Videtur quod non, quia Damascenus dicit « Sola virtute Spiritus Sancti fit conversio panis in corpus Christi ». 2° Quia transsubstantiatio non est quid minus miraculosum quam creatio quæ fieri nequit per instrumentum; 3° quia verba consecrationis sunt successiva dum transsubstantiatio est instantanea.

Responsio *tamen est affirmativa:*

1° Probatur auctoritate Pseudo Ambrosii in argumento « sed contra ».

2° Probatur ratione theologica sic:

— In sacramentis novæ legis est virtus creata instrumentalis ad producendum effectum significatum a formula sacramentali.

— Atqui Eucharistia est dignius omnium sacramentorum novæ legis, prout continet ipsum Auctorem gratiæ.

[1] Hoc longe tractavimus in libro *De Deo uno*, Paris, Desclée, 1938, p. 415-434.

— Ergo in verbis consecrationis eucharisticæ est vis creata instrumentalis ad producendam transsubstantiationem quæ ab ei significatur.

Manifestum est quod hæc virtus non est solum *intentionalis* tanquam signum praticum, sed pluries dicitur intentionale id quod *tendit* ad effectum efficienter producendum.

Ad 1um: Virtus increata agentis principalis non excludit virtutem creatam instrumentalem.

Ita tactus manus Christi sanavit leprosum.

Ad 2um: In creatione non potest esse instrumentum (Iª q. 45, a. 5) quia instrumentum debet dispositive operari ad effectum principalis agentis; et ad hoc requiritur subjectum præxistens, quod non datur in creatione ex nullo præsupposito subjecto, seu ex nihilo. Ut Deus ad aliquid producendum utatur instrumento, debet præxistere subjectum ex quo aliquid fiat. Actio enim instrumentalis est *accidens procedens* a causa instrumentali et debet esse saltem terminative in passo. Hic est sensus hujusce responsionis ad 2um: « In creatione non fuit aliquod extremum, in quod instrumentalis actio creaturæ posset terminari ». Actio creatrix autem in Deo non est accidens, et est formaliter immanens ac solum virtualiter transiens. In transsubstantiatione e contrario præexistit subjectum, scil. substantia panis convertenda.

Instantia: Instrumentum debet dispositionem operari ad effectum principalis agentis. Atqui non potest dari dispositio prævia ad transsubstantiationem. Ergo transsubstantiatio nequit fieri per instrumentum.

Respondetur: Distinguo majorem: instrumentum debet semper *dispositionem* operari, nego; sufficit quod *dispositive* operetur.

Quædam instrumenta, ut penna quæ de se relinquit atramentum supra chartam, habent *effectum proprium* productum in ipso subjecto, simul cum effectu instrumentali (in casu cum scriptura intelligibili); alia instrumenta solum *dispositive* operantur ad effectum principalis agentis, ut tuba ad emissionem vocis impedit ejus dispersionem, sed non producit effectum proprium in aures audientium. Ita generaliter Dei instrumenta.

Servatur etiam in hoc actio propria instrumenti, prout prolatio verborum consecrationis dirigitur ad substantiam panis potiusquam ad aliam, et ad hanc hostiam numerice consecrandam potiusquam ad aliam non consecrandam, quæ est v. g. extra corporale.

Denique notandum est: etiamsi instrumentum non dispositionem, sed solum *dispositive* operatur, prærequiritur subjectum, quia actio instrumentalis, quæ sic dispositive operatur, est in instrumento ut accidens procedens ab illo, et debet esse terminative in passo. In hoc differt ab actione creatrice quæ non est in Deo accidens et quæ est solum virtualiter transiens.

Instantia: Sed quomodo actio instrumentalis, quæ est accidens ipsius instrumenti, posit convertere *totum ens substantiæ panis,* ad hoc requiritur influxus causæ universalissimæ.

Respondetur: Hoc non potest facere ex se, sed dependenter a causa principali infinitæ potentiæ. *Hæc actio instrumentalis educitur a Deo ex potentia obedientiali instrumenti;* Deus sic utitur instrumento ut *ens* est, potiusquam ut corpus est. Deus auctor entis habet potestatem immediatam circa ipsum ens rerum, et utitur ut vult omnibus entibus ut sunt entia.

Sic per alia sacramenta potest producere gratiam sanctificantem quæ est participatio divinæ naturæ; quare non posset eodem modo convertere totum ens alicujus substantiæ in aliam? Modus hujusce productionis remanet absconditus, sed quis potest dicere: hoc superat Dei virtutem? Ita Deus, et ille solus, potest actualizare nostrum liberum arbitrium suo contactu virginali sine ulla læsione libertatis quæ remanet incorrupta.

Ad 3um: In ultimo instanti prolationis verborum praedicta verba significant et consequuntur hanc virtutem instrumentalem.

Instantia: Sed tunc sacramentalis formula producit suum effectum quando non amplius existit. Quod est impossibile.

Respondetur: Quando non amplius existit *in ratione motus,* concedo; *in ratione termini,* nego. Terminus autem continui sive permanentis sive successivi est complementum ejus intrinsecum; unde sicut terminatur linea per punctum, quod intrinsece ad eam pertinet, ita motus et tempus terminantur per ultimum instans quod ad ea pertinet [1].

Instantia: Sed ultimum instans dicitur *extrinsecum,* est enim primum non esse formulæ. Ergo remanet difficultas.

Respondetur: Ultimum instans dicitur extrinsecum prout *non est pars fulens,* concedo; sed est *terminus intrinsecus continui.* Sic punctum terminans lineam non est pars divisibilis in infinitum, sed intrinsece pertinet ad lineam ut indivisibile.

Cajetanus, in Iam q. 64 a. 2, putavit propterea quod homo potest mereri et demereri in primo non esse viæ, seu in primo instanti separationis a corpore. Hæc opinio rejicitur ab aliis thomistis, quia in hoc instanti non est amplius *homo,* sed est anima separata, et ipse *homo* debet mereri ante mortem. Unde Cajetanus, ut videtur, nimis abstracte tempus conspexit, et non satis consideravit ipsum subjectum meriti et conditiones ejus; subjectum meriti debet esse homo viator, et non anima separata.

[1] Cf. BILLUART, *Cursus theol. de Sacramentis in communi,* diss. III, a. II: « Quamvis sacramentum (quando producit gratiam) desierit in ratione motus et entis fluentis, remanet tamen ejus mutatum esse seu terminus, qui est ipsi *complementum intrinsecum,* et in quo *vi motus immediate præcedentis* producitur gratia; ... ita vi alterationis immediate præcedentis, in instanti ejus extrinseco, producitur forma substantialis in generatione ».

q. 78 a. 5.

ART. V. — UTRUM PRÆDICTÆ FORMULÆ SINT VERÆ

Status quæstionis: Hic articulus est velut recapitulatio præcedentium et determinat in quo sensu exacto prædictæ formulæ sunt veræ, solvendo plures difficultates.

1a *difficultas:* In formula *hoc est corpus meum,* pronomen *hoc,* quando profertur, designat substantiam panis, atqui panis non est corpus Christi.

2a *difficultas:* Si respondetur *hoc* designat *species sensibiles,* remanet difficultas, quia hæc species sensibiles panis non sunt corpus Christi.

3a *difficultas:* Hæc verba, ad efficiendum id quod significant, debent suam significationem habere *ante* conversionem. Atqui nonnisi post conversionem verum est dicere: *Hoc est corpus meum.* Hæc ultima difficultas est principalis.

Responsio tamen est quod duæ prædictæ formulæ, quibus usus est Christus ipse, sunt *veræ* et *veritas earum non præsupponit rem significatam, sed facit eam.*

In prima parte corporis articuli santus Thomas prius excludit tres opiniones:

1a *opinio* est: Hæc verba dicuntur solum *recitative,* non significative.

Respondetur: Sic non perficeretur sacramentum nunc, sed recitaretur solum conversio facta a Christo, sicut in prædicatione de institutione Eucharistiæ.

Insuper hæc opinio non solvit difficultates propositas.

Ergo hæc verba nunc dicta a sacerdote dicuntur non solum recitative, agendo solum de præterito, sed *significative, significant enim aliquid hic et nunc efficiendum.*

2a *opinio,* quæ est Alevandri Halensis, est: *Hoc* vult dicere: « id quod significatur per *hoc* est corpus meum »; aliis verbis, pronomen *hoc* faceret demonstrationem, non ad sensum, sed ad intellectum.

Respondetur: Sed tunc hæc formula esset æquivoca et posset significare: « corpus meum est id quod significatur per hoc ». Et proinde corpus Christi esset solum ibi ut in signo, non realiter, ut dixit Berengarius.

3a *opinio* est: Hoc non significat aliquid nisi pro instanti immediate sequenti locutionem, sicut dum dicitur: « nunc taceo ».

Respondetur: Sed si ita esset, sensus verborum esset: *corpus meum est corpus meum,* quod prædicta locutio non facit; quia hoc fuit etiam ante prolationem verborum.

Has implicatas opiniones solvit S. Thomas uno verbo simplicissimo: *efficit formula id quod significat* ».

In secunda parte corporis articuli, S. Thomas probat suam conclusionem, scil.: *Veritas harum locutionum non præsupponit rem significatam, sed facit eam;* quod sic probatur:

— Conceptio intellectus *practici* non præsupponit rem conceptam. sed eam facit.

— Atqui prædictæ formulæ, quæ habent virtutem factivam conversionis (art. præced.), exprimunt conceptionem intellectus pratici.

— Ergo veritas earum *non præsupponit rem significatam,* sed eam *facit.*

Hoc non consideraverunt prædictæ opiniones quæ nonnisi superficietenus has formulas inspexerunt.

Quid autem hæ formulæ faciunt? Transsubstantiationem.

Unde, cum transsubstantiatio significata et effecta sit *instantanea* prædictæ formulæ intelligendæ sunt secundum *ultimum instans* prolationis, et sic recte significant et efficiunt quod CONTENTUM SUB HIS SPECIEBUS, *quod prius erat panis,* SIT CORPUS CHRISTI.

Propterea Christus non dixit: « Hic panis est corpus meum », nec « Hoc corpus meum est corpus meum », sed in generali: « Hoc est corpus meum », scil.: id quod in manibus teneo et continetur sub his speciebus est corpus meum. Hæc formula non speculativa, sed *practica, in ultimo instanti* prolationis, *efficit* id quod significat, et ideo *non præsupponit rem significatam, sed facit eam.*

E contrario in aliis opinionibus rejectis, pronomen *hoc* præsupponebat rem significatam, præsertim in 1ª quæ intelligebat: Hic panis est corpus meum.

Ad 1um: *Hoc* demonstrat substantiam absque determinatione propriæ naturæ.

Ad 2um: *Hoc* non demonstrat accidentia panis, sed indeterminate substantiam sub his accidentibus contentam.

Ad 3um: Significatio hujus locutionis præintelligitur rei significatæ prioritate non temporis, sed causalitatis tantum.

q. 78, a. 6.

ART. VI. - UTRUM FORMA CONSECRATIONIS PANIS CONSEQUATUR SUUM EFFECTUM ANTEQUAM PERFICIATUR FORMA CONSECRATIONIS VINI

Respondetur *affirmative.* Hoc requiritur quia in hac formula est verbum *præsentis* temporis et non futuri. Non dicitur: Hoc erit corpus meum, sed « hoc *est* corpus meum », unde, ut hæc propositio sit vera, oportet rem significatam *statim* adesse.

Insuper secundum ritum Ecclesiæ, statim post prolationem verborum corpus Christi adoratur.

Ad 1um: Per secundam consecrationem, rursus corpus Christi fit præsens, non vi verborum, sed concomitanter.

Ad 2um: Eucharistia remanet sacramentum perfectione unum, *ratione finis,* sicut cibus et potus faciunt unam refectionem corporalem, ut supra dictum q. 73, a. 2.

Sic terminantur quæstiones de ipso Eucharistiæ sacramento, necnon de ejus materia et forma. In his quæstionibus a prima scil. a. q. 73 incepimus a consideratione velut confusa formæ et materiæ hujus sacramenti, sicut a definitione ejus nominali, et paulatim transivimus ad conceptionem distinctam et explicitam tum materiæ consecratæ et conversæ in corpus Christi, tum formæ quæ significat et efficit transsubstantiationem, ita ut forma ista et transsubstantiatio sine circulo vitioso sese mutuo illustrent, sicut notæ Ecclesiæ perducunt ad cognitionem ejus constitutionis intimæ et proprietatum. Unde in his quæstionibus a q. 73 ad 78 paucae sunt conclusiones theologicæ proprie dictæ, scil. per discursum objective illativum obtentæ; generaliter responsiones articuli sunt solum explicatio veritatum fidei quæ revelatæ sunt in concreto per Institutionem Eucharistiæ, scil. in aliquo facto concreto valde complexo, quod postea exprimitur in multis propositionibus quoad hoc sacramentum, quoad materiam, quoad formam, quoad ministrum, et etiam quoad effectus de quibus nunc agendum est.

Aliquando etiam in his quæstionibus est discursus proprie illativus, sed cujus duæ præmissæ sunt revelatæ, ut q. 78, a. 2. Quandoque est discursus proprie illativus, cum una præmissa non revelata, sed cujus conclusio est aliunde revelata in aliquo textu S. Scripturæ. Raro hucusque in hoc tractatu vidimus discursus proprie illativos perducentes ad conclusionem theologicam proprie dictam, seu non aliunde revelatam. Ex his apparet quod principalis pars theologiæ est in profunda intelligentia ipsarum veritatum fidei.

QUÆSTIO LXXIX

DE EFFECTIBUS HUJUS SACRAMENTI

Post considerationem hujusce sacramenti in se et ejus partium, agitur de ejus effectibus, et postea q. 80 de ejus usu, seu de communione et de conditionibus ad eam prærequisitis.

Sunt quæstiones maxime vitales, ad vitam interiorem pertinentes et summi momenti pro omnibus.

In hac quæstione sunt octo articuli, qui reduci possunt ad quatuor sectiones:

1ª sectio (a. 1 et 2) tractat *de ejus effectibus positivis*, scil. de augmento gratiæ et de adeptione gloriæ ad quam Eucharistia, præsertim ut viaticum, magis disponit quam alia sacramenta.

2ª sectio (a. 3 ad 6 incl.) est *de effectibus quasi negativis*, qui sunt remissio peccati et pœnæ ac præservatio a peccatis futuris.

3ª sectio a. 7: utrum hoc sacramentum prosit *aliis* quam sumentibus.

4ª sectio a. 8 *de impedimento* effectus hujus sacramenti. Hæc est transitio ad quæstionem sequentem, quæ est de sancta communione.

Hæc quæstio 79ª attente consideranda est non solum pro Eucharistia ut est sacramentum, sed etiam prout est sacrificium, nam in articulo 7 ostenditur Eucharistiam prodesse sumentibus per modum sacramenti et sacrificii, non sumentibus autem, per modum sacrificii. Hic in commentariis quandoque citatur opusculum de Sacramento altaris S. Thomæ attributum, sed non est authenticum.

Diversos effectus Eucharistiæ cum magna pietate exposuit S. Thomas in Officio S. Sacramenti. (Cf. etiam l. IV *de Imitatione Christi*).

q. 79, a. 1.

ART. I. - UTRUM PER HOC SACRAMENTUM CONFERATUR GRATIA

Status quæstionis: Agitur de gratia sanctificante quæ a caritate non separatur.

Videtur quod non: 1° quia non confert primam gratiam datam a baptismo, vel restitutam a pœnitentia, nec secundam gratiam seu augmentum ejus, datam a confirmatione. 2° Videtur quod Eucharistia datur ad bonum usum gratiæ, scil. ad refectionem spiritualem, potius quam ad gratiæ collationem.

Responsio tamen est: *Eucharistia principaliter nos unit Christo auctori gratiæ, et confert augmentum gratiæ sanctificantis ac virtutum infusarum et donorum Spiritus Sancti.*

Hoc est *de fide*. Exprimitur ab ipso Domino apud Joannem, VI, 52: « Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita », ubi manifeste agitur, non de vita naturali, sed de vita gratiæ.

Insuper hoc definitum est ab Ecclesia, præsertim in Concilio Florentino (Denz. 698): « Hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est *adunatio hominis ad Christum*. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne *gratia augeatur:* omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, *sustentando, augendo, reparando, et delectando,* sacramentum hoc, quoad vitam operatur spiritualem, in quo, inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, *a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum* ».

Item Concilium Tridentinum (887): « Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum vel ex ea non alios effectus provenire, a. s. » cf. ibidem n. 875: « Sumi voluit (Christus) sacramentum hoc tanquam *spiritualem animarum cibum,* quo *alantur et confortentur* viventes vita illius, qui dixit: « Qui manducat me et ipse vivet propter me » Joan. VI, 58 et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservemur... ». Item Concilium Tridentinum 882.

Notandum est quod inter effectus Eucharistiæ Concilium Florentinum prius ponit tanquam effectum principalem *adunationem hominis ad Christum* ad quam, tanquam ad finem, ordinatur augmentum gratiæ.

* * *

In corpore articuli, S. Thomas ostendit veritatem responsionis fidei, quadruplici argumento explicativo, scil. Eucharistia in nobis auget gratiam sanctificantem, quadruplici ratione: 1° *quia continet ipsum auctorem gratiæ, et cum eo nos unit;* 2ª quia *est memorabile Passionis* quæ est fons gratiæ; 3° quia datur per modum *cibi,* sic producit gratiam cibantem; 4° quia datur *sub specie panis* ex multis granis constituti et sub specie vini ex multis acinis confluentis; sic nos unit aliis membris corporis mystici.

Ante explicationem harum rationum, aliquid generalius notandum est.

Propter istas rationes Eucharistia apparet velut *extensio Incarnationis,* nam ut dicitur initio corporis articuli « sicut Christus, in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ, ita in hominem

(individualem) sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur ». Item dicemus postea: *sacrificium Missæ est extensio sacrificii crucis* seu mysterii Redemptionis ad fructus ejus applicandos diversis generationibus usque ad finem mundi.

Quoad primam rationem enuntiatam in corpore articuli, notandum est sicut postea in textu citato Concilii Florentini (Denz. 698), quod *adunatio hominis ad Christum* per communionem, ad quam ordinatur gratia cibans, est quid *altius* quam hæc gratia, quæ est velut medium hujusce unionis cum ipso auctore gratiæ. Sic manifestissime Eucharistia superat alia sacramenta. Sicut enim Deus, auctor gratiæ, voluit suam vitam intimam esse non solum in seipso per essentiam, sed in nobis per participationem (cf. supra q. 63 a. 6; q. 65 a. 3); ita Christus, Salvator noster, voluit suam vitam intimam esse non solum in seipso secundum plenitudinem gratiæ, sed in nobis secundum unionem et incorporationem ad seipsum.

Communio eucharistica sub isto aspectu eodem principio illustratur ac mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis, scil. *Bonum est suipsius diffusivum et eo intimius et abundantius, quo altius est.*

Sic in mysterio SS. Trinitatis, Pater communicat naturam suam Filio et per Filium Spiritui Sancto, ex hac diffusione ad intra oritur intima communio trium Personarum quæ vivunt ex eadem intellectione essentiali ejusdem veritatis divinæ et ex eodem amore essentiali ejusdem bonitatis infinitæ. Eodem principio diffusionis boni illustratur mysterium Incarnationis (III^a^, q. 1, a. 1) prout Verbum communicat suam propriam personalitatem et suum esse humanitati Christi, quæ perenniter communionem etiam substantialem habet cum Verbo, per ipsam gratiam unionis hypostaticæ. Deinde Christus Redemptor communicat nobis fructus meritorum suorum et satisfactionis suæ. Denique unusquisque Christianorum per communionem eucharisticam unitur cum Christo et eo magis intime quo majorem habet caritatem, quæ hac communione valde augetur. In his omnibus mysteriis, verificatur idem principium: bonum est essentialiter diffusivum sui, primo ut finis alliciens et consequenter ut agens, quia agens agit propter finem, et Deus operatur ad sua bonitatem manifestandam. Sic sunt tres communiones, prima in ipsa Trinitate, secunda est ipsa unio hypostatica, tertia est communio eucharistica.

Hæc unio intima cum Christo, de qua agitur in 1^a^ ratione corporis articuli, pluries exprimitur in orationibus Missæ, et in IV libro Imitationis c. 13: « *Quis mihi det, Domine, ut inveniam te solum* (Cant. VIII, 1) et aperiam tibi totum cor meum et fruar te sicut desiderat anima mea... *Vere tu es dilectus meus, electus ex millibus* (Cant. V, 10) *Vere tu es Deus absconditus* (Is. XLV, 15) « *O quam suavis est, Domine, spiritus tuus,* qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo descendente illos reficere dignaris ».

* * *

Quoad secundam rationem corporis articuli, scil. prout *Eucharistia repræsentat Passionem* notandum est quod fidelis in communione debet speciatim uniri cum actu permanenti caritatis Christi, quo olim seipsum obtulit pro nobis in cruce. Sic quædam animæ perfectæ in communione Christo crucifixo uniuntur, sec. illud I Petri, IV, 13: « communicantes Christi passionibus gaudete ».

Aliquid simile dicitur in l. IV Imitationis v. g. c. 4, in quo anima elevatur ad infusam contemplationem hujusce mysterii: « *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te?* (Ps. XXX, 20) Esto mihi propitius, Jesu bone, dulcis et benigne, et concede pauperi mendico tuo vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire, ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate tua proficiat, et caritas semel perfecte accensa et cœleste manna experta nunquam deficiat ».

Hoc est quod dicitur ad Ephes. II, 4: « Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos,... convivificavit nos in Christo et conressuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu ».

In hoc apparet quasi vehementia fluminis revelationis et contemplationis.

Hoc præsertim verificatur in Communione eucharistica sanctorum, vel in eorum gratiarum actione, sicut legitur v. g. in vita sanctæ Catharinæ Senensis scripta a suo directore spirituali B^o^ Raymundo a Capua II^a^ Pars c. VI: vere in hac sancta et in pluribus aliis, verificatum est id quod dicitur in textu sancti Chrysostomi citato in hoc articulo: accedendo nempe ad communionem, hæc sancta abundanter ac summo gaudio bibit ab ipso vulnere sacratissimi Cordis Jesu. Hæc gratia pluries renovata est in vita sanctorum, ad ostendendum quinam sunt fructus cujuslibet communionis vere ferventis, quando anima sitit et esurit justitiam, et tunc quasi plene satiatur in hac vita, quamvis magis desideret vitam æternam.

Cf. S. Thomam IV, dist. 8, q. 1, a. 2, sol. 2^a^ ad 1um: « Hoc sacramentum habet omnem suavitatem, in quantum continet fontem omnis gratiæ, quamvis non ordinetur ejus usus ad omnes effectus sacramentalis gratiæ ». Id est: est perfectissimum omnium sacramentorum, sed non reddit alia superflua; quodlibet enim ordinatur ad effectum specialem.

* * *

Quoad tertiam rationem: In prædicatione ad salutem animarum evolvendum est tertium argumentum nostri articuli, ubi enuntiatur *analogia inter cibum ordinarium et cibum eucharisticum.* (Cf. Catechismum Concilii Tridentini). Ad explicationem hujusce analogiæ notandæ sunt non solum similitudines, sed etiam dissimilitudines. Principalis differentia, pluries notata a Patribus et a Thoma, q. 73, a. 3, ad 2, est quod nobis assimilamus panem ordinarium qui nobis est inferior, et qui fit caro nostra, dum e contrario *assimilamur a Pane Eucharistico,* seu a Christo qui nobis est superior, et non potest nobis assimilari, sed nos sibi magis ac magis incorporat. Hoc egregie exprimitur præsertim a S. Augustino, seu potius a Domino ad Augustinum loquente: *Confession.* l. VII, c. 10: « *Cibus sum grandium, cresce et manducabis me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me* ».

Sed hac differentia notata, sunt pulchræ similitudines expressæ in nostro argumento tertio et postea in Concilio Florentino (Denz. 698) scil. Eucharistia sicut cibus ordinarius 1° sustentat, 2° auget, 3° reparat, 4° delectat. Quoad hos varios effectus principales textus sacræ Scripturæ et S. Thomæ notandi sunt breviter.

1° *Sustentat,* id est conservat vitam gratiæ, impediendo deperditionem virium animæ, quæ oritur ex peccato veniali, quo minuitur fervor caritatis, spiritus fidei, confidentiæ et zeli gloriæ Dei ac salutis animarum. Cf. Matth. IV, 4: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei », et a fortiori ex Eucharistia quæ ipsum Verbum incarnatum continet.

2° *Auget:* Sicut augmentum corporale in puero usque ad ætatem adultam provenit a nutritione seu ab assimilatione alimenti, ita augmentum gratiæ provenit a communione; sed est notabilis differentia scil. adolescens circa vigesimum annum pervenit ad ætatem adultam et non amplius crescit, dum Christianus viator semper debet spiritualiter crescere, sec. illud ad Ephes. IV, 13: « donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, *in virum perfectum,* in mensuram ætatis plenitudinis Christi; ut jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinæ... Veritatem autem facientes in caritate, *crescamus in illo per omnia* qui est caput Christus ». Item Col. I, 10: « In omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia » et in caritate.

Sic Eucharistia, non solum debet sustentare, sed augere vitam gratiæ in nobis usque ad mortem, usque ad ultimam communionem. (Cf. S. Thomam in *Ep. ad Ephes.* et *ad Col.* loc. cit.).

Corollarium 1um *Imo hoc augmentum gratiæ et caritatis non solum* deberet esse uniforme, sed *acceleratum,* quia quo magis anima appropinquat ad Deum, eo magis trahitur ab eo. Hoc clare dicit S. Thomas *in Epist. ad Hæbr.* X, 25, circa hæc verba: « Consideremus invicem in provocatione caritatis et bonorum operum... *tanto magis quanto videritis appropinquantem diem* ». Circa hoc dicit ibidem S. Thomas: « Posset aliquis dicere, quare debemus nos in fide (et in caritate) proficere? Quia motus naturalis (et non violentus) quanto plus accedit ad terminum, magis intenditur (motus naturalis in fine est intensior et velocior) [1]. Contrarium est de motu violento. Gratia autem inclinat in modum naturæ, ergo qui sunt in gratia, *quanto plus accedunt ad finem PLUS DEBENT CRESCERE* (non solum æqualiter crescere debent quasi motu uniformi, sed plus crescere debent, quasi motu accelerato). Unde dicitur ibidem « tanto magis quanto videritis appropinquantem diem ». Et in l. Prov. legitur IV, 18: « Justorum semita, quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem ».

Hoc evolvimus alibi [2]: sicut est acceleratio in motu naturali corporum, seu gravium, secundum legem attractionis universalis, ita debet esse acceleratio in motu connaturali caritatis ad Deum. Id est, lapis trahitur a terra, secundum motum non uniformem, sed uniformiter acceleratum, ita anima justa trahitur normaliter a Deo secundum motum non uniformem, sed quasi uniformiter acceleratum, ut apparet in ultimis annis vitæ sanctorum, vg. vitæ S. Thomæ quando in contemplatione absorptus non poterat amplius tractatum de Pœnitentia dictare. Tunc multo citius ad Deum procedebat quam in primis annis vitæ suæ. Sic senectus christiana accedit ad vitam perfectam.

Deberet esse aliquid simile in vita cujuslibet boni christiani, præsertim per communionem quotidianam.

Corollarium 2um *Quælibet communio, si non esset negligentia, esset substantialiter ferventior et fructuosior quam præcedens.*

Cum quælibet communio debeat non solum conservare, sed *augere caritatem in nobis,* ut dicitur in nostro articulo et ut est de fide, ita *quælibet communio deberet disponere ad accipiendum corpus Domini in crastina die,* non solum cum æquali fervore substantiali seu voluntatis, sed *cum majori fervore substantiali,* seu majori devotione, id est: promptitudine voluntatis ad Dei servitium, etiamsi sit minor fervor sensibilis, qui accidentalis est; (cf. II-II, q. 82, definitionem devotionis).

Sed, ut infra dicetur a. 8, adveniente peccato veniali, potest fieri quod crastina die communio fiet cum minori devotione substantiali; imo si esset affectus progressivus ad peccatum veniale, communio fieret semper cum minori fervore, et tunc ascensio animæ non similis esset motui uniformiter accelerato lapidis cadentis, sed motui uniformiter retardato lapidis sursum projecti.

1 Cf. I-II, q. 36, a. 6, quia finis propinquior magis allicit.
2 *L'amour de Dieu et la Croix de Jésus,* t. I, p. 150-163, 433-446.

Hæc sunt magni momenti. Quidam videntur in praxi existimare ut quid sufficiens quod communio *sustentet,* conservet vitam spiritualem, absque augmento ejus. Hoc autem non est verum. Si non datur augmentum, nec datur conveniens sustentatio, quia *in via Dei non progredi est regredi,* nam lex spiritualis viatoris, sicut vitæ corporalis adolescentis, est quod crescat, seu augeatur, alioquin adolescens non remanet adolescens nec fit vir adultus, sed fit difformis homunculus. Ita pariter incipiens in ordine spirituali, si non proficit, non remanet incipiens, sed est anima retardata et tepida.

Quoad augmentum gratiæ per Eucharistiam cf. S. Thomam in Officio SS. Sacramenti, lect. sexta in fine: « Nullum sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur et mens omnium spiritualium charismatum abundantius impinguatur ». Simul enim cum caritate augentur virtutes infusæ et septem dona.

* * *

3° *Reparat.* Quomodo intelligendum est hoc verbum. An in hoc sensu quod reparanda esset caritas quæ intrinsece minueretur per peccatum veniale? Non, nam, ut ostendit sanctus Thomas, II-II, q. 24, a. 10, *caritas,* cum sit virtus non acquisita per repetitionem actuum, sed *infusa, non minuitur intrinsece* per cessationem ab actu, sed solum tollitur totaliter per peccatum mortale. Attamen per peccatum veniale caritas *minuitur extrinsece* scil. *minuitur ejus fervor,* ejus irradiatio, et applicatio, ejus libertas actionis, nam per peccatum veniale præsertim reiteratum oriuntur inordinatæ inclinationes, quæ partialiter impediunt influxum caritatis et ad peccatum mortale disponunt. Sic, ait alicubi S. Thomas, in aliqua lucerna lux interior quandoque non intrinsece minuitur et tamen minus illuminat, quia vitrum lucernæ obscuratur, sordescit propter pulverem et pluviam.

Item fons aquæ salientis prius dabat aquam fortiter et abundanter, et postea multo minus quia egressus aquæ impeditur a malis herbis, et in parte perditur aqua, quamvis fons in se non intrinsece minuatur. Item vas auri solidum, quamvis semper sit pretiosum, inquinatur quandoque et pulvere operitur.

Unde agitur *de reparatione hujusce diminutionis extrinsecæ caritatis* seu fervoris ejus; ex hac diminutione extrinseca provenit quod sæpe justus nonnisi *actus remissos caritatis* facit per aliquod tempus, scil. habens caritatem forte ut duo talenta, operatur ac si haberet solum unum talentum. Eucharistia autem restituit caritatis fervorem, et sic reparat. Cf. S. Bonaventuram IV, dist. 8, q. 1, dub. 2: « Hic est carbo ignitus, scil. caro Christi, quæ inflammat et beatificat, non tantum gratificat, sed multipliciter adjuvat ». Sic per communionem quotidianam homo disponitur ad perseverantiam finalem. Attamen Ecclesia damnavit hanc laxistarum (Denz. 1206): « frequens communio etiam in his qui gentiliter vivunt est nota prædestinationis » cf. a. 6. Consideranda

est relatio hujusce quæstionis cum perseverantia finali, seu cum continuatione status gratiæ in ipso articulo mortis; hæc gratia non potest esse objectum meriti, quia principium meriti (status gratiæ) non cadit sub merito, sed ad eam disponimur per frequentem et ferventem communionem.

* * *

4° *Delectat:* Cf. litteram ad 2um: « Per hoc sacramentum... *caritas excitatur in actum...;* (sic) anima reficitur..., *spiritualiter delectatur,* et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ sec. illud Canticum V, 1: Comedite, amici et bibite et inebriamini carissimi ». Hic effectus suavis delectationis cum fortitudine conjunctæ figurative exprimitur jam in Vet. Testamento cf. articulum 2, ad 1 ubi S. Thomas in memoriam revocat, quod Elias, fugiens Jesabel in deserto, a somno excitatus, panem divinitus missum comedit, « et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb » III, Reg. XIX, 8. Item in Officio SS. Sacramenti dicitur: « Bella præmunt hostilia, da robur, fer auxilium » ex quo sequitur delectatio.

Quoad delectationem spiritualem notandum est quod procedit ex exercitio amoris Dei; cf. II-II, q. 23, a. 2 et 3: « gaudium amorem consequitur... nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum sicut caritas nec aliqua ita delectabiliter operatur ». Hoc provenit *ex definitione delectationis,* quæ, ut aiebat Aristoteles, *sequitur actum perfectum* sicut flos juventutem; *caritas autem est altissima omnium virtutum.*

Unde non mirum est sacramento amoris ita cor nostrum urgeri, sec. illud Pauli: *caritas Christi urget nos,* ut ad Deum majori generositate accedamus.

Hunc effectum Eucharistiæ longius explicat S. Albertus Magnus *de Eucharistia* dist. I, cap. I [1] ubi dicitur quod justus in ferventi communione quandoque experimentaliter cognoscit « dulcedinis divinæ in nos fluentis in hoc sacramento, abundans et inundans delectamentum ».

Advertendum tamen est, ut notant omnes theologi, hanc delectationem non semper contingere, sive *propter indispositionem hominis* temporalibus curis etiam legitime occupati et quodammodo distracti, aut rerum temporalium nimio affectu præpediti, aut adversa corporis valetudine gravati; sive propter providentialem et salutarem exercitationem ad hominem castigandum et in ariditate purificandum.

Sed normaliter summa delectatio spiritualis sequitur altissimum actum amoris Christi.

* * *

Quoad quartam rationem: Eucharistia, ut sacramentum unitatis et vinculum caritatis unit inter se diversa membra corporis mystici Christi.

1 *Opera omnia,* ed. Borgnet, t. XXXVIII.

A) *Unit intelligentias omnium christianorum in eadem professione fidei,* quia illi qui communionem accipiunt, eo ipso fide viva profitentur se credere præsentiæ reali; et hæc fides præsupponit fidem de omnibus aliis mysteriis, scil. Redemptionis, Incarnationis Filii Dei, SS. Trinitatis, peccati originalis, primæ elevationis hominis ad ordinem gratiæ quæ est semen vitæ æternæ. Item fides de præsentia reali præsupponit fidem de aliis sacramentis, speciatim de baptismo, de pœnitentia seu absolutione sacramentali, de ordine quo constituitur sacerdos consecrator, et proinde de validitate ordinationum in praeterito usque ad institutionem sacerdotii a Christo. Propterea dicitur quod unum miraculum eucharisticum seu confirmans veritatem Eucharistiæ eo ipso confirmat totam fidem christianam. In hoc apparet unitas doctrinæ et vitæ Ecclesiæ, et per oppositum disgregatio protestantismi, qui incepit negare veritatem sacrificii Missæ, deinde præsentiam realem, et progressive alia mysteria supernaturalia, ita ut protestantismus liberalis fere identificetur cum rationalismo. Eucharistia igitur profundissime unit omnes intelligentias catholicorum in eadem fide his omnibus mysteriis firmissime creditis.

B) *Eucharistia unit corda omnium fidelium in Christo, cum caritatis augmento.* Hoc illustratur pulchro principio pluries a S. Augustino et a S. Thoma formulato, scil. dum eadem bona materialia v. g. eadem domus, idem ager, non possunt simul et integraliter a pluribus possideri, e contrario *eadem bona spiritualia possunt simul et plene a pluribus possideri* (I-II, q. 28, a. 4, ad 2; III, q. 23, a. 1, ad 3um). Sic eadem veritas, eadem virtus, idem Deus, idem Christus a pluribus simul possidetur, etiam idem corpus Christi quia ad modum spiritus per fidem et caritatem accipitur. Insuper per communionem eucharisticam non solum fit unio cordium secundum caritatem affectivam, sed effectivam, quia augmentum caritatis datur ad melius adimplenda Dei præcepta.

C) *Per communionem eucharisticam uniuntur omnia membra ejusdem familiæ christianæ,* præsertim quibusdam diebus, die dominica, aut in festis; et si fuerint divisiones, cessare debent hoc momento, in quo unusquique quasi moraliter certus est quod alii, sic accedentes ad sacram mensam, sunt in statu gratiæ, et proficiunt in caritate.

D) *Per communionem eucharisticam uniuntur diversæ classes societatis* prout ad eamdem sacram mensam accedunt illi qui nunquam ad eamdem mensam terrestrem coadunarentur, scil. pauperes et divites, inculti et sapientes. Sic valde commendatur institutio die dominica *Missae pauperum* post quam accipiunt eleemosynam pro necessitatibus vitæ.

E) *Sacrificio eucharistico denique sic participare debent omnes animæ christianæ diversarum gentium;* et si gentes ad invicem opponuntur terrestri conflictu aut etiam bello, animæ credentes et ferventes horum populorum uniri debent in eadem oratione, sub intercessione

« Christi semper viventis ad interpellandum pro nobis », id est sub intercessione principalis sacerdotis sacrificii Missæ, ad veram concordiam obtinendam. Sic vere per communionem Eucharistia adimplet orationem Christi: « Pater... ut sint unum sicut et nos unum sumus » Joan., XVII, 22.

Sic Eucharistia confert proprie augmentum *fraternæ caritatis,* prout est *sacramentum unitatis et vinculum caritatis* inter christianos, qui ex eodem pane cœlesti nutriuntur, et ad unum corpus mysticum rediguntur sicut panis ex multis granis in unum constat (cf. Augustinum tr. 26 in Joannem).

S. Albertus Magnus eamdem considerationem pulchre evolvit in suo tractatu *de Eucharistia* [1] in quo ostendit (1ª dist.) Eucharistiam cumulum gratiarum continere (4ª dist.) quomodo hoc sacramentum facit communicare passionibus mystici corporis, prout tristitiæ et gaudia unius membri per communionem redundant in alia membra, sicut in corpore nostro naturali, quodlibet organum beneficium accipit ex bona functione aliorum, et quodammodo dolet ex dolore aliorum. Ita est communio eucharistica sancti Pastoris animarum, qui intime cognoscit earum difficultates et dolores, earumque gaudia.

In hoc sensu dicit sanctus Paulus: « Quis infirmatur et ego non infirmor? ». II Cor., XI, 29. Item dicebat ad Romanos XII, 15: « Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus ». Hoc quodammodo verificiatur in ferventi communione prout Eucharistia est sacramentum unitatis, seu vinculum fraternæ caritatis. Sic melius intelligitur dogma de communione sanctorum.

Ad 1um: Hoc sacramentum confert augmentum gratiæ, sed *ex seipso habet virtutem conferendi etiam primam gratiam quam suscepimus ex aliquo voto* (implicito) *ipsius,* sive agatur de voto adulti, sive de voto Ecclesiæ pro parvulis, ut supra explicatum est, q. 75, a. 3. Effectus enim Eucharistiæ desideratur implicite dum homo accipit initium vitæ spiritualis, cujus consummatio habetur per communionem eucharisticam. Sic Eucharistia est de necessitate salutis in voto implicito, prout est finis omnium sacramentorum.

q. 79, a. 2.

Art. II. - UTRUM EFFECTUS EUCHARISTIÆ SIT ADEPTIO GLORIÆ

Status quæstionis: Videtur quod non, 1° quia competit viatoribus, 2° quia multi accipiunt Eucharistiam qui nunquam perveniunt ad gloriam; 3° quia majus non efficitur a minori, adeptio autem gloriæ est quid majus quam communio eucharistica.

[1] Cf. *Omnia ejus opera*, editio Borgnet, t. XXXVIII. Ibidem, p. 280-305 invenitur quasi integer tractatus de pretiosissimo sanguine.

Responsio tamen est: *Hoc sacramentum causat adeptionem gloriæ:*

1° *Probatur auctoritate Domini* apud Joannem, VI, 52: « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ». Concilium Tridentinum dicit (Denz. 875): « Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis ».

Unde Ecclesia cantat in officio SS. Sacramenti: « O sacrum convivium... mens impletur gratia et futuræ gloriæ nobis pignus datur ».

2° *Probatur ratione theologica:*

Hoc sacramentum causat adeptionem gloriæ, in quo continetur Christus, gloriæ largitor, ut cibus nutriens et confortans animam ad perseverandum usque ad adeptionem gloriæ.

Atqui talis est Eucharistia. Ergo.

Sic sacerdos dicit his qui communionem accipiunt: « Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam », vel « custodiat animam tuam in vitam æternam ».

Ad 1um: Eucharistia sicut Passio Domini est causa sufficiens gloriæ, non statim quidem nos introducit in gloriam (oportet ut prius cum Christo compatiamur), sed *dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam;* sic dicitur viaticum, ut panis subcinericius a Deo missus quem Elias comedit ad ambulandum usque ad montem Dei Horeb. Vide litteram.

Ad 2um respondetur difficultati: sed non omnes qui Eucharistiam accipiunt, ad gloriam perveniunt. Respondet S. Thomas: « Per hoc sacramentum, non adipiscuntur gloriam, qui indecenter ipsum suscipiunt », vel qui ejus effectum amittunt. Item Concilium Tridentinum (Denz. 809 et 842) dicit quod « justus potest mereri vitam æternam et *ipsius vitæ æternæ* (si tamen in gratia decesserit) *consecutionem*»; id est: justus potest mereri ipsam consecutionem gloriæ, *si sua merita non amiserit* per peccatum mortale. Non autem justus potest mereri perseverantiam finalem, seu quod sit in statu gratiæ in ipso mortis articulo, quia principium meriti (scil. status gratiæ) non cadit sub merito (I-II, q. 114 a. 9).

Sed Eucharistia disponit ad gratiam preservantiæ finalis suscipiendam, dupliciter: 1° prout nutrit et confortat animam, producendo augmentum gratiæ, et 2° prout præservat a peccatis futuris; non tamen infallibiliter ab eis præservat una communio, nec duæ, nec tres, etc. In hoc invenitur prædestinationis mysterium, nam gratia perseverantiæ finalis non datur nisi electis.

Ad 3um: Respondetur huic objectioni: adeptio gloriæ est quid majus quam communio eucharistica.

« Nihil prohibet causam instrumentalem producere effectum potiorem » quia agit in virtute agentis principalis, et Eucharistia operatur virtute Christi auctoris gratiæ et gloriæ. Quidam thomistæ tenent quod Eucharistia producit in electis, non solum moraliter, sed physice, adeptionem gloriæ, mediante gratia.

q. 79 a. 3.

ART. III. - UTRUM EFFECTUS HUJUS SACRAMENTI SIT REMISSIO PECCATI MORTALIS

Status quæstionis: Videtur quod ita est: 1° quia dicitur: « sit hoc sacramentum ablutio scelerum »; 2° Item dicitur, de pretiosissimo sanguine: « qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum »; 3° Eucharistia dat gratiam, per gratiam autem fit remissio peccati mortalis.

Notandum est quod Lutherus posuit remissionem peccatorum mortalium pro effectu principali et primario Eucharistiæ, per imputationem externam meritorum Christi.

Responsio est: *Eucharistia non causat per se primario primam gratiam remissivam peccati mortalis* (nisi prout accipitur in voto); *attamen per accidens producit eam,* dum accipitur ab eo qui est inconscienter in peccato mortali.

1° *Probatur* 1a *pars auctoritate S. Pauli,* I Cor., XI, 29: « Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit »: manducare autem indigne est accipere Eucharistiam in peccato mortali. Ergo...

Imo mala communio « accumulat peccatum », ut dicet ibidem S. Thomas, scil. producit cæcitatem mentis, obdurationem cordis, augmentum concupiscentiæ, odium Dei et impœnitentiam finalem.

Concilium Tridentinum (Denz. 887) definit contra Lutherum: « Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, a. s. ».

Item n. 893: « Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum a. s. ». Ibidem Concilium Tridentinum declarat « *illis, quos conscientia peccati mortalis gravat,* quantumcumque etiam se contritos existiment, *habita copia confessoris,* necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem » ne tantum sacramentum indigne sumatur.

Notandum est cum Prümmer, *Theol. Moral.* 1915, t. III p. 141:

a) Non adest gravis obbligatio confessionis præmittendæ nisi peccatum est certo commissum et certo mortale. Ratio est, quia secus homo non est stricto sensu *conscius* sibi de peccato mortali, quoniam conscientia est certa notitia. Nihilominus nisi agatur de homine valde scrupuloso, etiam in casu peccati dubie mortalis et dubie commissi confessio valde suadenda est, ne Eucharistia suo effectu privetur.

b) Quando peccatum fuit certo mortale et certo commissum, confessio communioni præmitti necesse est, *quoties quis confiteri potest absque gravi incommodo, quod est ipsi confessioni extrinsecum.* Sic explicantur verba « *habita copia confessoris* ». Hæc copia confessarii non censetur deficere, si solus desit confessarius consuetus aliusve cui facilius confessio fieri possit. Sed prædictum incommodum

adest v. g. si quis deberet facere iter duarum horarum ad confessionem instituendam; si ex confessione oriretur scandalum pro populo, ut si parochus jam paratus ad Missam deberet coram aliis confiteri, qui inde sinistras suspiciones caperent; si confessarius ex confessione cognosceret nomen complicis; si parochus deberet confiteri peccatum valde probrosum juveni suo vicario, et exinde merito timeret ne vicarius acciperet graves tentationes.

c) Attamen per exceptionem, in tali casu, si non est copia confessarii, aliquis potest celebrare si adest necessitas communicandi. Est hæc necessitas: 1° quando consecranda est hostia pro moribundo; 2° quando communio non potest omitti sine scandalo v. g. si laicus jam sacræ mensæ accesserit, et sacerdos jam altare ascenderit, aut a fortiori jam inchoaverit sacrificium; 3° quando parochus, aut ejus vicarius debet celebrare ex officio in die festo, aut cantare Missam pro defunctis, præsente cadavere. Sed sacerdos, qui, urgente necessitate, absque prævia confessione celebravit, *debet confiteri quamprimum, id est, intra triduum,* juxta communem interpretationem. (Cf. Denz. 1138 sq. propositiones damnatas laxistarum).

2° *In corpore articuli* S. Thomas dat *rationem theologicam,* pro utraque parte conclusionis, scil. quia Eucharistia est sacramentum viventium: 1° quicumque habet conscientiam peccati mortalis habet in se impedimentum percipiendi effectum hujus sacramenti, dupliciter: tum *quia non vivit spiritualiter, sic non debet suscipere spirituale nutrimentum, quod non est nisi viventis;* tum *quia non potest uniri Christo, dum est in affectu peccandi mortaliter.* Alimentum non competit mortuo, cf. I Cor., XI, 29.

Hæc elementaris veritas vitæ christianæ negata est a Luthero in suo prædicto errore. Sic adulteravit radicaliter doctrinam christianam de Eucharistia sive ut sacramentum, sive ut sacrificium, sicut adulteraverat doctrinam de justificatione, recurrendo ad solam imputationem externam meritorum Christi, et dicendo quod sola fides fiducialis etiam sine caritate justificat.

2°-2ª pars conclusionis, scil. *per accidens Eucharistia remittit peccatum mortale,* facile probatur, quia non impeditur effectus sacramenti, si aliquis est inconscienter in peccato mortali, et cum bona fide ad sacram mensam accedit.

Quomodo vero aliquis possit esse inconscienter in statu peccati mortalis, S. Thomas in fine corporis articuli explicat dicens: « forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quæ contritionem perficiet, et remissionem peccati ».

Præsertim propter voluntarium indirectum, negligentiæ seu omissionis, aliquis potest esse « in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet ». Sic S. Paulus dicit I Cor. IV, 4: « *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* ». In commentario in hanc Epistolam S. Thomas dicit: « Id est: non habeo alicujus peccati mortalis conscientiam... Sed non in hoc justificatus sum; id est, non sufficit ad hoc quod me justum pronunciem, quia possunt aliqua peccata in me latere, quæ ignoro, sec. illud: Ps. *Delicta quis intelligit?* et in libro Job, IX, dicitur: « Et si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea ». Unde S. Paulus concludit ibidem: « Qui autem judicat me, Dominus est » [1].

Ad 1um: Petimus ut hoc sacramentum sit « *ablutio scelerum* », scil. aut remissio peccatorum occultorum, aut augmentum contritionis et robur ad vitanda peccata. Insuper hoc est effectus sacrificii Missæ (Denz. 940).

Ad 2um: rursus dicitur quod alimentum spirituale non competit mortuo.

q. 79 a. 4.

ART. IV. - UTRUM PER HOC SACRAMENTUM REMITTANTUR PECCATA VENIALIA

Responsio est *affirmativa,* est *de fide* cf. Denz. 546, Concilium Tridentinum Denz. 875: « Hoc sacramentum datur ut antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservemur » et n. 940 de effectibus sacrificii missæ, et n. 950.

Probatur ratione theologica duplici:

1° *Eucharistia, ut cibus spiritualis, remittit peccata venialia,* quæ diminuunt, non intrinsece ipsam caritatem, sed fervorem caritatis, ejus irradiationem et libertatem actionis (II-II, q. 24, a. 10). Remittuntur directe hæc peccata per gratiam cibantem, quæ auget caritatem. Cf. litteram et *ad* 1um: sensus ipsius textus S. Thomæ videtur esse: Eucha-

1 Hæc doctrina speciatim de voluntario indirecto notanda est hodie contra eos qui dicunt cum multis medicis et psychiatris: in vita hominum actus perfecte liber est valde rarus quia sæpe homines operantur secundum determinismum consuetudinum et passionum. Ad hoc respondendum est: si homo operatur ex sola sensibilitate, non ex voluntate, et absque indifferentia judicii, concedo propter aliquid impediens deliberationem; secus nego. Cf. I-II, q. 10, a. 3: utrum voluntas de necessitate moveatur ab inferiori appetitu: « Si totaliter ratio ligatur, ita quod homo usum rationis non habet,... tunc non est rationis motus et per consequens nec voluntatis. Si autem ratio non totaliter absorbetur a passione, sed remanet quantum ad aliquid judicium rationis liberum, secundum hoc remanet aliquid de motu voluntatis. In quantum ergo ratio manet libera, et passioni non subjecta, in tantum voluntatis motus, qui manet, non ex necessitate tendit ad hoc ad quod passio inclinat ».

ristiam remittere etiam directe et immediate peccata venialia, prout est cibus spiritualis.

2° Eucharistia (mediate) peccata venialia remittit, prout non solum auget caritatem, sed *excitat ejus actum, quo immediate remittuntur peccata venialia;* ut dicitur etiam *ad* 3um: Peccatum veniale habituale est privatio habitualis fervoris caritatis seu promptitudinis, generositatis ejus, et hæc privatio tollitur per actum contrarium [1].

Ibidem dicitur ad 3um major est virtus caritatis, quam venialium peccatorum, « quia caritatis actus tollit venialia peccata et non totaliter ab eis impeditur ».

q. 79 a. 5.

Art. V. - **UTRUM PER HOC SACRAMENTUM TOTA POENA PECCATI REMITTATUR**

Status quæstionis: Videtur quod ita est: quia hoc facit baptismus et Eucharistia nos magis conjungit Christo quam baptismus.

Responsio est: *Eucharistia remittit pœnam peccati secundum quantitatem devotionis, et ordinarie non totam pœnam.*

1° Probatur ex aliqua declaratione Ecclesiæ, contra Armenos (Denz. 546). Et Concilium Tridentinum quoad effectus sacrificii Missæ n. 940 et 950, dicit: « Sacrificium Missæ esse propitiarum, nec soli prodesse sumenti, sed pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere ». Sed Concilium intelligit secundum dispositionem recipientium. Hoc patet ex contextu.

2° Probatur ratione theologica duplici:

A) *Eucharistia ut sacramentum,* scil. prout sumitur, *non directe remittit pœnam,* quia non est instituta ad satisfaciendum, sed ad nutriendum per unionem ad Christum, attamen *indirecte remittit* pœnam peccati *prout excitat caritatis fervorem,* et sic proportionaliter ad hunc fervorem. Unde ordinarie non tota paena remittitur.

B) *Eucharistia ut sacrificium,* scil. prout offertur, *habet vim satisfaciendi.* Sed communiter « in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, ut constat ex verbo Domini circa oblationem viduæ... Ergo quamvis hæc oblatio sacrificii Missæ ex sui quantitate sufficiat (ut Passio Domini) ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ devotionis ». Sic ordinarie non tota pœna remittitur. Notandum est: quando agitur de sacrificio Christi, prout distinguitur ab oblatione viduæ, dicendum est potius « attenditur non solum quantitas oblationis, sed etiam affectus offerentis »; pro oblatione viduæ autem dicitur: « magis in ea attenditur affectus offerentis ». Hoc aliquomodo exprimitur in littera S. Thomæ.

[1] Quidam theologi dicunt Eucharistiam *nonnisi indirecte* remittere peccata venialia, scil. *ex opere operantis,* mediantibus actibus caritatis, quos elicimus ope gratiæ actualis vi sacramenti concessæ.
Sed thomistæ, v. g. Billuart, dicunt Eucharistiam peccata venialia remittere *etiam directe* seu *ex opere operato,* et hic videtur esse sensus primæ rationis S. Thomæ in corpore articuli.

Ad 1um respondetur huic objectioni: Eucharistia est perfectior baptismo quo remittitur tota pœna; ergo pariter Eucharistia deberet totam pœnam remittere.

Respondet S. Thomas: « sacramentum baptismi directe ordinatur ad remissionem pœnæ et culpæ, non autem Eucharistia, quia baptismus datur homini quasi *commorienti Christo,* Eucharistia quasi nutriendo per Christum ». Hoc melius explicatur supra in tractatu de Baptismo q. 69, a. 2 et 3. Baptismus aperit baptizato januam regni cœlestis in quantum incorporat eum passioni Christi; et baptizatus a Christo accipit hanc totalem remissionem pœnæ, ut donum felicis adventus Christi in ejus anima.

Aliquis objicere posset dicendo: Eucharistia ut sacrificium potest totam pœnam remittere, non solum propter quantitatem oblationis scil. propter dignitatem victimæ, sed etiam propter affectum principalis offerentis, scil. Christi sacerdotis; ergo ad Missam non possunt applicari citata verba Domini dicta de oblatione viduæ. Plus valet Missa a Christo oblata, quam dispositio nostra.

Ad hoc respondendum est: Equidem sacrificium Missæ habet ad satisfaciendum valorem infinitum, tum propter victimam oblatam, tum propter dignitatem principalis offerentis, sed *nos non accipimus fructum hujusce sacrificii, nisi prout unimur vera devotione cum oblatione Christi principalis offerentis.* Et igitur conveniens est quod aliquis sanctus sacerdos qui valde intime unitur oblationi Christi plus accipiat quoad remissionem pœnæ, quam ille qui celebrat sine magna devotione cf. *ad* 3um: « Hoc contingit non ex defectu virtutis Christi; sed ex defectu devotionis humanæ ». Sic pro S. Thoma, effectus sacrificii Missæ in nobis limitatur solum ex imperfectione devotionis nostræ.

q. 79, a. 6.

Art. VI. - **UTRUM PER HOC SACRAMENTUM HOMO PRÆSERVETUR A PECCATIS FUTURIS**

Status quæstionis: Videtur quod non 1° quia multi digne sumentes hoc sacramentum, postea in peccatum cadunt; 2° quia caritas potest amitti per peccatum; 3° quia remanet in nobis fomes peccati.

Responsio *tamen est affirmativa.*

1° *Probatur ex verbo Domini* Joann. VI, 50: « Hic panis de cœlo descendit, ut si quis ex hoc pane manducaverit, non moriatur », id est morte spirituali.

Concilium Tridentinum Denz. 875 declarat quod per Eucharistiam « a peccatis mortalibus præservamur ».

2° *Probatur ratione theologica* duplici:

Quia Eucharistia, *ut cibus*, roborat spiritualem vitam, quæ resistit tentationibus, et quia Eucharistia, ut *signum Passionis*, repellit impugnationem dæmonum, qui victi sunt a Passione Christi. S. Thomas citat pulchrum textum Chrysostomi, circa sumentes corpus Christi, qui fiunt terribiles dæmoni, prout Christum victorem in se portant.

Usus frequentis communionis fundatur in hac doctrina: scil. oportet frequenter Eucharistiam accipere, ut nutriatur mens et ut habeat vim resistendi tentationibus; sed ex alia parte requiruntur sufficientes dispositiones, ut infra dicetur.

Ad 1um solvitur hæc objectio: multi tamen digne sumunt hoc sacramentum et postea in peccatum cadunt.

Respondet S. Thomas: quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Atqui in viatore, liberum arbitrium potest flecti in bonum et in malum. Unde licet hoc sacramentum de se habeat virtutem præservativam a peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.

Hæc possibilitas peccandi plene tollitur per visionem beatificam, quando scil. voluntas humana non potest averti a Summo Bono clare viso, sed jam in purgatorio animæ sunt confirmatæ in gratia.

Confirmatio autem in bono in terra, ut fuit præsertim in Beata Maria Virgine, explicatur per altum gradum caritatis, cum gratia actuali semper efficaci; sic Providentia specialis erga Beatam Mariam Virginem in ea nullum peccatum permisit.

Ad 2um. Pariter « caritas quantum est in se præservat hominem a peccato », sed amitti potest ratione subjecti, scil. « ex mutabilitate liberi arbitrii ». Hoc est dicere quod caritas, quantum est in se, est, ut gratia sanctificans, semen gloriæ, *inchoatio vitæ æternæ*, sic *ex se semper durare debet*, imo ex se *magis incorruptibilis* est quam ipsa anima spiritualis, quia est participatio divinæ naturæ, et modus ejus immaterialitatis est altior quam modus immaterialitatis animæ. Attamen ratione subjecti defectibilis, amitti potest. Sic caritas est sicut aqua purissima, quæ semper pura conservaretur, si vas in quo est non frangeretur. « *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* ». Item bona demonstratio existentiæ Dei de se præbet certitudinem, sed intelligentia quædam male disposita, veneno kantiano infecta, et ad scepticismum inclinata, hanc certitudinem non accipit, aut non retinet.

Ad 3um: Eucharistia diminuit fomiten peccati prout auget caritatem. Directe confirmat cor hominis in bono, per quod præservatur homo a peccato. Id est: dum vita hominis viatoris ascendit ad Deum, non descendit ad infima bona commutabilia.

Dubium: Quomodo explicandum est quod multi sacerdotes qui, a multis annis, hoc sacramentum quotidie et, ut videtur, non indigne sumunt, non videntur tamen multum proficere in virtutibus.

Respondetur: Ad minus non peccant graviter, remanent in statu gratiæ, præservantur per Eucharistiam a peccatis mortalibus, et saltem aliquantulum quotidie augetur in eis caritas. Sed normaliter *plus augeri* deberet; quia, ut notavimus, quælibet communio, eo ipso quod producit non solum conservationem, sed augmentum caritatis, disponit ad ferventiorem communionem pro die sequenti, et de facto fieret hæc communio substantialiter ferventior, si non esset notabilis negligentia venialis cf. infra art. 8.

q. 79 a. 7.

Art. VII. - UTRUM HOC SACRAMENTUM PROSIT ALIIS QUAM SUMENTIBUS

Status quæstionis: Videtur quod non, 1° quia alia sacramenta, ut baptismus, confirmatio, non prosunt nisi sumentibus; 2° nec apparet effectus quem produceret in aliis.

Responsio tamen est: 1° *Eucharistia pro sumentibus prodest ut sacramentum et ut sacrificium,* 2° *pro aliis prodest ut sacrificium, in quantum pro salute eorum offertur.*

Hoc est de fide; Trid. 950: « Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem *propitiatorium; vel soli prodesse sumenti,* neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, offerri debere, an. sit. ».

Declaratur etiam in eodem Concilio, 940: « Hujus sacrificii oblatione placatus, Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit ». Sic Missa est sacrificium non solum latreuticum et eucharisticum, sed impetratorium et propitiatorium. Hoc sacrificio peccata (etiam gravia) remittuntur indirecte (scil. non dispensando, a confessione sacramentali); pœnæ temporales pœnitentibus contritis etiam directe remittuntur (940, 950); offerri potest *pro fidelibus defunctis* et *sic prodest non soli sumenti, sed specialiter illi, cui fructus applicatur,* cf. Denz. 1530: errorem synodi Pistoriensis de applicatione fructus sacrificii; hic error erat negatio specialis fructus provenientis ex speciali applicatione.

In corpore articuli datur ratio theologica pro utraque parte conclusionis:

1ª pars est: Eucharistia pro sumentibus prodest ut sacramentum et ut sacrificium, quia *pro omnibus sumentibus offertur.*

Unde non approbanda est consuetudo quorumdam fidelium qui, quamvis possent ad missam venire, ad Ecclesiam accedunt solum ad

communionem recipiendam, et missam non audiunt. Per communionem participamus sacrificio, cui convenit assistere, nisi sit aliquod impedimentum.

Certo certius nullum exercitium spirituale, nulla meditatio vel oratio. superat assistentiam sacrificio Missæ, cujus valor est infinitus, et in quo unimur Christo « semper viventi ad interpellandum pro nobis ».

2ª pars conclusionis est: *Eucharistia prodest pro non sumentibus in quantum est sacrificium pro eis oblatum.* Ratio est præcise quia pro salute eorum offertur hoc sacrificium, ut constat ex Canone Missæ, hic citato. Et utrumque modum proficiendi Dominus expressit, dicens (Matth. XXVI, Luc. XXII): « *Qui pro vobis* (scil. sumentibus) *et pro multis, scil.* pro aliis, *effundetur in remissionem peccatorum* »; cf. litteram.

Ad 1um: Hoc non verificatur in aliis sacramentis, quia non sunt sacrificium.

Ad 2um datur æquivalenter distinctio inter gratiam sufficientem et gratiam efficacem, dum dicitur: « Passio Christi prodest quidem omnibus *quoad sufficientiam, ad remissionem culpæ* et adeptionem gratiæ et gloriæ, *sed effectum* non habet nisi in illis qui passioni Christi conjunguntur per fidem et caritatem, ita et hoc sacrificium... Unde in canone Missæ non oratur pro his qui sunt extra Ecclesiam: illis tamen prodest plus vel minus, secundum modum devotionis eorum ». Id est: prodest illis qui sunt extra corpus Ecclesiæ, et etiam illis qui sunt extra animam Ecclesiæ, scil. qui non conjunguntur Christo per fidem et caritatem, sed qui accipiunt tamen gratias actuales quibus excitantur ad faciendum quod in se est. Facienti autem quod in se est cum auxilio gratiæ actualis, Deus non denegat gratiam habitualem.

Hæc distintio inter gratiam sufficientem et gratiam efficacem, in hac responsione ad 2um æquivalenter expressa, fundatur in distinctione inter *divinam voluntatem antecedentem, et divinam voluntatem consequentem* seu efficacem, quæ sola fertur circa bonum hic et nunc infallibiliter producendum, ut exponitur Iª, q. 19, a. 6, ad 1um.

Bonum enim non efficitur nisi *hic et nunc.* Sed per gratiam sufficientem adimpletio mandatorum est *realiter possibilis,* quamvis non sit *actualis.*

Ad 3um (cf. *litteram*): Notanda sunt hæc verba quoad sacrificium Missæ: « Ex hoc quod sacerdos plures hostia consecrat in una Missa, non multiplicatur effectus hujus sacramenti, quia non est nisi unum sacrificium; nihil enim plus est virtutis in multis hostiis consecratis quam in una, cum sub omnibus et sub una non sit nisi totus Christus. Unde nec si aliquis simul in una Missa multas hostias consecratas *sumat,* participabit majorem effectum sacramenti. *In pluribus vero missis multiplicatur sacrificii oblatio,* et ideo multiplicatur effectus sacrificii et sacramenti ». Multiplicatur sacrificii oblatio. quamvis semper sit eadem hostia oblata et

idem principalis offerens, sed *multiplicatur immolatio incruenta, seu sacramentalis,* sine qua non esset sacrificium proprie dictum.

Initio hujusce responsionis ad 3um, S. Th. dicit quoad sacramentum prout differt a sacrificio: « Sumptio pertinet ad rationem sacramenti... Et ideo *ex hoc quod aliquis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquod juvamentum* ».

S. Thomas vult dicere quod effectus proprius communionis producitur *ex opere operato* solum in eo qui sacramentum sumit. Sed non excludit quod in corpore mystico progressus unius membri in caritate redundat quodammodo in alia membra, sicut analogice in corpore physico sanitas unius organi redundat quodammodo in alia organa [1]. Imo S. Thomas non negaret quod aliquis possit offerre communionem suam pro aliis; hoc potest fieri et fit, sicut unusquisque nostrum potest pro aliis offerre Deo aliquam orationem, satisfactionem, aliquem actum meritorium pro aliis et sic potest pro aliis mereri de congruo (I-II, q. 114, a. 6). Sic communio oblata pro aliis, potest prodesse eis, non *ex opere operato,* sed *ex opere operantis,* id est propter caritatem offerentis, cujus actus est ferventior in communione quam extra communionem.

Hoc bene notant Billuart et Faucher in sua editione, et dicunt: « merito itaque ex auctoritate apostolica, damnatus fuit liber Theophili Raynaud, qui communionem pro mortuis tanquam errorem popularem, piam fraudem et sordem non ferendam impugnabat ».

S. Thomas non impugnat hanc consuetudinem piarum animarum nunc ab Ecclesia approbatam. Imo dicit obiter in art. V, in corp. aliquid pulchrum ad hanc rem pertinens, scil.: « sacramentum Eucharistiæ institutum est ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum et ad membra ejus ». Eucharistia enim est sacramentum unitatis et vinculum caritatis, et nos unit non solum Christo, sed corpori ejus mystico, ut dictum est art. 1° hujusce quæstionis. Hoc evolvitur a S. Alberto, *de Eucharistia,* dist. IV, 4: imo, inquit « passionibus mystici corporis communicamus per Eucharistiam ». Hoc præsertim considerandum est in praxi, si quamdam antipathiam velut naturalem habemus pro aliquo, convenit, præsertim momento communionis, actum contrarium caritatis pro ista persona elicere ut tollatur hæc naturalis aversio, quæ inclinat ad injustitiam et discordiam. Imo plures sancti dixerunt: « non volumus quandoque affectum nostrum quibusdam dare, dum e contrario Christus eis seipsum dat et forte abundantius quam nobis ». Imo quando Christus nobis semetipsum dat in communione, quodammodo unimur diversis membris ejus corporis mystici, etiam animabus pro quibus nullam naturalem sympathiam experimur. Hoc consideraverunt sancti, contemplando mysterium communionis sanctorum. Secundum hoc mysterium, sunt quædam animæ quæ plures alias portant, ita fundatores Ordinum simul

[1] Cf. I Cor., XII, 4-6; Ephes, IV, 4-6.

cum Christo spiritualiter portant filios suos ad majorem generositatem et ad vitam æternam.

Scribendo vel prædicando de communione Eucharistica semper præ oculis habendum est mysterium communionis sanctorum ut S. Albertus, loc. cit. Hoc apparet præsertim legendo vitam Sanctorum qui magnam devotionem habuerunt erga Eucharistiam. Oportet igitur servare consuetudinem legendi quasi quotidie vitam sanctorum, in ea inveniuntur facta concreta, in quibus realiter verificatur et egregie doctrina fidei et theologiæ.

q. 79 a. 8.

ART. VIII. - UTRUM PER VENIALE PECCATUM IMPEDIATUR EFFECTUS HUJUS SACRAMENTI

Status quæstionis: Hæc quæstio est difficilis, longe tractatur a pluribus commentatoribus, etiam a Billuart, sed in Tr. de Sacramentis in genere, dist. 3, a. 4, § 2, quia est casus particularis hujusce quæstionis generalioris: utrum sacramenta in suspicientibus adultis æqualem causent gratiam, et quænam dispositio requiritur ex parte suscipientis ad ejus consecutionem? Parvuli æqualem gratiam baptismalem recipiunt, quia non inæqualiter disponuntur.

In statu quæstionis S. Thomas ponit tres difficultates: 1°) videtur quod peccata venialia non impediunt effectum Eucharistiæ, quia ut ait Augustinus, hæc peccata sunt quotidiana et non mortifera; 2°) quia peccatum veniale distinguitur a fictione quæ impedit principalem effectum baptismi, fictio enim impediens principalem effectum sacramenti, scil. gratiam, est quando quis simulat aut credit se habere dispositionem sufficientem ad sacramentum et ejus effectum et tamen eam non habet; 3°) Eucharistia removet peccata venialia, ergo non impeditur ab illis.

Sed ex alia parte Damascenus dicit quod debemus ad Eucharistiam accedere cum vivo desiderio, id est cum fervore caritatis; hic fervor autem impeditur a peccato veniali, v.g. negligentiæ in ipso momento communionis.

Solutio *S. Thomæ,* quæ communior est, sic exprimitur, cum distinctione:

1° *Peccata venialia præterita,* seu habitu tantum remanentia, *nullo modo impediunt effectum hujus sacramenti, imo per ipsum tolluntur.*

2° *Peccata venialia actu exercita,* seu actu placentia, *impediunt effectum secundarium,* scil. refectionem dulcedinis spiritualis, prout minuunt fervorem caritatis, *non vero impediunt effectum primarium,* qui est augmentum habitualis gratiæ et caritatis. Cf. litteram.

Item ad 1um. — *Ad* 2um notatur quod baptismus non ordinatur ad fervorem caritatis producendum, sicut Eucharistia.

Unde ut notatur *ad* 3um, tres objectiones initii articuli loquebantur de peccatis venialibus præteritis, quæ non impediunt effectum Eucharistiæ.

* * *

1um Dubium: *Utrum ad recipiendum augmentum habitualis gratiæ per communionem requiratur necessario pia dispositio actualis vel saltem virtualis, an sufficiat habitualis scil. status gratiæ absque ullo interiori actu caritatis aut devotionis?*

In hoc dissentiunt thomistæ. Cajetanus (Comm. primi articuli n. III) et Contenson ac quidam alii dicunt: non sufficit status gratiæ. E contrario Soto, Joannes a sancto Thoma, Serra, Gonet, Billuart et communius Thomistæ, dicunt *sufficit status gratiæ.* Unde pro his ultimis, etiam si aliquis in actuali susceptione Eucharistiæ peccet venaliter, puta culpabili distractione vel aliter, nihilominus hunc effectum saltem in gradu infimo recipit, quia est in statu gratiæ.

Videamus breviter rationes pro utraque sententia:

Cajetanus, loc. cit., dicit circa responsionem ad 1um præsentis articuli, « Hæc verba Auctoris... ut sonant secundum superficiem, possunt intelligi ut augeatur intensive habitualis gratia tunc cum sumitur, etiam si nullus interior caritatis actus, ob mentis distractionem, interveniat... Et hic sensus favorabilis est et demulcens aures multitudinis innumerabilium sacerdotum, quasi quotidie aut frequentissime celebrantium, *qui tamen seipsis meliores non quotidie fiunt.*

« Mihi autem, hinc ordiendo, sensus iste verus non apparet. Si enim qualibet sumptione Eucharistiæ augeretur gratia infinitorum pene sacerdotum, quos credimus vere in gratia celebrare, caritas jam esset major intensive quam credi rationabile est: cum tanta magnitudo caritatis in tanta multitudine *otiosa appareat* et tamen certum est quod *amor Dei non est otiosus, sed operatur magna, si est,* ut ait S. Gregorius ». Et Cajetanus concludit: potest esse tam parva devotio, momento communionis, « ut non sufficiat disponere ad augmentum gratiæ ». (Cf. ibidem n. V. Id est juxta ipsum, tunc non augetur gratia habitualis nec virtus infusa caritatis).

Contenson similiter loquitur. Et etiam Schram O. S. B. *Institutiones theol. mysticæ,* t. II, § CDXXX, p. 125 scripsit: « *Celebrans non proficiens, de malo statu suo timere potest*... Hoc timendum vel maxime est in *recidivis* in gravia, quibus dolor et propositum suum merito suspecta esse possunt. Deinde idem timendum est non modice *de tepidis,* qui ob venialium contemptum, facile in mortalia labuntur, dum minus putant ». Et hoc propter voluntarium indirectum, et negligentiam.

Unde Schram videtur ad sententiam Cajetani inclinare, scil. si aliquis in communione peccet venialiter per distractionem, quamvis sit in statu gratiæ, non recipit augmentum gratiæ.

Alii vero thomistæ, ut Soto, Joannes a S. Thoma, Serra, Gonet, Billuart et plures theologi extranei, tenent quod etiam in hoc casu,

recipitur augmentum habitualis gratiæ, saltem tenuissimum, *ad hoc suffit status gratiæ* etiam cum veniali distractione.

Hoc probant 1° auctoritate S. Thomæ, ex ejus responsione in præsenti articulo 8, c. In corpore dicit: « peccata venialia actu exercita... impediunt refectionem spiritualis dulcedinis... non autem augmentum habitualis gratiæ vel caritatis ». Item ad 1um. Sanctus Thomas dicit etiam in fine corporis articuli quod « refectio spiritualis dulcedinis impeditur si aliquis accedat ad hoc sacramentum per *peccata venialia mente distractus;* non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ et caritatis ».

Difficile est dicere cum certitudine an sanctus Thomas intelligendus sit non solum de veniali distractione indirecte voluntaria ex negligentia aut tepiditate, sed etiam de ea quæ est directe voluntaria, scil. quæsita aut admissa.

Ipse non facit hic hanc distinctionem; unde loqui videtur de qualibet distractione veniali, dummodo non sit ita plene deliberata, ut forte fieret mortalis, non ex objecto, sed ob reverentiam Eucharistiæ debitam.

Concedendum est Cajetano et Contenson, quod est debitum morale imo legale, sub peccato veniali, adhibendi actualem devotionem. Sed hoc peccatum veniale non videtur secundum S. Thomam, impedire augmentum saltem minimum habitualis gratiæ.

2° *Sententia communior Thomistarum* probatur *duplici ratione theologica,* directa et indirecta.

a) *Sacramenta novæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem.* Atqui *solum peccatum mortale est obex,* non vero veniale, compatitur enim cum gratia. Ergo illi qui est in gratia quamvis sit venialiter mente distractus, momento communionis, confertur gratia sacramentalis, scil. augmentum habitualis gratiæ et caritatis saltem tenuissimum.

b) Indirecte: si venialiter distractus momento communionis, nullum augmentum habitualis caritatis acciperet, *redderet communionem omnino infructuosam,* seu *nullam. Atqui hoc esset* ponere obicem gratiæ, quod est *peccare mortaliter* secundum communem sententiam. Communio sic fieret sacrilega. Consequens autem istud rejicitur etiam a Cajetano et a Contenson. Unde antecedens ab eis admissum non valet.

Confirmatur: Eucharistia quandoque confertur mente ægrotis, in articulo mortis, in quibus non est devotio actualis. Et tamen in eis causatur augmentum gratiæ; alioquin frustra hoc sacramentum confertur, imo nec liceret conferre, utique certo et scienter informe, scil. sine effectu. Item extrema-unctio sæpe confertur moribundis usu rationis privatis et confirmatio infantibus, in quibus non est dispositio actualis nec virtualis.

* * *

Objicitur: S. Th., in IV, d. 12, q. 2, a. 1, qu. 3 dicit: « Cum hoc sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum suum *plene* habeat in sumente, oportet quod adsit actualis devotio. Absque peccato mortali potest effectus hujus sacromenti impediri; ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat ».

Respondet Soto, S. Thomam seniorem et doctorem in Summa mutasse sententiam. — Serra dicit: non mutavit, sed magis explicite tradidit, id quod brevius dixerat sub adverbio *plene,* per respectum ad quod intelligenda sunt subsequentia verba citata.

Instantia: S. Thomas, infra q. 80, a. 8, ad 6, dicit: « Maxima devotio requiritur in sumptione hujus sacramenti (Eucharistiæ) quia tunc percipitur sacramenti effectus ». Si autem maxima, ergo actualis.

Responsio: Maxima devotio requiritur quidem secundum debitum decentiæ, aut etiam secundum debitum legale sub levi; vel ad effectum adaequatum hujus sacramenti.

Instantia: S. Thomas dicit infra, q. 87, a. 2: « Habentibus usum liberi arbitrii non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, et contra peccatum ».

Responsio: S. Thomas loquitur ibi de infusione gratiæ extra sacramentum, scil. *ex opere operantis,* non vero de infusione augmenti gratiæ *ex opere operato,* de quo nunc loquimur. Et Cajetanus, ut videtur, non satis animadvertit hanc distinctionem. Insuper ille qui est venialiter distractus momento communionis, voluit tamen, ut supponitur, ex bona intentione ad sacram mensam accedere.

Instantia: Actus remissus caritatis sic est dispositio sufficiens ad augmentum caritatis in communicante; hoc autem videtur contrarium sententiæ S. Thomæ de dispositione requisita ad caritatis augmentum, cf. IIa IIæ, q. 24, a. 6 ad 1um, et Ia IIæ, q. 114, a. 8, ad 3.

Responsio: Non est oppositio, nam in casu præsenti, in communione, gratia producitur, non ex opere operantis, sed *ex opere operato.* Unde Deus supplet partem dispositionis in adultis, sicut supplet totam in infantibus qui baptizantur. - Imo remanet doctrina de dispositione requisita, in hoc sensu quod sacramenta causant gratiam in adultis, juxta cujusque dispositionem *proportionaliter* non vero *æqualiter.* Hoc constat ex C. Trident. sess. 6, c. 7. Eodem modo verificatur doctrina de dispositione requisita quoad reviviscentiam ipsius gradus caritatis per pœnitentiam. (Cf. III, q. 89, a. 2).

* * *

Quid igitur respondendum est ad argumentum Cajetani, scil.: non verisimile est quod gratia habitualis quotidie augeatur in multis sacerdotibus sic celebrantibus, quia non apparent meliores; et *amor Dei tamen non est otiosus;* manifestaretur si augeretur.

Respondent alii Thomistæ dupliciter:

1° Ipse Cajetanus admittit quod *cum exigua devotione actuali* habetur parvum augmentum caritatis habitualis; atqui multi sacerdotes quotidie celebrant cum hac exigua devotione actuali, et tamen non apparent multo meliores etiam post plures annos. Hoc est signum quod augmentum quotidianum gratiæ non magnum est in eis sed tenuissimum, ut ait Billuart. Et sic una sola fervens communio fructuosior est quam multæ communiones stricte sufficientes, ut non sint malæ. Dicit S. Magdalena de Pazzi (Vita, c. 94): « una communio, facta cum vero spiritu et sensu, apta est ut faciat animam in magnam vitæ perfectionem devenire, unde ergo miseri nos in tanta frequentia tam parum aut nihil proficimus! ».

2° In prædictis sacerdotibus celebrantibus absque devotione actuali, augmentum quotidianum gratiæ non est absolute sine fructu, et hic fructus in hoc apparet quod hi sacerdotes, ut supponitur, *sese conservant in statu gratiæ* contra continuo insurgentes tentationes. Quod autem actus ferventiores non faciant, hoc provenit ex quotidianis peccatis venialibus, quæ fervorem caritatis impediunt. Cf. I. Lallemant, S. J. *La Doctrine spirituelle,* IVe Principe, ch. III, a. 3, (hic liber est aureus).

3° Alii vero per peccata mortalia amittunt gratiam, quæ postea difficile ad eumdem gradum recuperatur, secundum doctrinam antiquorum theologorum et præsertim S. Thomæ (cf. infra q. 89, a. 2, C) secundum quem, gradus caritatis per absolutionem conceditur secundum gradum dispositionis actualis. Sic junior sacerdos fervens potest habere gratiam ut tria talenta, postea cadit in peccato mortali reiterato, et forte per absolutionem cum attritione valde remissa receptam resurgit cum gradu caritatis æquivalenti uno talento. Unde non mirum est quod non appareant magni caritatis fructus.

4° Denique notandum est cum Billuart, loc. cit., quod multi sunt sacerdotes quorum magna caritas, licet non se prodat exterius per insignia opera, quæ non semper occurrunt, se prodit tamen in officiis solito occurentibus; ita ut non solum sese conservent in gratia, sed vere in ea proficiant. Unde ille qui per unum annum vitavit semper peccatum mortale, progressus est hoc anno.

Ideoque commune effatum: *in via Dei non progredi est regredi,* potest recte considerari sub duplici aspectu: scil. 1° si anima non regreditur, tunc progreditur; 2° si non progreditur, regreditur. Cajetanus et Contenson considerant potius secundum aspectum, ut convenit quando agitur de tendentia ad perfectionem; alii considerant primum aspectum, ut convenit quando agitur de minima requisita dispositione ad tenuissimum augmentum. Item dicit Dominus: « Qui non est mecum, contra me est », sed dicit Apostolis: « Qui non est adversus vos, pro vobis est » Marc., IX, 39.

Ibi igitur est aliquod mysterium in vita cujuslibet sacerdotis quotidie celebrantis. Videtur certum quod augmentum caritatis in eo deberet esse non solum uniforme, sed acceleratum, prout quælibet communio, augens caritatem, deberet disponere pro die sequenti ad communionem non solum æque sed magis ferventem, devotione substantiali, si non accidentali seu sensibili. Aliis verbis: animæ deberent eo citius ad Deum accedere, quo magis ad Deum appropinquant, quia magis ab eo trahuntur. Sic motus naturalis in fine est intensior, et gratia nos perficit ad modum naturæ, ut notat S. Thomas in Ep. ad Hebr., X, 25. Est lex gravitationis spiritualis, cujus gravitatio corporum est symbolum.

Specialis opinio. *P. L. Billot admittit* communem opinionem thomistarum pro sacerdote etiam tepido, qui tamen non peccat mortaliter, sed particularem opinionem sustinuit, scil., pro sacerdote quotidie celebrante qui quandoque peccaret mortaliter; dicit: in eo non reviviscit augmentum caritatis ab Eucharistia productum, quia reviviscentia gratiæ sacramentalis explicatur pro quibusdam sacramentis per characterem, pro aliis per ornatum, qui se haberet ad modum characteris et esset res et sacramentum; sed Eucharistia non producit nec characterem nec ornatum, quia in ea res et sacramentum est *corpus Christi* significatum a speciebus sacramentalibus.

Hæc opinio singularis est: non fundatur in textu S. Thomae, nam S. Thomas quamvis junior in Commentario in Sententias adhuc loquatur de antiqua theoria « ornatus », de ea non amplius loquitur in Summa Theologica. Et insuper mirum esset quod Eucharistia, quæ est perfectissimum omnium sacramentorum, produceret gratiam minus perfectam in quantum scil. non posset reviviscere. Insuper supponitur sacerdotem hunc jam recipisse per Eucharistiam tenuissimum gratiæ augmentum, sufficit ergo dicere: si hic sacerdos celebrans est in statu gratiæ recipit saltem tenuissimum augmentum caritatis secundum gradum devotionis suæ proportionaliter; postea si peccat mortaliter et recipit absolutionem cum attritione remissa sed adhuc sufficienti, reviviscit in eo gratia habitualis amissa, sed proportionaliter ad gradum contritionis suæ seu attritionis.

Unde remanet opinio communior thomistarum.

Momentum practicum hujusce quæstionis

Plura sunt notanda:

Unusquisque sacerdos a multis annis celebrans potest igitur et debet seipsum examinare circa hunc punctum, sibi dicendo: « Certo bonum et malum facio, quæstio est: *an plus bonum quam malum faciam?* Vita mea estne magis bona quam mala? Quando ex officio loquor, docendo, prædicando, exhortando, veritatem salutarem dico et aliquod bonum facio. Sed quando libere loquor extra officium meum, utrum loquar et agam ad ædificationem, an potius ad destructionem. Vita mea estne adhuc vera vita sacerdotalis, an sterilis propter pigritiam spiritualem, superbiam et alia vitia? ».

Hæc quæstio practica ea est quæ ponitur in Evangelio dum agitur *de ficu sterili,* cf. Math. XXI, 19: « Jesus videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi: « Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea ». Circa hoc S. Thomas dicit in Matth. « Ita Christus visitavit Judæam (Jerusalem) quæ habebat folia, scil. observantias legales, sed non fructum. Sic aliqui quamdem speciem honestatis habent, licet interius mali et perversi sint... Tunc Christus exercuit ibi potestatem, ut ostenderet quod Judæa sterilis futura esset. Sic *aliquando contingit quod aliqui mali interius, exterius autem virentes, siccantur a Domino ne alios corrumpant* ».

E contrario sacerdos quotidie celebrans, per communionem, deberet non solum æqualiter quotidie, *sed magis ac magis crescere in caritate,* et igitur in eo verificari deberet id quod legitur apud Marcum IV, 8, *in parabola seminantis:* « Aliud cecidit in terram bonam et dabat fructum ascendentem, et crescentem, et afferebat *unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.* Et dicebat Dominus: qui habet aures audiendi, audiat ».

Item apud Matth. XIII, 8.

Hæc quæstio practice ac per modum interrogationis tangenda est quando prædicantur clero exercitia spiritualia. Cf. de hac re apud sanctam Catharinam Senensem in suo Dialogo c. 121, c. 162, de anima tepidi sacerdotis, qui ignorat tepiditatem suam et est quasi consopitus, obdormiens, absque ullo vivo desiderio perfectionis. Quandoque peccat mortaliter et tunc videre potest statum suum, et ex eo egredi per veram contritionem.

Si vero non peccat mortaliter, quotidie accipitur per communionem *tenuissimum caritatis augmentum, stricte sufficiens pro ipso, sed non satis ad pascendas animas* quæ ei confiduntur, et sic sua tepiditate culpabilis est, quia non dat animabus id quod eis secundum suam vocationem dare deberet, et animæ propter suam culpam seu spiritualem pigritiam non salvantur. E contrario sacerdos qui quotidie accipit per communionem majus ac majus caritatis augmentum, non solum nutritur ipse, sed potest suo apostolatu alias nutrire animas, et sic in eo vocatio sacerdotalis fructificat, et affert non solum triginta, sed quandoque sexaginta, imo quandoque centum, ut in parabola seminantis dicitur.

In hoc multum insistendum est prædicando exercitia spiritualia sacerdotibus et religiosis.

Denique notandum est, quando agitur *de peccato veniali,* quod plures theologi moderni hoc peccatum etiam quando est deliberatum vocant *peccatum leve,* ita ut peccatum non sit grave nisi sit mortale; unde satis frequens est apud theologos modernos hæc expressio: hoc obligat sub levi, non sub gravi.

Ut notat autem P. Hurtaud (Dialogue de Sainte Catherine de Sienne, trad. fr. t. II, p. 312) Hic modus loquendi non adhibetur a sanctis, quia peccatum veniale deliberatum habet suam relativam gravitatem ut est Dei offensa (quamvis non univoce sicut peccatum mortale). Revera in hoc capite 164 hujusce Dialogi est sermo de aliqua culpa relative gravi contra obedientiam, quæ tamen non est mortalis. Ut notat P. Hurtaud, in medio ævo theologi sicut sancti non vocabant peccatum veniale deliberatum peccatum leve, ut faciunt multi theologi moderni, et hæc terminologia videtur denotare debilitatem sensus christiani et ad tepiditatem forte inclinat. Specialiter quædam peccata venialia deliberata contra virtutes theologicas, quamvis remaneant venialia, possunt satis proxime disponere ad quid gravius, v. g. quædam temeritas in interpretatione S. Scripturæ, quamvis nondum sit in se mortalis.

2um Dubium: *Quandonam Eucharistia causet gratiam?*

Respondent thomistæ: Eucharistia causat gratiam per modum manducationis et ideo quando verum est primo dicere: *jam comestum est et applicatum,* id est: in instanti extrinseco manducationis scil. in primo non esse comestionis.

Et quandonam manducatio censeatur completa? Non quando cibus masticatur in ore, sed quando trajicitur per guttur. Quidam addunt non improbabiliter: « et stomachum attingit », sic completur manducatio corporalis, nam cibus non nutrit, nisi in stomacho.

Corollarium: Hostia in ore consumpta, aut sumpta in ore et ejecta, non causat gratiam. Secus si jam deglutita et in stomachum recepta evomeretur.

Objectio: Cibus materialis non nutrit nisi sit corruptus; ergo pariter Eucharistia nisi species sacramentales sint corruptæ.

Respondetur: Disparitas est, quod cibus materialis nutrit prout a sumente assimilatur, dum cibus spiritualis convertit sumentem in se, et eum sibi assimilat. Unde sufficit quod manducetur.

3um **Dubium:** Utrum Eucharistia causet gratiam ex opere operato etiam post manducationem completam, scil. toto tempore quo species manent in stomacho?

Disputatur: Cajetanus et plures alii, ut Suares et Lugo, respondent affirmative; Soto et alii negative. Utraque sententia probabilis est. Sed secunda videtur probabilior, quia effectus Eucharistiæ promittitur manducanti: « Qui manducat me, vivet propter me », ergo cessante manducatione non amplius producitur.

Insuper ex prima sententia sequeretur quod ampliorem gratiam consequeretur, ille qui lente digerit aut qui grandiorem hostiam vel plures sumeret. Inde daretur locus superstitioni sumendi grandiores et plures hostias, quod prohibuit Innocentius XI.

Denique ex prima sententia sequeretur, quod qui peccatum mortale committeret antequam species sint corruptæ, sacrilegium committeret; quod videtur falsum. Quidquid sit de oppositione harum sententiarum, maximi interest intra tempus gratiarum actionis ferventer orare.

Imo ex ferventi gratiarum actione producitur saltem *ex opere operantis,* et sic *indirecte* per communionem quæ suscitavit hunc fervorem, novum et notabile augmentum caritatis. Propterea sancti semper valde commendaverunt gratiarum actionem post communionem eucharisticam. Imo, ut narratur, S. Philippus videns mulierem subito post communionem ex ecclesia egredientem, misit post illam duos acolythos cum cereis accensis, ut ipsa intelligeret quod sanctissimum sacramentum adhuc in ea præsens erat.

Recapitulatio: Sic terminatur quæstio 79 de effectibus Eucharistiæ. Hæc quæstio sic resumi potest, considerando solum effectus ejus ut est sacramentum ut indicantur in Concilio Tridentino:

1° *De fide est Eucharistiam non conferre per se primam gratiam seu remissionem peccatorum mortalium* (Trid. Denz. 887); unde ut dicit S. Paulus ante Eucharistiæ susceptionem « *probet seipsum homo* », I Cor. XI, 29.

2° Eucharistia confert *gratiam secundam, id est augmentum ejus, per modum cibi spiritualis* (Trid. Denz. 875) *et unionem cum Christo* ejusque corpore mystico.

3° *Hoc gratiæ augmentum consistit principaliter in majori gradu caritatis erga Christum et proximum.* Et hoc diversimode secundum devotionem sumentis; sequitur augmentum proportionatum omnium virtutum infusarum et septem donorum.

4° Eucharistia confert etiam ex opere operato *gratiam actualem devotionis* seu fervoris; et hic effectus impeditur si accedamus ad communionem cum veniali distractione.

5° *Eucharistia peccata venialia remittit,* probabiliter directe et saltem indirecte mediante actu caritatis, quem elicimus ope gratiæ actualis vi sacramenti concessæ.

6° Eucharistia ut sacramentum remittit *pœnam peccato debitam indirecte,* mediantibus actibus caritatis quos sacramentum excitat, et ut sacrificium remittit etiam directe pœnas temporales pœnitentibus contritis.

7° Eucharistia confert ex opere operato *gratias actuales quibus a futuris peccatis præservamur.*

8° *Eucharistia aliquam efficaciam habet etiam in corpore et appetitu sensitivo, moderando scil. concupiscentiam,* augetur enim cum caritate temperantia infusa.

9° *Eucharistia est pignus futuræ gloriæ,* et *jus confert ad gloriosam corporis resurrectionem,* secundum hæc verba Christi: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die ». Joann. VI, 55.

* * *

Nunc tractandum est de ipsa communione, ex parte nostra, nam post considerationem effectum Eucharistiæ agendum est de conditionibus requisitis ad ejus sumptionem ex parte sumentis.

QUÆSTIO LXXX

DE USU, SEU SUMPTIONE HUJUS SACRAMENTI IN COMMUNI

In hoc titulo dicitur « in communi », nam in quæstione sequenti quæritur quomodo Christus ipse usus est hoc sacramento: an ipse sumpserit corpus suum; an dederit illud Judæ; an fuisset in hoc sacramento, si fuisset in triduo mortis reservatum aut consecratum.

Nunc agitur de communione fidelium, seu de conditionibus requisitis ex parte sumentis ad sumptionem Eucharistiæ.

In hac quæstione, sunt duodecim articuli, qui reduci possunt ad duas sectiones:

1ª sectio considerat usum Eucharistiæ secundum se, quoad dispositiones de necessitate requisitas ex ipsa natura sacramenti, usque ad art. 5 incl.

2ª sectio considerat usum Eucharistiæ in ordine ad præceptum divinum et ad præcepta Ecclesiæ ubi est sermo de jejunio eucharistico, de communione sub utraque specie vel sub una tantum.

* * *

Revocandum est in memoria id quod S. Thomas dixit supra q. 73, a. 3: Eucharistiam esse *de necessitate salutis in voto implicito*, prout de necessitate salutis est inchoatio vitæ spiritualis data per baptismum, et hæc inchoatio vitæ spiritualis de se tendit ad ejus consummationem, quæ confertur per Eucharistiam.

Hoc semper præ oculis habendum est initio, quando est sermo de communione. Unde plures commentatores, ut Billuart, tractant de hac necessitate salutis immediate ante quæstiones de communione.

q. 80, a. 1.

Art. I. — UTRUM DISTINGUI DEBEANT DUO MODI MANDUCANDI CORPUS CHRISTI

Status quæstionis: In hoc articulo agitur de ipsa definitione communionis. Quæstio ponitur sub ista forma, quia, in traditione conservata in Glossa ordinaria, citata in argumento « sed contra », distin-

guuntur duo modi manducandi: unus sacramentalis et alter spiritualis. Hæc distinctio fit occasione communionis indignæ.

An debeant distingui hi duo modi, et quare?

Videtur quod non debeant distingui: 1° quia non fit similis distinctio pro baptismo; 2° quia sacramentalis manducatio non debet separari a spirituali manducatione ad quam ordinatur; 3° nec etiam videtur quod communio spiritualis possit esse sine communione sacramentali, quia hæc secunda esset frustra, si sine ea communio spiritualis esse posset.

Responsio tamen est: *Sacramentalis manducatio sine effectu* recte *dividitur contra spiritualem manducationem* per quam quis percipit effectum hujus sacramenti.

Ad intelligentiam hujusce responsionis notandum est id quod dicitur ad 2um: « sacramentalis manducatio, quæ pertingit ad spiritualem, non dividitur contra spiritualem, sed includitur ab ea ».

In corpore articuli, S. Thomas dicit: distinguuntur manifeste duo modi manducandi corpus Christi, prout in uno recipitur sacramentum cum effectu ejus, et in alio recipitur sacramentum absque ejus effectu. (Cf. litteram [1]).

His omnibus igitur consideratis communiter distinguitur *triplex communio*, cf. Concilium Tridentinum Denz. 881 et Catechismum Concilii Tridentini, ubi de communione.

1° *Communio sacramentalis tantum*, id est sine statu gratiæ seu absque communione spirituali, etiam habituali et hoc est sacrilegium.

2° *Communio spiritualis tantum*, quæ est, ut dicitur ad 3um, desiderium ipsius effectus Eucharistiæ.

3° *Communio sacramentalis simul et spiritualis*, qua sumitur Eucharistia cum debitis dispositionibus.

Quoad 1am manifeste distinguitur a duabus aliis, quia est sine effectu.

Quoad *communionem spiritualem tantum*, S. Thomas notat, ad 3um, quod fit per desiderium Eucharistiæ jam institutæ, sed etiam potuit fieri in figura in Veteri Testamento.

1 In corpore articuli S. Thomas dicit: « Contingit quandoque, sicut supra dictum est, qu. præced. a. 3 et 8, quod aliquis impeditur a percipiendo effectu hujus sacramenti; et talis sumptio hujus sacramenti est *imperfecta* ».

Cajetanus posset dicere ad defensionem suæ interpretationis articuli 8 quæst. præced.: S. Thomas dicit nunc « imperfecta » non sacrilega; ergo communio sacramentalis potest privari totaliter suo effectu (si recipitur cum peccato veniali actuali) et tamen non esse sacrilega.

Ad hoc dici potest, quod communio potest privari suo effectu aut partialiter, aut totaliter; si totaliter, hoc videtur esse ex articulo 8 quæst. præced., propter obicem, seu impedimentum totale, quod est peccatum mortale. Si partialiter, est communio imperfecta absque sacrilegio quando v. g. recipitur tenuissimum caritatis augmentum.

De communione mere spirituali dicitur in fine responsionis ad 3um et in Catechismo Concilii Tridentini quod quamvis non tantum fructum producit ac si realiter sumeretur sacramentum, potest tamen uberrimos fructus producere, sit fiat cum magna devotione. Sic potest uberiores fructus producere quam tepida communio sacramentalis, quæ fit cum devotione stricte sufficienti.

Quoad communionem sacramentalem simul et spiritualem, Catechismus Concilii Tridentini notat quod illi qui faciunt communionem spiritualem tantum, quando etiam sacramentalem facere possent, privantur pluribus bonis cœlestibus. Sic apparet quod communio sacramentalis non est superflua. Unde sancti vivide desiderant communionem etiam sacramentalem, cf. Vitam sanctæ Catherinæ Senensis.

Ad 1um notatur quod prædicta distinctio inter sumptionem sacramentalem et sumptionem spiritualem magis fit pro Eucharistia quam pro aliis sacramentis, quia alia sacramenta consistunt in usu materiæ, Eucharistia vero in consecratione materiæ et jam constitutum est sacramentum ante usum ejus. Insuper plura alia sacramenta producunt non solum gratiam, sed characterem, dum Eucharistia non producit characterem, sic communio mere sacramentalis sine spirituali est nulla.

q. 80, a. 2.

ART. II. — UTRUM SOLIUS HOMINIS SIT HOC SACRAMENTUM SPIRITUALITER SUMERE

Id est: an angeli possint communionem spiritualem facere? Videtur quod sic, 1° quia in Glossa ordinaria corpus Christi vocatur cibus angelorum, panis angelicus; 2° quia ad corpus mysticum Christi pertinent etiam angeli; Christus est caput angelorum; 3° manducare spiritualiter convenit sanctis angelis.

Respondet S. Thomas: Angeli uniuntur Christo per visionem et fruitionem caritatis perfectæ, sic spiritualiter manducant Christum *in sua specie, et non sub speciebus hujus sacramenti.*

Unde licet angeli spiritualiter manducent *Christum,* non tamen convenit eis spiritualiter manducare *hoc sacramentum,* et non amplius in illis augetur caritas.

Ad 1um Eucharistia dicitur panis angelorum, prout in via manducatio sacramentalis simul et spiritualis derivatur a manducatione spirituali patriæ, sicut media ad finem derivantur a fine.

Ad 2um: Angeli pertinent ad societatem corporis mystici, non per fidem, sed per visionem. Sacramentum Eucharistiæ non remanebit in patria, in qua videbimus Christum immediate et non sub speciebus panis.

q. 80, a. 3.

ART. III. — UTRUM SOLUS HOMO JUSTUS POSSIT CHRISTUM SACRAMENTALITER MANDUCARE

Hic articulus scribitur ad excludendos plures errores. Quidam dixerunt: Corpus Christi non est præsens in hostia quæ sumitur a peccatore, aut ab infideli, aut ab animali bruto, aut quæ projicitur in locum immundum.

Ad hæc omnia S. Thomas respondet uno et eodem principio: « Christum manere sub speciebus panis, quamdiu species consecratæ durant ». *Ergo peccator sacramentaliter corpus Christi manducare potest.*

Gregorius IX, an. 1371 damnavit similem errorem Joannis de Latone (Denz. 578-580): « Quod si hostia consecrata cadat vel projiciatur in cloacam..., sub speciebus remanentibus *esse desinit corpus Christi* et redit substantia panis... Item si hostia consecrata a bruto sumatur... aut dentibus teritur a peccatore »...

Responsio *negativa* fundatur in textu sancti Pauli I Cor. XI, 29: « Qui enim manducat et bibit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini... non dijudicans corpus Domini ».

Ad 3um: « Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit a peccatoribus crucifigi, absque diminutione suæ dignitatis, præsertim cum mus aut canis (sumens sacramentum) non tangat ipsum corpus Christi secundum propriam speciem, sed solum secundum species sacramentales. Nec tamen dicendum est quod animal brutum sacramentaliter corpus Christi manducet, quia non est natum uti eo ut sacramento ».

q. 80, a. 4.

ART. IV. — UTRUM PECCATOR, SUMENS CORPUS CHRISTI SACRAMENTALITER, PECCET

Status quæstionis: Videtur quod non 1° quia peccatores tangentes corpus Christi sub specie propria non peccabant, imo salvabantur; 2° quia hoc sacramentum est medicina, quæ datur infirmis ad salutem; 3° quia hoc sacramentum est de maximis bonis, quibus nemo male utitur; 4° peccator videndo et adorando Eucharistiam non peccat, quare peccaret eam manducando? 5° Insuper possumus esse in peccato mortali et hoc non scire, secundum illud Pauli: « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum ». Unde nemo vellet sese exponere periculo peccandi, sumendo Eucharistiam, si omnino ad communionem requireretur status gratiæ.

Responsio tamen est affirmativa et est de fide: *Qui, cum conscientia peccati mortalis, Eucharistiam recipit, grave peccatum sacrilegii committit.*

1° Probatur hoc esse de fide ex testimonio S. Pauli, I Cor., XI, 29: « Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit »; id est condemnationem; scil. *fit reus corporis Domini,* ut ibidem dicitur, quasi ipsum rursus crucifigeret; unde addit S. Paulus: « Probet autem seipsum homo ».

Cf. Concilium Tridentinum Denz. 893: « Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, a. s. Et, ne tantum sacramentum *indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur,* statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, *quos conscientia peccati mortalis gravat,* quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem ».

« Si vero, urgente necessitate, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur ». Denz. 880.

In capitulo correlativo, concilium Tridentinum Denz. 880, citat verba S. Pauli: « *Probet autem seipsum homo* », et addit: « Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sanctam Eucharistiam accedere debeat ».

2° *Probatur ratione theologica:* Hæc ratio evolvit id quod dictum est supra q. 79, a. 3: « *spiritualem cibum non debet sumere nisi vivens* ».

— Quicumque hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse unitum et incorporatum Christo.

— Atqui hæc incorporatio fit *per fidem vivam,* quam nullus habet cum peccato mortali.

— Ergo qui cum conscientia peccati mortalis hoc sacramentum sumit, falsitatem committit in re maxima et sacrilegium.

Id est: non habens caritatem non potest recipere caritatis augmentum, et falsitatem committit, quia sese præbet ac si esset in statu gratiæ augendæ et est in statu mortis. (Cf. supra q. 79, a. 1 et 3).

Hoc argumentum ostendit quod *contritio* exigitur per præceptum non solum ecclesiasticum, sed per præceptum divinum.

Insuper jus saltem ecclesiasticum expressum in Concilio Tridentino prescribit *confessionem* sacramentalem, ut servetur id quod exigitur a jure divino, scil. quia per absolutionem sacramentalem attritus fit contritus.

Aliquis tamen posset objicere contra prædictum argumentum: Ad alia sacramenta vivorum suscipienda sufficit contritio sine confessione sacramentali, quare requiratur pro sumptione Eucharistiæ?

Respondetur: quia Eucharistia est perfectissimum omnium sacramentorum continens non solum gratiam, sed gratiæ auctorem; ideo requirit digniorem dispositionem et majorem reverentiam.

Dubium: Quare prædictum peccatum mortale, sic commissum, sit *proprie sacrilegium.*

Respondetur: Quia sacrilegium est profanatio seu violatio rei sacræ (II-II, q. 99, a. 1). Atqui finis communionis eucharisticæ est *major unio cum Christo* per caritatis augmentum, quod non obtinetur nisi jam habeatur status gratiæ. Ergo ille qui conscius est peccati mortalis nequit obtinere effectum et finem communionis, eamque avertendo a suo fine, sacrilegium facit.

Hic est sensus majoris argumenti S. Thomæ: « Quicumque hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo (jam) unitum » per caritatem nempe, et sacramentum sumit ad caritatis augmentum accipiendum.

Ad 1um: E contrario peccatores tangentes Christum in propria specie, durante ejus vita terrestri, *non ex hoc ipso significabant se esse Christo jam unitos.* Sed eum tangebant ad sanationem accipiendam.

Ad 2um: Eucharistia est *medicina confortativa* danda convalescentibus, sic differt a baptismo et pœnitentia quæ dantur ægrotis, imo mortuis.

Ad 3um: Explicatur quomodo possumus male uti maximis bonis, scil. non *quasi principiis* mali usus, sed *quasi objectis* mali usus, sic nemo male utitur virtute tanquam principio mali usus, sed potest superbire de virtute, tanquam de objecto.

Ad 4um: A visione corporis Christi non prohibentur peccatores, quia per visum non accipitur ipsum corpus Christi, sed solum per manducationem.

Ad 5um: Solvitur difficultas quæ oritur ex hoc quod non possumus habere certitudinem absolutam quod sumus in statu gratiæ, sec. illud S. Pauli: « *Nihil enim conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* ».

S. Thomas respondet quod fidelis *non sit sibi conscius peccati mortalis* potest dupliciter contingere: scil. aut *culpabiliter* saltem indirecte, sic est sacrilegium saltem indirectum, sicut est voluntarium saltem indirectum, aut *inculpabiliter,* et tunc non est sacrilegium. Cf. litteram.

Sacrilegium indirectum potest provenire vel *ex culpabili et gravi ignorantia legis* quam homo deberet et posset cognoscere, vel *ex gravi negligentia in examine conscientiæ suæ.* Si vero negligentia ista est *venialis,* non est sacrilegium, nec impeditur saltem tenuissimum caritatis augmentum. q. 79, a. 8. - Imo aliquis *attritus* potest inculpabiliter sese æstimare *contritum.* Unde, ut tutius accedat ad sacram mensam, Ecclesia exigit absolutionem sacramentalem. Sic per absolutionem sacramentalem attritus fit contritus.

Dubium: Utrum obligatio confessionis sacramentalis in casu sit juris ecclesiastici, an juris divini.

Respondetur: sec. plures auctores, ut S. Alphonsum item Billuart et multos alios, hæc obligatio est probabilius juris divini, prout quodammodo exprimitur in verbis S. Pauli: « *Probet autem seipsum homo* », et magis explicite proponitur ab Ecclesia in C. Trid.

* * *

Notandum est quod commentarium Cajetani in nostrum articulum non integraliter servatum est in editione S. Pii V, quia Cajetanus, qui scripsit ante C. Trid., non inclinabat ad opinionem eorum qui dicebant conscium peccati mortalis teneri sub gravi ad confessionem sacramentalem ante communionem, quando adest copia confessoris. Cajetanus dicebat tunc confessio est de consilio, non de præcepto sub gravi.

q. 80, a. 5.

ART. V. — UTRUM ACCEDERE AD HOC SACRAMENTUM CUM CONSCIENTIA PECCATI (MORTALIS) SIT GRAVISSIMUM OMNIUM PECCATORUM

Status quæstionis: Videtur quod sic, 1° quia homo sic fit « reus corporis et sanguinis Domini »; 2° quia communio sacrilega est quasi osculum Judæ traditoris, sec. S. Hieronymum; 3° quia non est quid minus grave quam projicere Eucharistiam in lutum.

Responsio tamen est: *hoc peccatum secundum suam speciem est gravius multis aliis, sed non est gravissimum omnium.*

Probatur:

— Peccatum aliquod est alio gravius per se seu sec. suam speciem, *ratione objecti.*

— Atqui *ratione objecti,* graviora sunt peccata quæ sunt directe contra divinitatem, ut infidelitas, blasphemia; postea ea quæ sunt directe contra humanitatem Christi in propria specie, ut peccatum occisorum Christi, et deinde peccata contra sacramentum continens humanitatem Christi. - Ergo.

Sed *per accidens,* vg. ratione contemptus, communio sacrilega est gravior quam blasphemia commissa ex infirmitate, absque certa malitia.

Ad 1um: Unde peccatum occidentium Christum fuit multo gravius, sed communio sacrilega quamdam similitudinem habet cum eo.

Ad 2um: Item quamdam similitudinem habet cum peccato Judæ traditoris sed quantum ad criminis quantitatem est quid minus grave, et quam infidelitas, « quæ funditus separat hominem ab Ecclesia ».

Ad 3um: Projicere eucharistiam in lutum est peccatum multo gravius quam communio sacrilega, quia hoc fit ex intentione injuriam faciendi huic sacramento, quod non intendit peccator indigne corpus Christi accipiens.

q. 80, a. 6.

ART. VI. — UTRUM SACERDOS DEBEAT DENEGARE CORPUS CHRISTI PECCATORI PETENTI

Status quæstionis: Videtur quod sic: 1° quia Dominus præcepit: « *Nolite sanctum dare canibus* », et non est transgrediendum Christi præceptum ad vitandum scandalum vel diffamationem alicujus. - 2° Minus malum quam sacrilega communio videtur esse hæc infamatio peccatoris, aut etiam minus malum est dare huic peccatori petenti hostiam non consecratam. - 3° Quid putandum est de antiqua quadam consuetudine dandi corpus Christi suspectis de crimine ad criminis manifestationem?

Responsio communis distinguit inter *peccatores publicos* et *peccatores occultos.*

Sunt igitur tres conclusiones:

1a *Peccatoribus publicis* evidentia facti vel juris (sive publice, sive occulte petant) *deneganda est communio sacramentalis* extra mortis articulum. Supponitur quod tunc in articulo mortis pæniteant ut dicitur in fine corp. art.

Hoc explicatione indiget: peccatores dicuntur publici aut evidentia facti, v. g. publici usurarii, vel. publici raptores; aut evidentia juris, per aliquod judicium ecclesiasticum, vel sæculare. Ratio est data a S. Cypriano citato in corp. art.: esset profanatio sanctissimi sacramenti sec. illud Domini citatum in 1a diff.: « Nolite sanctum dare canibus » (cf. ad 1um).

In Codice Juris Canonici, n° 855 legitur: « Arcendi sunt ab Eucharistia *publice indigni,* quales sunt *excommunicati, interdicti, manifestoque infames,* nisi de eorum pœnitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfacerint ».

Sed attente considerandum est quid sit proprie *peccator publicus* cui deneganda est communio; sic dicitur, non is præcise cujus peccatum est aut fuit publicum, sed alio duplici sensu, ut constat ex Codice Juris canonici et etiam ex textu S. Thomæ: 1° *est is cujus status peccaminosus est publicus,* ut publici usurarii, publici raptores, ut dicit S. Thomas, *excommunicati, interdicti, manifesto infames,* ut dicit Codex Juris; id est, ut ait Billuart, est peccator de quo moraliter notorium est quod sit in statu peccati, puta, quia pergit in crimine, vel nulla apparet aut præsumitur pœnitentia. - 2° modo dicitur *peccator publicus,* in ordine ad privationem communionis, is qui, licet legitime confessus et justificatus, nondum tamen sic vitam emendavit, ut scan-

dalum publicum, ex enormitate et infamia criminum secutum, reparaverit. Hi sunt qui referuntur in rituali romano: « Excommunicati, interdicti, manifeste infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortelegi, blasphemi et alii ejus generis peccatores ».

Propter alia igitur peccata communia, etsi publica, non deneganda est communio, saltem inconsulto episcopo; quia per confessionem et per ipsam communionem reparatur scandalum ex his peccatis communibus sequi natum.

2ª *concl.: Peccatoribus occultis publice petentibus danda est Eucharistia.*

Ratio est quia quilibet baptizatus jus habet ad accedendum ad dominicam mensam, et non potest ei jus suum tolli, *nisi pro aliqua causa manifesta.* Sic Christus non denegavit communionem Judæ. (Sec. traditionalem opinionem Judas corpus Christi accepit sacramentaliter) cf. infra, q. 81, a. 2.

Aliis verbis, ut dicit S. Thomas ad 1um: « *occulta non possunt publice puniri, sed sunt judicio divino reservanda* ».

Insuper hoc convenit propter tranquillitatem Ecclesiæ et societatis civilis, ex impotentia probandi crimen occultum. - Codex Juris, can. 855, dicit: « Occultos peccatores minister non repellat, si *publice* petant et *sine scandalo ipsos prœterire nequeat* ».

3ª *Potest tamen sacerdos qui crimen cognoscit, occulte monere peccatorem occultum,* vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant et Ecclesiæ reconcilientur.

Ad 2um: respondetur huic difficultati: minus malum quam sacrilega communio est *diffamatio peccatoris occulti;* ergo melius est eum diffamare denegando ei communionem; vel dari potest ei hostia non consecrata.

Respondet S. Th.: « *nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato* ». Et in casu sacerdos denegans communionem peccatori occulto, publice petenti, peccaret mortaliter.

Insuper « *hostia non consecrata* nullo modo debet dari loco consecratæ, quia sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios præsentes, sive etiam ipsum sumentem ». Ita Augustinus et decreta Ecclesiæ, speciatim decretum Innocentii III, lib. III, tit. 47, cap. 7 citatum a Faucher.

Ad 3um in fine, S. Thomas notat contra quamdam antiquam consuetudinem:

« Nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, *quasi ad examinationem* » scil. ut manifestet crimen suum occultum, potiusquam faciat communionem sacrilegam. Ratio ibidem datur immediate antea, scil.: « Gravius videretur (quam occultatio criminis), si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis

incurreret judicium mortis ». Unde ut dicit Stephanus papa, ibid. citatus: « Occulta et incognita illi sunt relinquenda qui solus novit corda filiorum hominum ».

* * *

Dubium: An communio sit deneganda *peccatoribus occultis,* non publice sed *occulte petentibus.*

Respondetur affirmative in Codicem Juris can., n° 855, § 2: « Occultos peccatores, si *occulte* petant et eos non emendatos agnoverit, minister repellat ».

q. 80, a. 7.

ART. VII. — UTR. NOCTURNA POLLUTIO ALIQUEM IMPEDIAT A SUMPTIONE HUJUS SACRAMENTI

Status quæstionis: Nocturna pollutio nihil aliud est quam *pollutio in se involuntaria* in somno. Et ponitur quæstio quia hæc pollutio in se involuntaria, potest esse *voluntaria in causa,* aut saltem indirecte culpabilis venialiter, imo etiam quandoque mortaliter [1]. His positis, duplex est conclusio:

1° *Pollutio nocturna quæ est sine peccato, aut cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem Eucharistiæ.* Quia ex prædictis constat, quod solum peccatum mortale eam sic impedit. Est cum peccato veniali, vg. si provenit ex lectione curiosa libri leviter turpis, aut ex immoderatione veniali in cibo. Tunc eliciendus est actus doloris ante communionem.

2° *Pollutio nocturna quae est cum peccato mortali impedit ex necessitate communionem,* propter rationem datam. Et potest esse peccatum mortale vg. si provenit ex lectione vel auditione voluntaria rerum valde turpium, quæ fuit illicita causa proxima et directa pollutionis. E contrario si provenisset ex lectione necessaria vel utili alicujus capitis theologiæ de sexto præcepto.

Ad 2um: usus legitimus matrimonii non impedit communionem. Nec etiam si sit cum peccato veniali; impedit autem si sit cum peccato mortali, scil. contra generationem prolis.

1 Supponitur quod pollutio directe aut indirecte voluntaria est peccatum, quia nunquam licitum est provocare ejectionem seminis præter usum matrimonii, quia sec. ordinem naturæ semen est propter generationem prolis, non propter conservationem nec delectationem individui. Sic pollutio voluntaria habet repugnantiam cum natura. Et insuper si pollutio directe voluntaria non esset graviter prohibita, propter proclivitatem in venerea ordo naturæ mox subverteretur.

Hæc sunt *jura speciei conservandæ,* cui per se subserviunt functiones generationis et amor ac delectatio concomitantes. Hoc firmissime tenendum est contra onanismum, et culpam pollutionis directe voluntariæ.

q. 80, a. 8.

ART. VIII. — DE JEJUNIO EUCHARISTICO

Cf. Codex n° 858. « Qui a media nocte jejunium naturale non servaverit nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti, nisi mortis urgeat periculum, aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum ».

« Infirmi tamen qui jam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint ».

Jejunium eucharisticum est igitur *jejunium naturale* quod consistit in *abstinentia a quacumque re quæ sumitur per modum cibi aut potus*, aut *medicinæ*, in quantumvis minima parte, *post mediam noctem*. Et hoc jejunium naturale requiritur *ex præcepto ecclesiastico* ad communionem.

Sic statuunt antiqua Concilia: C. Cartaginense 3°, can. 3; C. Trullanum, can. 27; C. Toletanum 7, can. 2; C. Trid. sess. 13, cf. Denz. 626.

S. Thomas in corpore articuli dat tres rationes convenientiæ hujusce præcepti ecclesiastici:

1° *propter reverentiam tanti sacramenti*, ut scil. in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum.

2° *propter significationem;* ut supremum caritatis convivium antecedat omne aliud convivium materiale.

3° *propter periculum vomitus et ebrietatis*, quæ quandoque contingerent, ut notat S. Paulus, I Cor., XI, 21: « Alius quidem esurit, alius ebrius est ».

Quidam objiciunt: Christus instituit et distribuit Eucharistiam post cænam. Ergo non convenit hoc jejunium.

Resp.: Christus habuit speciales rationes instituendi et distribuendi Eucharistiam post cænam: 1) hoc ultimum faciendo, voluit arctius, infigere cordibus et memoriæ discipulorum altitudinem hujusce mysterii; 2) voluit ut desineret vetus pascha, incipiente nova; 3) hoc fecit, ut memoriale passionis cum ipsa passione conjungeretur.

Ad 4um: Reliquiæ cibi remanentes in ore, seu in dentibus, si casualiter deglutiantur, non impediunt communionem.

Ad 6um: Debet etiam esse aliqua mora inter sumptionem hujus sacramenti ed alios cibos.

q. 80, a. 9.

ART. IX. — UTRUM NON HABENTES USUM RATIONIS DEBEANT SUSCIPERE HOC SACRAMENTUM

Status quæstionis: Ut dicitur in tribus difficultatibus initio articuli positis, dubium est: utrum conveniat non dare Eucharistiam parvulis ante usum rationis, et etiam amentibus et energumenis in intervallo lucido. Imo quæritur non solum an sit conveniens, sed an sit necessarium illis dare Eucharistiam, propter præceptum Domini: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis non habebitis vitam in vobis ». Joann. VI, 54.

Fuit olim quarumdam Ecclesiarum consuetudo quæ viget adhuc in pluribus ecclesiis orientalibus, præsertim schismaticis, pueris sanctam communionem præbendi, ut confortarentur contra persecutionem, et ut abstraherentur ab idolorum sacrificiis. Parvuli sic accipiebant augmentum gratiæ habitualis, non devotionis actualis. Sed Ecclesia romana propter reverentiam sacramenti et ob defectum probationis, prohibet communicare infantes; sic in Ecclesia occidentali cessavit hæc consuetudo. Unde IV Conc. Lateranense (Denz. 437) præcepit pueros communicare cum ad annos discretionis pervenerint. Item S. Trid.: Denz. 891. - Ibidem Denz. 933, dicitur: « Parvulos non obligari ad communionem sacramentalem ». Denz. 937: « Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, an. sit ».

Nunc in Codice, n° 854, legitur: « 1° Pueri, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habent, Eucharistia ne ministretur. - 2° In periculo mortis, ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est ut sciant corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare. - 3° Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinæ christianæ et accuratior præparatio merito exigitur, ea scil. qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro captu suo percipiant, et devote pro suæ ætatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant ».

In corpore articuli S. Thomas respondet:

1° *Communio non deneganda est iis qui debilem usum rationis habent* quia possunt aliquam devotionem hujus sacramenti concipere.

2° *Communio deneganda est iis qui nunquam habuerunt usum rationis*, quia in eis nullo modo præcessit hujus sacramenti devotio. (Cf. ad 3um. Codex n° 88, 3. Vix enim infantes possunt Eucharistiam suscipere sine periculo irreverentiæ, et *perpetuo amentes assimilantur parvulis*).

3° *In articulo mortis non deneganda est his qui carent nunc usu rationis, sed non semper caruerunt et habuerunt devotionem hujus sacramenti, nisi timeatur periculum evomitus vel expulsionis.* Saltem hoc est probabilius. (Cf. IV Conc. Carthaginense, can. 7 et catechismum romanum).

Item *ad* 1um: præsertim illis danda est communio si habent in articulo mortis intervallum lucidum. Ita semifatuis, ita surdis et mutis a nativitate si per signa ostendant discretionem inter hunc cibum et profanum.

Ad 3um in fine: « Quando jam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere hujus sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri ».

Ad 2um: Energumenis, vexatis a dæmone, dum sunt sui compotes, exhibenda est communio, non solum in articulo mortis et in Paschate, sed etiam in aliis temporibus, juxta judicium prudentis confessarii. (Cf. ea quæ de hac re dicuntur in Rituali romano).

Ut refert Soto, olim viguit in Hispania et in Gallia praxis denegandi Eucharistiam damnatis ad extremum supplicium; sed talis usus reprobatus fuit a Summis Pontificibus, et hodie nihil prohibet quin *capite damnati* communicent per modum viatici etiam ipso die executionis, dummodo tamen communio per horam executionem præcedat, ita ut periculum irreverentiæ absit.

Cf. de his rebus: Hervé, *Manuale theologiæ dogmaticæ*, vol. IV, p. 255.

q. 80, a. 10.

ART. X. — UTRUM LICEAT QUOTIDIE HOC SACRAMENTUM SUMERE

Status quæstionis· Quæstio de communione quotidiana aut saltem frequenti id est pluries in hebdomada, sæpe agitata est, præsertim tempore Jansenismi. (Cf. de hac re: *Dict. Theol. Cath.* art. E. Dublanchy, *Communion eucharistique* [*fréquente*]. — P. Dudon S. J., *Pour la communion fréquente,* Paris, 1921. — Ferrerès, *La communion fréquente et quotidienne,* Paris, 1907).

Cf. præsertim decreta S. Sedis, Denzinger, 881, sq. 944, 955, 1147, 1978, 1981, sq. 2137 sq., 2141, 2142.

Codex Juris can. 595, § 2, et 863.

Ad modum status quæstionis videamus prius difficultates positas initio articuli; quasdam renovaverunt Jansenistæ in sua propria sententia. Videtur quod non liceat quotidie sumere Eucharistiam, 1° quia repræsentat Passionem sicut baptismus, qui semel tantum recipitur; 2° quia Eucharistia figurabatur per agnum paschalem, qui non manducabatur nisi semel in anno, et semel in anno Ecclesia celebrat Passionem hebdomada sancta; 3° quia maxima reverentia debetur Eucharistiæ, et

assueta vilescunt; hæc objectio speciatim renovata est a Jansenistis; 4° si quotidie sumenda esset, quare non pluries in eadem die; 5° denique ex statutis Ecclesiæ fideles tenentur solum semel in anno communicare.

Schola Janseniana ad communionem frequentem ita eximias dispositiones exigebat, ut hæc *vix possibilis* evaderet fidelibus (cf. Antoine Arnauld in libro: *De la fréquente communion,* 1643).

Verum est quod fuit etiam excessus contrarius; sic quidam, ut P. Pichon, S. J., *L'esprit de Jésus Christ et de l'Eglise sur la communion fréquente,* 1745, quotidianam communionem indiscriminatim commendabant omnibus, qui *in statu gratiæ* versabantur, etsi nulla adhiberetur præparatio aut gratiarum actio.

Imo Pinto et Vega dixerunt communionem quotidianam jure divino esse præscriptam. (Cf. Ferrerès, *op. cit.,* n. 99 et 250).

Doctrina Ecclesiæ est: (Denz., Index, p. 34): Communio frequens etiam quotidiana omnibus qui *cum recta mente* accedunt, commendatur.

In Concilio Tridentino: Denz. 882 dicitur pro « omnibus et singulis qui christiano nomine censentur »: « Hæc sacra mysteria corporis et sanguinis Christi ea fidei constantia et firmitate, *ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur,* ut panem illum supersubstantialem (Mt., VI, 11) *frequenter suscipere possint,* et is vere eis sit animæ vita et perpetua sanitas mentis ». Ibidem: Denz. 944: « Optaret quidem sancta Synodus, ut *in singulis Missis fideles adstantes* non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione *communicarent,* quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret ».

Item Catechismus Concilii Tridentini.

Innocentius XI, Denz. 1147, declarat quod ad judicium confessariorum pertinet decernere quid singulis permittendum est, et hoc documentum insistit in bona dispositione ac pietate requisita ad quotidianam communionem et redarguit asserentes quotidianam comunionem esse de jure divino.

Alexander VIII damnat de hac re duas propositiones Jansenistarum. Denz. 1312-1313.

Leo XIII, Denz. 1978, commendat communionem frequentem.

Pius X, Denz. 1981-1990, adhuc magis exhortat ad communionem frequentem, imo quotidianam, populum christianum, id est omnes fideles cujuslibet conditionis, « *ita ut nemo, qui in statu gratiæ sit et cum recta piaque mente ad sacram mensam accedat, impediri ab ea possit* » (1985).

Item 1986: « *Recta autem mens* in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit, non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, sed *Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate conjungi ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere* ».

Item 1987: « Maxime *expedit* ut frequenti communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque *affectu* sint expertes; *sufficit* nihilominus, ut culpis mortalibus vacent, cum proposito, se nunquam in posterum peccaturos ». Commendatur præparatio ad sacram communionem et gratiarum actio.

Item Pius X (Denz. 2137-2144) declarat quod « ætas discretionis tum ad confessionem tum ad sacram communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum »; et n. 2142 dicit: « Post primam communionem iidem pueri ad sacram mensam sæpius accedant, et si fieri possit, *etiam quotidie,* prout Christus Jesus et mater Ecclesia desiderant ».

Item Codex juris, n. 863.

* * *

S. Thomas in corpore nostri articuli dat rationes theologicas consuetudinis Ecclesiæ, et inclinat ad communionem quotidianam commendandam omnibus qui sunt in statu gratiæ et accedunt ad sacram mensam cum « recta et pia intentione » ut dicet Pius X.

In hoc articulo sunt duæ conclusiones, ut vitetur omnis deviatio per excessum aut per defectum:

1a conclusio: *Ex parte ipsius sacramenti, utile est quotidie ipsum sumere,* ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Hoc corroboratur auctoritate Augustini (sed contra) qui dixit in libro *de Verbis Domini* serm. 28: « Iste panis quotidianus est, accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit ». Item Pseudo-Ambrosius seu auctor libri *de sacramentis* citatus in corpore articuli: « qui semper pecco, debeo semper habere medicinam ». In hoc insistit Pius X.

2a conclusio: *Ex parte sumentium, si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat* (judicio confessarii), *laudabile est quod quotidie sumat. Ita Augustinus:* « Sic vive, ut quotidie merearis accipere ». Sed pro multis, propter indispositionem corporis vel animæ, hoc non est utile.

Hæc ultima verba explicantur in responsionibus ad difficultates:

Ad 1um: Dum baptismus semel tantum recipitur, prout ab eo accipitur character et nativitas spiritualis, quæ est janua omnium sacramentorum, Eucharistia, quæ characterem non imprimit, *laudabibiliter sumitur quotidie,* quia « *quotidie homo indiget salutifera Christi virtute* »; et quia « est *cibus spiritualis,* unde, sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est ».

Ita dicet Pius X.

Ad 2um: Agnus paschalis offerebatur semel in anno, quia præfigurabat cruentam passionem Christi, quæ semel evenit; « sed in hoc sacramento traditur nobis memoriale passionis Christi *per modum cibi, qui quotidie sumitur* ».

Ad 3um respondetur objectioni renovatæ postea a Jansenistis, scil. « propter reverentiam Eucharistiæ, non est quotidie sumenda » quia assueta vilescunt.

Respondet sanctus Thomas: « Ex amore provocatur desiderium sumendi, ex timore filiali autem consurgit humilitas reverendi. Et ideo *utrumque* pertinet ad reverentiam hujus sacramenti, et quod quotidie sumatur et quod aliquando abstineatur... *Amor tamen et spes præferuntur timori* ».

Ad 5um: S. Thomas notat quod « in primitiva Ecclesia, quando magna vigebat devotio fidei christianæ, statutum fuit ut quotidie fideles communicarent, ut dicit papa Anacletus. Postmodum vero, diminuto fidei fervore, Fabianus papa præscripsit saltem ter in anno; et postmodum Innocentius III, saltem semel in anno... Consulitur tamen omnibus diebus dominicis esse communicandum ».

Unde doctrina exposita a S. Thoma inclinat ad id quod statutum est a Pio X. S. Bonaventura videtur magis exigere quoad dispositiones requisitas ad communionem frequentem.

Aliquis posset dicere, sed nunc non est major devotio, quam in præcedentibus sæculis: ergo non convenit tam commendare quotidianam communionem.

Ad hoc respondetur: non est major devotio in massa hominum et etiam christianorum, qui sæpe nequidem missam die dominica audiunt.. Sed, in cœtu fidelium qui quotidie ad missam veniunt, est sufficiens devotio ut quotidie communionem accipiant. Et hic pusillus grex debet compensare iniquitatem multorum.

Forsitan ita erit in fine temporum, quando, ut legitur apud Matth. XXIV, 12: « abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum ». Tunc forte multi non amplius venient ad sacram mensam, sed illi qui ad eam venient, quotidie venient et cum magno fervore.

* * *

Notandum est quod sancti generaliter commendaverunt communionem quotidianam, exhortando fideles ut sese digne præparent ad eam sec. verbum Augustini citatum: « *Sic vive ut quotidie merearis accipere* ». Ita auctor Imit. Christi l. IV, c. 3: Quod utile est sæpe communicare, c. 10 quod sacra communio de facili non est reliquenda, et c. 11 Legere c. 3, n. 2.

Ita S. Vincentius a Paulo multum impugnavit doctrinam Jansenistarum de hac re; dum plures theologi venenum superbiæ hujusce doctrinæ non videbant, ipse S. Vincentius hoc vidit præsertim ex hoc signo quod Jansenistæ avertebant fideles a pane eucharistico suscipiendo.

Citari possunt ut testimonium traditionis contra Jansenismum, sæculo XVIII regulæ formulatæ a S. Alphonso: Communio semel in

hebdomada consulitur his qui habitualiter vitant peccatum mortale. — Communio frequens consulitur iis qui vitant habitualiter peccata venialia plene deliberata. — Communio quotidiana consulitur iis qui solum ex fragilitate peccant venialiter sine deliberatione.

Quoad commentarium Cajetani in nostro articulo aliquid notandum est. Cajetanus sic explicat verba Augustini: « *Sic vive, ut quotidie merearis accipere* », id est, inquit, ut quotidiana communione vita spiritualis nostra *semper augeatur*... per augmentum gratiæ: « quoniam, inquit Cajetanus, *per totum tempus præsentis vitæ, sumus in statu augmenti* »; sumus enim viatores, velut pueri vel adolescentes qui nondum pervenerunt ad staturam vel ætatem perfectam, et qui proinde alimento specialiter indigent, non solum ad conservationem vitæ, sicut adulti, sed ad augmentum vitæ.

Unde addit Cajetanus: « Propter quod crebro aut quotidie celebrantes discutiant in seipsis fructum præteritæ celebrationis ». Ex sequentibus verbis apparet quod Cajetanus retinet suam specialem opinionem enuntiatam q. 79 a. 1. Sed abstrahendo ab hac speciali opinione, verum est quod quælibet communio deberet augere in nobis caritatem. Imo quælibet communio deberet esse substantialiter ferventior quam præcedens.

De conditionibus ferventis communionis. (Cf. Imitatio J. Christi, l. IV, c. 13, 14, 17).

Conditiones istæ reduci possunt ad unam, nempe ad *famem Eucharistiæ* scil. ad vivum ejus desiderium, procedens simul a firma fide de præsentia reali, a spe viva et ab ardente caritate, necnon a vera et solida pietate. Sic anima convenienter accedit *ad sacrum convivium, « mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur »*. Etiam in hoc sensu dicitur: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur ».

Sicut enim alimentum ordinarium eo magis suum effectum producit *quo magis esurimus,* ita alimentum spirituale. Item, sicut fornax ignis eo magis nos calefacit, quo magis ad eam appropinquamus, ita Christus præsens in Eucharistia est velut fornax ardens caritatis, et eo magis auget amorem Dei in animabus, quo magis generose ad eum accedunt.

q. 80, a. 11.

ART. XI. — UTRUM LICEAT CESSARE OMNINO A COMMUNIONE

Respondetur negative: quia ut vidimus hoc sacramentum est de necessitate salutis, in quantum sine voto saltem implicito percipiendi hoc sacramentum, non potest homini esse salus.

— Atqui frustra esset votum nisi impleretur quando opportunitas adest. Ergo etiam ex mandato Domini non licet cessare omnino a communione.

Ex præcepto autem Ecclesiæ debemus recipere Eucharistiam saltem semel in anno, scil. in Pascha.

Responsio *ad* 1um potest afferri contra Jansenistas: « non potest esse laudabilis humilitas si contra præceptum Domini et Ecclesiæ aliquis abstineat ».

q. 80, a. 12.

ART. XII. — UTRUM LICEAT SUMERE CORPUS DOMINI SINE SANGUINE

Status quæstionis: Circa communionem sub utraque specie de qua agitur in hoc articulo, cf. opusculum Cajetani quod invenitur in edit. leonina post suum Commentarium; cf. etiam Billuart et *Dict. Théol.*: Communion eucharistiq. sous le deux espèces, c. 552-572.

Initio S. Thomas ponit difficultates quæ renovatæ sunt a Wicleff, a Joanne Hus, a Luthero et Carlostadio.

Mirum est quod multi protestantes negent præsentiam realem, sed volunt quod omnes etiam laïci communicent sub utraque specie.

Doctrina Ecclesiæ Concilium Constantiense damnavit errorem J. Wicleff, Denz. 626 et errorem Joannis Hus, Denz. 668. Leo X damnavit errorem Martini Luther, Denz. 756.

C. Trid. (Denz. 934) definivit: « *Si quis dixerit ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere, an. sit* », quod explicatur in correspondenti capitulo n. 930.

Labente sæculo decimo quarto, Joannes Hus et discipuli ejus, sicut paulo antea Wicleff, usum communionis sub utraque specie jam antiquatum, ut necessarium resuscitaverunt.

Carlostadius eundem errorem propugnavit. Lutherus vero inconstans fuit circa hanc materiam; primo usum calicis indifferentem dixit, postea sustinuit quemlibet sacerdotem teneri utramque speciem fidelibus offerre, fidelibus autem liberum esse utramque vel unam sumere. Tandem damnavit communionem sub una specie, tanquam Christi institutioni contrariam.

Calvinus et Calvinistæ, quamvis præsentiam realem negent, contendunt Eucharistiam non posse suscipi nisi sub utraque specie.

Ergo contra hæreticos dicendum est cum Concilio Trid.: fideles laïci aut sacerdotes non consecrantes nullo præcepto divino tenentur communicando, sumere utramque speciem.

Hoc probatur quia tale præceptum erui non potest ex Scriptura, neque ex antiqua praxi Ecclesiæ, neque ex sanctis Patribus, neque ex natura sacramenti.

1° quidem *tale præceptum erui non potest ex Scriptura;* et hoc asseritur in Cap. I, sess. XXI, Conc. Trid., Denz. 930: « Etsi Christus Deus in ultima cœna venerabile hoc sacramentum in panis et vini speciebus instituit et Apostolis tradidit, non tamen illa institutio et traditio eo tendunt, ut *omnes* Christi fideles statuto Domini *ad utramque speciem accipiendam astringantur* ».

Objiciunt hæretici: Christus suis discipulis dedit communionem sub utraque specie, « *comedite... et bibite ex eo omnes* »; et non solum sunt verba invitantis sed præcipientis, nam postea dixit: « *Hoc facite in meam commemorationem* ». Hæc ultima verba non tantum Apostolos sed omnes respiciunt.

Respondendum est quod hæc ultima verba « *Hoc facite...* » leguntur quidem apud Lucam, XXII, 19 et in I Cor., XI, 25, et apud eos tantum: ac in his duobus textibus inveniuntur immediate *post consecrationem panis,* ante consecrationem vini. Post consecrationem vini reiterantur conditionate tantum; scil. « hoc facite, *quotiescumque bibetis,* in meam commemorationem ». I Cor., XI, 25.

Non ergo Dominus præcepit ut absolute bibatur, sed si bibatur, in ejus commemorationem hoc fit. Et hæc responsio confirmatur ex hoc quod addit S. Paulus versiculo sequenti: « quicumque manducaverit panem hunc, *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini ». Dum dicit *vel* manifestat corpus et sanguinem posse seorsim sumi.

Tandem dicendum est quod Christus non præcepit OMNIBUS omnia quæ ipse fecit in institutione hujus sacramenti, alioquin laici et mulieres possent et deberent consecrare.

2° Objiciunt hæretici ex celebri loco Joannis, VI, 54: « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis* ».

Respondetur *ex Trid.*: hæc verba præcipiunt *sumptionem* corporis et sanguinis, sed non modum sumendi. Atqui etiam sub una specie, recipitur caro et sanguis Christi. Unde ut ostendit concilium Tridentinum Denz. 930: *ipse Christus soli sumptioni unius tantum speciei totum effectum adscribit;* (cf. Joannem, VI, 52, 59: « *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* ». Et qui dixit « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam æternam » dixit etiam « Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita » Et denique qui dixit: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo » dicit nihilominus: « *Qui manducat hunc panem vivet in æternum* ». Ita Concilium Tridentinum loc. cit. *Imo Christus in hoc capitulo undecies mentionem fecit de hoc sacramento sub specie panis,* quater autem tantum sub nomine carnis et sanguinis. *Ex quibus liquido patet ipsum intendisse non tam modum sumendi, quam rem sumendam et sub sola specie panis sufficere ad salutem.* Ibi Christus præscribit medium vitæ conservandæ, *atqui medium conservandæ vitæ spiritualis non consistit in modo sumendi* sub una vel sub utraque specie, *sed in re contenta sub istis;* continetur autem sub una specie sicut sub utraque. Denique non constat num particula ET in his verbis debeat sumi *copulative an disjunctive,* forsitan sumitur disjunctive sicut in S. Paulo disjunctive dicitur: « qui manducaverit panem hunc *vel* biberit ».

2° *Nec ex antiqua praxi Ecclesiæ* erui potest hoc præceptum divinum de communione sub utraque specie. Fateri quidem oportet, primis sæculis usque ad duodecimum, non infrequentem fuisse communionem sub utraque specie; at negandum est hanc consuetudinem fuisse usurpatam tanquam necessariam ad salutem aut ex præcepto divino. Nam in multibus casibus omittebatur et fiebat sub alterutra specie. 1° quidem tempore Apostolorum, primi fideles dicuntur *in Actibus Apostolorum* c. 2 « perseverantes *in communicatione fractionis panis* », ubi nulla mentio calicis. 2° in communione *infirmorum* historice constat speciem panis tantum porrectam fuisse; 3° ita etiam *in communione infantium.* 4° *in communione domestica,* fideles tempore persecutionis et omnes qui eremiticam vitam agebant, asportabant secum eucharistiam, sub specie panis, ut tempore opportuno communionem sumerent. 5° tandem in communione publica aliquando porrectam fuisse solam speciem panis. Et si fuisset de hoc præceptum divinum nunquam ab hoc usu Ecclesia recessisset. Ad finem sæculi XIII usus calicis fere ubique abrogatus fuit nullo reclamante. (Cf. argumentum « sed contra » in articulo Divi Thomæ).

3° *Neque ex sanctis Patribus* hoc præceptum erui potest. Dum de communione sub utraque specie sermonem habent, sancti Patres attendunt ad usum communem suis temporibus ex disciplina Ecclesiæ receptum. *Nunquam dixerunt id esse juris divini.* Fuit tantum lex ecclesiastica de ejus modi communione, tempore S. Leonis et Gelasii occasione manichæorum, quia manichæi non communicabant *sub specie vini,* eo quod vinum esse fel draconis et a patre diabolo dicebant. Consequenter contra hunc errorem S. Leo præcepit omnibus utramque speciem sumere. Contra eumdem errorem loquitur Gelasius papa apud Gratianum (cf. 1am objectionem Divi Thomæ et 2am objectionem) dum jubet ut omnes « integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdem mysterii, sine grandi sacrilegio, non potest provenire ».

Equidem *manichæi cum sacrilegio hoc mysterium dividebant, quatenus non admittebant utramque speciem esse sacramentum;* non sic autem dividunt fideles, qui sub una specie communicant, ut dicit S. Thomas *ad 2um*.

Amplius juxta plures, inter quos divum Thomam, in responsione ad 1um et 2um, istud decretum Gelasii damnat dumtaxat *quosdam sacerdotes qui, ex quadam superstitione, post consecrationem sumebant tantum corpus non sanguinem.* Idque videtur aperte colligi ex titulo

hujusce canonis « *corpus Christi sine ejus sanguine sacerdos non debet accipere* ».

4° *Demum non ex natura sacramenti erui potest hoc præceptum, quia totus Christus corpus ejus et sanguis est sub qualibet specie*, si non vi verborum, saltem per concomitantiam. Et hoc probatur a Concilio Tridentino dum dicit in 3° canone circa hanc materiam (Denz. 936): « *si quis negaverit totum et integrum Christum*, omnium gratiarum fontem et auctorem, *sub una panis specie sumi:* A. S. » et in capite 3 (Denz. 932): « Quamvis Dominus noster... hoc sacramentum in duabus speciebus instituerit, tamen fatendum esse, etiam *sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi*, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt ».

Theologi autem plures evolvunt hoc argumentum, dicendo quod *tota ratio* non sacrificii sed *sacramenti*, saltem *ex parte rei contentæ* salvatur in una specie. Species enim panis totum Christum continet, quodammodo significat passionem ejus, quia corpus solum « vi verborum » ponitur sub specie panis; significat refectionem spiritualem, quia proponitur ut cibus et *in refectione spirituali non distinguitur inter cibum et potum*, loquimur *de gratia cibante tantum*. Tandem species panis significat unionem fidelium inter se et in Christo, quatenus ex multis granis unus panis efficitur.

Item *quoad efficientiam tota ratio* sacramenti salvatur in specie panis, quia signa sensibilia in sacramentis non causant gratiam ex seipsis, sed ex virtute sibi impressa; in hoc autem sacramento, loco virtutis impressæ, est ipse Christus totius gratiæ fons et origo, qui *totus sub una specie continetur*.

S. Thomas in corpore articuli ostendit duo: 1° quidem quod *sacerdos consecrans debet communicare sub utraque specie;* et 2° quod *Ecclesia justis de causis prohibuit laicis usum calicis*.

1° Ostendit quod sacerdos consecrans debet communicare sub utraque specie, quia *ex parte ipsius sacramenti convenit quod utrumque sumatur*, scil. corpus et sanguis, quia in utroque consistit perfectio sacramenti. Et hoc clarum est, sanguis Christi enim nobis datur in hoc sacramento per modum *potus*, sicut corpus Christi per modum *cibi;* unde ex parte ipsius sacramenti convenit quod utrumque sumatur; aliis verbis, sanguis sub specie vini non tantum est adorandus, sed sumendus.

2° *Justis de causis Ecclesia prohibuit laicis usum calicis, ut periculum effusionis vitaretur*. Catechismus romanus addit alias rationes 1° ne species vini acesceret, si diutius conservaretur; 2° quia multi a vino abhorrent aut repugnant ex eodem calice bibere post sordidos et fœtidos. 3° quia in pluribus provinciis est penuria vini; 4° quia denique convellenda erat hæresis protestantium quæ damnabat *sacrilegii* eos *qui unam tantum* speciem sumebant, et alia quæ negabat totum Christum contineri sub qualibet specie.

* * *

Objectio: Passio Christi magis exprimitur *in sanguine* quam in corpore. Ergo potius esset abstinendum a sumptione corporis quam a sumptione calicis.

Cf. *ad* 3um: *respondetur « representatio passionis agitur in consecratione »* quæ est immolatio mystica seu sacramentalis dum vi verborum corpus Christi præsens redditur sub una specie et sanguis sub altera. Ideo « *corpus non debet sine sanguine consecrari* » quia non esset sacrificium (seu immolatio incruenta) ut institutum est a Christo.

Amplius « *sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit* ».

Sed fideles communicare possunt sub una specie tantum, quia totus Christus continetur sub utraque; et, ut dicit Billuart, in utraque salvatur ratio sacramenti quoad significationem et efficaciam; quamvis signicatio passionis non sit perfecta in una tantum specie, adest tamen, quia vi verborum sub specie panis corpus Christi tantum redditur præsens sine sanguine.

Remanet tria dubia.

Dubium 1um *Usus calicis est ne aliquando licitus laicis?* Utique, quandoque hoc Ecclesia permittit: 1° si sit periculum profanationis; 2° si sacerdote post sumptionem corporis defuncto, non adsit alter sacerdos; 3° si sanguinem effusum sacerdos lambere recuset; 4° ex privilegio imperatores et reges Galliæ dum inaugurabantur; similiter diaconus et subdiaconus summo Pontifici solemniter celebranti assistentes.

Dubium 2um: *An major gratia conferatur communicanti sub utraque species, quam communicanti sub una?* De hac quæstione notanda est quædam opinio Melchioris Cano, Antonii Uglio et quorumdam aliorum, quam intactam reliquit Concilium Tridentinum. Hi theologi concedunt id quod definivit Concilium Tridentinum, scil. omnem gratiam ad salutem necessariam conferri per unam speciem sicut per duas, contendunt tamen aliquam *majorem gratiam* conferri per utramque speciem quam per unam.

Contra hos theologos communiter asseritur *per se loquendo major gratia non confertur communicanti sub utraque specie quam sub una.*

Dicitur *per se*, quia per accidens, scil. ratione majoris dispositionis id est majoris fervoris, confertur major gratia.

— Probatur: Per se non confertur major gratia, si non *est* major causa gratiæ sub utraque specie quam sub una.

— Atqui species ex se non habet vim causativam gratiæ, sed *causa gratiæ est Christus qui totus et integer est sub una specie.*

— Ergo per se non major confertur gratia communicanti sub bina specie quam sub una.

Potest objici quod effectus sacramentalis attenditur secundum significationem, et expressior est significatio passionis quando utraque species sumitur.

Respondetur: quælibet species significat concomitanter totum Christum quamvis non secundum eumdem modum significandi. Sed *effectus sacramentalis attenditur secundum rem significatam et non secundum modum significanti.* Alioquin majorem gratiam conferret trina immersio baptismalis quam simplex ablutio.

Remanet tamen quædam difficultas: si non major gratia in sumptione utriusque speciei conferatur, communio *sacerdotis sub specie vini superfluit, scil. nihil producit;* si e contra gratia conferatur per hanc secundam communionem, prima erat similiter superflua et nihil produxit.

Ad hoc respondent theologi: probabilius in communione sacerdotis celebrantis, gratia confertur ad sumptionem primæ speciei; non videtur ratio cur differatur effectus in subjecto bene disposito. Neque tamen inutiliter sumitur secunda species, quia *id exigit perfectio seu integritas sacrificii,* et duæ sumptiones constituunt unum sacramentum, quod ad instar causæ naturalis operatur per aliquid sui cum primum potest. — Aliunde per accidens communio sub utraque specie potest majorem gratiam causare, si subjectum sit melius dispositum. Ita illi qui magis appropinquant ad ignem, majorem calorem accipiunt.

Remanet tamen difficultas, scil. videtur quod secunda communio celebrantis debeat aliquam gratiam producere, quam significat. Hoc conceditur a Salmanticensibus (disp. X, 52) et a Lugone, sed tenent quod privatio hujusce gratiæ compensatur per gratias similes quæ frequenter conferuntur per communionem sub altera specie; sic simplices fideles non notabili gratia privantur per communionem sub una specie quam Ecclesia propter graves rationes ordinavit (cf. *Dict. Theol.* art. cit., c. 572).

Sic terminatur quæstio de usu Eucharistiæ in communi, quoad conditiones requisitas corporis et animæ.

QUÆSTIO LXXXI

DE MODO QUO CHRISTUS USUS EST HOC SACRAMENTO

1° An Christus sumpserit corpus suum et sanguinem; 2° An Judæ dederit; 3° Quale corpus sumpserit aut dederit, scil. passibile an impassibile; 4° quomodo Christus se habuisset sub hoc sacramento in triduo mortis.

q. 81, a. 1.

ART. I. — UTRUM CHRISTUS SUMPSERIT CORPUS SUUM

Status quæstionis: Videtur quod non: quia nihil potest esse in seipso et Christus non potest accipere gratiam.

S. Thomas post S. Hieronymum, S. Chrysostomum et glossam ord. putat *Christum sumpsisse corpus et sanguinem suum,* « quia Christus ea quæ ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit, unde et ipse prius baptizari voluit quam aliis baptismum imponeret. Sic dicitur in Actibus Apos., I, 1. « Cœpit Jesus facere et docere ».

Est argumentum probabile.

Afferri etiam potest textus Ev. sec. Lucam, XXII, 15, qui citatur *ad* 3um: « *Desiderio desideravi manducare hoc pascha vobiscum* »; secundum Tertullianum, Chrysostomum, Eusebium, « hoc pascha » in his verbis designat pascha novum quod in sacramento corporis Christi consistit. — Est argumentum adhuc probabile.

In responsione ad 3um dicit S. Thomas quod *sacramentum Eucharistiæ non poterat producere augmentum habitualis gratiæ in Christo* sed produit *actualem delectationem* spiritualis dulcedinis, scil. effectum secundarium. Unde ipse dicebat: « Desiderio desideravi manducare hoc pascha vobiscum ». Hæc delectatio spiritualis erat gaudium de institutione *communionis* Christi cum membris sui corporis mystici, et eminenter continebat gaudium producendum a communione eucharistica in fidelibus, nam melius est amare quam amari et dare quam accipere [1].

[1] Hæ quæstiones pulchre tractantur modo spirituali in libro piissimo R.mi Mons. PII ALBERTI DEL CORONA, O. P., Arcivescovo di Sardica: *Elevazioni sul Mistero dell'Eucaristia*, 5a ed., Milano 1927. —

Cf. Terza Settimana, elevazione I, la comunione di Gesù: la comunione di Pietro, di Giovanni, di Giuda, la comunione di Maria.

Cf. etiam *Visite al SS. Sacramento*, S ALFONSI DE LIGUORI.

Cf. etiam BOSSUET, *Méditations sur l'Evangile:* la Cène, 1ère Partie: la communion indigne 44e jour; les effets de la communion; le sacrifice 57e jour.

q. 81, a. 2.

ART. II. — UTRUM CHRISTUS JUDAE DEDERIT CORPUS SUUM

Status quæstionis: Videtur quod non, quia Jesus cognoscebat Judam esse peccatorem.

Attamen respondetur affirmative, et hæc responsio communis est apud scholasticos et apud Patres, excepto sancto Hilario. Affirmant quidem S. Chrysostomus (sed contra), sanctus Hieronymus, sanctus Augustinus (*ad* 3um), sanctus Cyrillus, sanctus Leo, Dionysius et alii. Cf. Vostè qui defendit exegetice hanc sententiam traditionalem [1] Colligitur ex sacra Scriptura (quamvis aliqui exegetæ dicant Judam egressum esse ante institutionem Eucharistiæ). Etenim juxta Matthaeum XXVI, 27, Jesus dixit discipulis: « accipite et bibite ex eo *omnes* », et sanctus Marcus addit (XIV, 23) « et biberunt ex eo *omnes* ». Apud Lucam, XXII, 21, post consecrationem calicis dicitur: « Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa ». Ergo tunc aderat Judas.

Aliqui dixerunt quod agitur de Eucharistia quando dicitur apud Joannem XIII, 26: « Et cum Jesus *intinxisset panem,* dedit Judæ Simonis Iscariotæ. Et post buccelam, introivit in eum Satanas... et Judas continuo exivit ». Sed S. Thomas ad 3um post Augustinum dicit: « *sine dubio Judas sub pane intincto corpus Christi non sumpsit sed simplicem panem* ». Jam antea Dominus distribuerat omnibus discipulis suis sacramentum corporis et sanguinis sui, sicut Lucas narrat; ita S. Augustinus in Joannem, XIII, 26 (tract. 62).

In corpore articuli S. Thomas ostendit quod *conveniens fuit Christum Judæ dedisse suum corpus.*

S. Hilarius credidit hoc esse inconveniens propter malitiam Judæ quam Jesus non ignorabat. Ipse enim Jesus antea præcepit: Nolite sanctum dare canibus.

S. Thomas hanc conclusionem sancti Hilarii negat, *quia Judas erat adhuc peccator occultus.* Conveniebat ergo quod Christus dederit Judæ corpus suum; Christus ut Deus potuisset quidem ei denegare sacramentum, sed tunc Christus agebat *ut homo.*

Unde dicit S. Thomas: « sed quia Christus debuit nobis esse exemplum justitiæ, non conveniebat ejus magisterio ut Judam occultum peccatorem, sine accusatore et evidenti probatione, ab aliorum communione separaret; ne per hoc daretur exemplum prælatis Ecclesiæ similia faciendi ». *Ad* 1um, *ad* 2um.

[1] J. M. VOSTÉ, *Studia Joannea*, p. 329-250, ed. 2ª, Romæ 1930 et *De Passione et morte Jesu*, 1937; App. p. 65-68.

q. 81 art. 3.

ART. III. — UTRUM CHRISTUS SUMPSERIT ET DEDERIT DISCIPULIS CORPUS SUUM IMPASSIBILE

Ut dicitur initio corporis articuli affirmative respondet *Hugo a sancto Victore,* dicens quod Christus ante passionem diversis temporibus quatuor dotes corporis gloriosi assumpsit: subtilitatem quando exivit de clauso utero Virginis, agilitatem quando super aquas ambulavit, claritatem in transfiguratione, et impassibilitatem in Cœna quando corpus suum dedit discipulis suis ad manducandum; ideo per comestionem corpus Christi non fuit alteratum.

S. Thomas rejicit hanc interpretationem et ostendit 1° quod *Corpus Christi quod in specie sacramenti dabatur passibile erat.* Quia idem erat corpus sub speciebus sacramentalibus, quod existebat in propria specie; erat autem passibile in propria specie. Si in transfiguratione habuit claritatem gloriosam, hoc fuit ut explicatum est III, q. 45, a. 2, per modum *transeuntis* et non permanentis, sicut in corpore glorioso. 2°) ostendit quod erat sub specie *impassibili modo,* sicut *invisibili modo.* Ut vidimus enim, corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, dimensiones ejus non ibi sunt secundum proprium modum extensionis ad locum, unde non possunt pati a corporibus exterioribus. Id quod patitur in manducatione et comestione non est, nec erat corpus Christi, sed tantum species pani seu vini.

ART. IV. — UTRUM SI HOC SACRAMENTUM TEMPORE MORTIS CHRISTI FUISSET SERVATUM AUT CONSECRATUM, CHRISTUS IBI MORERETUR

Respondetur affirmative quia *mori* sicut et *vivere* pertinet ad substantiam corporis Christi. Corpus Christi quod est in sacramento per modum substantiæ poterat ergo mori, seu fieri inanimatum, et postea tempore resurrectionis animatum fieri. Sed non poterat *flagellari, crucifigi, occidi,* quia hæc non pertinent ad substantiam secundum se, sed ad substantiam prout est *sub quantitate extensa in ordine ad locum,* ut dictum est articulo præcedenti.

Responsio ad 2um legenda est ad distinguendam *immolationem sacramentalem* a cruenta. Si triduo mortis « fuisset hoc sacramentum consecratum, sub specie panis fuisset solum corpus et sub specie vini fuisset solus sanguis ». *Nunc* concomitanter sanguis est sub specie panis et corpus sub specie vini.

QUÆSTIO LXXXII

DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI

In hac quæstione S. Thomas indirecte incipit tractare de sacrificio Missæ, sed de hoc sacrificio directe tractat in q. 83 de ritu seu de celebratione hujus sacramenti: a. 1 utrum in hac celebratione Christus immoletur.

Hic incipit tractare de sacrificio Missæ, non secundum se, sed per respectum ad ministrum in decem articulis, sive quoad validitatem sive quoad liceitatem, tum in consecratione Eucharistiæ, tum in ejus dispensatione.

Agitur: 1° de ministro consecrationis, art. 1 et 2;
2° de ministro dispensationis, art. 3.
3° de relatione communionis ipsius sacerdotis cum consecratione, a. 4.
4° de obligatione celebrandi pro quolibet sacerdote, a. 5.
5° de conditionibus requisitis in sacerdote ad liceitatem consecrationis: status gratiæ, fides, carentia excommunicationis, art. 6-9.
6° quæritur utrum peccent a ministris indignis communionem recipientes.
7° Denique utrum liceat sacerdoti omnino a celebratione abstinere.

q. 82, a. 1.

ART. 1. — UTRUM CONSECRATIO HUJUS SACRAMENTI PROPRIE SIT SACERDOTIS

Status quæstionis: Quare laïcus præsertim sanctus non posset valide proferre verba consecrationis in persona Christi, sicut potest baptizare?

In SÆCULO II et etiam III fuerunt hæretici qui, ut referunt Tertullianus et S. Ireneus, laïcis et etiam mulieribus potestatem conficiendi Eucharistiam tribuebant.

SÆCULO XIII, Waldenses eamdem potestatem agnoscebant in quolibet laïco, modo esset vir probus.

SÆCULO XV, Lutherus cuivis laïco eamdem facultatem concedebat, non tamen usum nisi ex delegatione Ecclesiæ, ita etiam Hugo Grotius.

Item a fortiori Calvinistæ, quia non admittunt præsentiam realem, sed tantum figuratam; et dignitatem consecrationis totaliter auferunt, ideo consecratio ab omnibus fieri potest.

Contra hos errores Concilia definierunt quod soli sacerdotes rite ordinati et habentes debitam intentionem conficiendi valide consecrant.

Concilium Arelatense (can. 15, Denz. 53) sancivit contra diaconos qui præsumebant Eucharistiam dare sacerdotibus: « neque regula, neque consuetudo tradidit ut *hi qui offerendi sacrificium non habent potestatem,* his qui offerunt corpus Christi porrigant ». Item Concilium Laodicense.

Contra Waldenses IVum Concilium Lateranense sub Innocentio III sic definivit (Denz. 430): « *Hoc Eucharistiæ sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos,* qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis eorumque successoribus Jesus Christus ».

Item dixerat paulo antea Innocentius III in professione fidei Waldensibus præscripta (Denz. 424): « Quantumcumque quilibet honestus, religiosus, sanctus et prudens sit, non potest nec debet Eucharistiam consecrare nec altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter, a visibili et tangibili episcopo regulariter ordinatus... Ideoque firmiter credimus et fatemur, quod quicumque sine præcedenti ordinatione episcopali, credit et contendit se posse sacrificium Eucharistiæ facere, hæreticus est et perditionis Chore et suorum complicum est particeps atque consors et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus ».

Concilium Florentinum in Decreto unionis (Denz. 715) dicit quod verba consecrationis proferri debent « *a sacerdote cum intentione conficiendi* ». Item declaratio Clementis VI contra Armenos (Denz. 3024).

Tandem Concilium Tridentinum (Denz. 949) definivit: « Si quis dixerit illis verbis: « Hoc facite in meam commemorationem » (Luc. XXII, 19; I Cor., XI, 24) *Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum,* a. s. ».

In capitulo correspondente (938) Concilium explicat hunc textum per ea quæ dicta sunt in Epist. ad Hebræos de sacerdotio Christi. Dixit: « *Christus, qui est sacerdos in æternum sec. ordinem Melchisedech,* ut dicitur ad Hebræos, *etsi semel se ipsum in ara crucis,* morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ... quia tamen per mortem *sacerdotium ejus extinguendum non erat* (Hebr., VII, 24) in cæna novissima qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ *visibile* (*sicut hominum natura exigit*) *relinqueret sacrificium,* ... corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri *obtulit,* ac tradidit Apostolis quos tunc Novi Testamenti *sacerdotes constituebat* ut sumerent, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, *ut offerrent,* præcepit per hæc verba: « *Hoc facite in meam commemorationem* » uti semper Ecclesia catholica intellexit et docuit ».

Insuper declaratur quod ad *liceitatem* consecrationis requiritur status gratiæ, cf. Denz. 418 et 880. (Cf. etiam Codicem Juris can. n. 802, 807).

Hæc doctrina probari potest ex Scriptura et Traditione expressa in praxi Ecclesiæ et in Patrum operibus.

Ex Scriptura: Dicitur apud *Lucam,* XXII, 19, et I ad *Cor.* XI, 24: « *Hoc facite in meam commemorationem* ».

Hæc verba prout referuntur ad sumptionem corporis et sanguinis Domini possunt intelligi de omnibus fidelibus, sed *prout referuntur ad consecrationem,* non nisi de Apostolis et eorum in sacerdotio successoribus possunt intelligi; alioquin sequeretur quod laïci et mulieres non solum *possent,* sed etiam præcepto *tenerentur consecrare,* quod non admittunt hæretici.

Unde non mirandum est si Conc. Trid. dicit quod « semper Ecclesia catholica intellexit et docuit » in his verbis institutionem sacerdotii.

Objiciunt hæretici: Hæc verba: « Hoc facite in meam commemorationem » dicta sunt omnibus, ideoque ex his probatur præceptum communionis.

Ad hoc rursus dicendum est quod dicta sunt omnibus quoad sumptionem, non vero secundum totam suam amplitudinem, scil. quoad sumptionem et consecrationem. Alioquin omnes fideles tenerentur consecrare; et tunc non esset sacrificium publicum pro populo, sed tantum privata sacrificia quod est certo certius contra Scripturam et Traditionem. Hæc igitur verba Scripturæ interpretari debent secundum fidei analogiam ut fecit C. Tridentinum. Probatur enim in tractatibus Hermeneuticæ catholicæ [1] et affirmatur a Leone XIII in Encyc. *Providentissimus, quod duplex est influxus analogiæ fidei* in interpretationem Scripturæ:

1° *influxus negativus,* scil.: sensus Scripturæ non potest esse contrarius Traditioni divinæ seu doctrinæ fidei quam docet Ecclesia;

2° *influxus positivus,* scil.: obscurum e clariori interpretandum est, et pars illustratur toto; sic quod obscurum est in uno loco Scripturæ illustratur per id quod clarum est in alio.

Ita intelligimus hunc textum juxta analogiam fidei: 1° sensus esset contrarius doctrinæ fidei si intelligeretur pro omnibus, secundum totam suam amplitudinem, quia omnes tenerentur consecrare; 2° hic sensus explicatur positive per doctrinam de sacrificio publico et de Christo sacerdote, quæ invenitur in Ep. ad Hebr. et sic obscurum e clariori interpretamur, et pars illustratur toto.

Amplius hæc interpretatio roboratur auctoritate Patrum et doctorum.

1 Cf. ZAPLETAL, O. P., *Hermeneutica biblica,* 1908, p. 121.

Objiciunt hæretici: In Scriptura, omnes fideles dicuntur sacerdotes: I Petri, II, 5: « Accedendum est ad Christum lapidem vivum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, *sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias,* acceptabiles Deo per Jesum Christum ». Ita etiam in Apoc., V, 10: « Christus fecit nos Deo nostro regnum, et *sacerdotes,* et regnabimus super terram ». Item Apoc. I, 6.

Resp. cum S. Thoma ad 2um, quod fideles in S. Scriptura vocantur sacerdotes eo modo quo ibidem vocantur reges. Sunt autem reges non proprie, non enim habent dominium publicum super gentes, sed improprie prout habent dominium privatum et spirituale super passiones carnis, super mundum et diabolum per gratiam Christi; ideo dicitur: « Servire Deo regnare est ». - Ita etiam dicuntur *sacerdotes improprie et late,* quatenus offerunt Deo sacrificium laudis, orationum et bonorum operum per Christum. Unde dicit Petrus: « Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum ». Sic omnes fideles per characterem baptismi et confirmationis habent quamdam participationem sacerdotii Domini nostri Jesu Christi: et sic possunt ordinare ad cultum christianum suas orationes et bona opera, quæ ideo sunt sacrificium laudis Deo acceptabile per Jesum Christum. Non tamen possunt offerre sacrificium publicum pro populo, scil. sacrificium altaris incruentum. Unde Ecclesia non approbavit pro B. Maria Virgine titulum « *Virgo sacerdos* », ad vitandam confusionem inter sacerdotium proprie dictum et sacerdotium *late dictum.* B. Maria Virgo non accepit characterem sacerdotalem, sic non poterat consecrare, sed habuit sub Christo plenitudinem spiritus sacerdotii, spiritus Christi sacerdotis, et est regina cleri (cf. Dominum Olier). Insuper eminens dignitas Maternitatis divinæ superat sacerdotium nostrum, quia perfectius est dare Verbo naturam humanam, quam præsentiam realem in altare, et perfectius est offerre cum eo ejus immolationem cruentam in Calvario, quam ejus incruentam immolationem in Missa.

2° **Hæc doctrina probatur ex Traditione** expressa in Patribus et in praxi Ecclesiæ.

Tertullianus de Præscriptione c. 41 et in libro de Corona militis exprobrat hæreticis quod munia sacerdotalia laicis injungerent. S. Justinus, sanctus Epiphanius, sanctus Hieronymus eodem modo loquuntur. Iidem patres asserunt Eucharistiam olim missam fuisse ad absentes, peregrinos, anachoretas; ergo anachoretæ laici non poterant consecrare. In persecutionibus presbyteri, etiam cum magno vitæ periculo, in carceribus martyrum celebrabant, ergo hi martyres non poterant consecrare. Cf. R. de Journel, *Enchir. patrist.* Index theol. n. 499.

Tandem hoc confirmatur ex Veteri Testamento: In veteri Testamento, Deus elegit *solos filios Levi* ad officium sacerdotii, ita ut Ozam, qui ministeria Levitarum usurpaverat, percusserit. (Cf. II Reg. VI, 6: « Extendit Oza manum ad arcam Dei... Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam et percussit eum super temeritate »). Unde similiter

et a fortiori Deus debuit sacrificium præstantissimum Novi Testamenti solis præsbyteris ad hoc specialiter electis committere.

Hæc omnia magis evolvuntur in tractatu de Ordine.

* * *

S. Thomas dat rationem theologicam ex natura hujusce sacramenti. Ut sæpe S. Thomas prius enuntiat minorem, sic:

— Hoc sacramentum tantæ est dignitatis quod non conficitur nisi *in persona Christi.*

— Atqui *quicumque agit in persona alterius* oportet hoc *fieri per potestatem ab illo concessam.*

— Ergo consecrare hoc sacramentum non potest pertinere nisi ad sacerdotem qui specialiter ad hoc recipit potestatem.

Minor, quæ prius enuntiatur, probatur ex prædictis, q. 78 in quæstione *de forma* hujusce sacramenti quæ *proferri debet in persona Christi,* quia corpus de quo agitur in hac forma non est nisi corpus Christi, et dicitur: « *Hoc est corpus meum* ».

Major probata est in quæst. *de charactere* q. 63 ubi ostensum est 1° quod quicumque ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud *consignari,* sicut milites. 2° quod *signum* deputans ad spiritualia debet esse *spirituale,* et ad supernaturalia debet esse *potestas,* quia homo non habet in se potestatem ad supernaturalia. Ex quo deductum est quod character est *spiritualis potestas.* Denique dictum est quod *character,* sicut et cultus ad quem ordinatur, *derivatur a sacerdotio Christi et est quædam participatio hujusce æterni sacerdotii.* Et hoc maxime apparet in charactere sacerdotali, ratione cujus sacerdos potest consecrare in persona Christi dicens: « hoc est enim corpus meum ».

Ergo soli sacerdotes possunt conficere hoc sacramentum. Addi etiam deben 2ª et 3ª ratio articuli tertii quæ dantur pro dispensatione seu distributione hujusce sacramenti et a fortiori valent pro ejus consecratione.

Ad 1um notat S. Thomas in ordinatione dicitur ab episcopo: « Accipite potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro vivis quam pro mortuis ». Et secundum S. Thomam est ipsa forma ordinationis cujus materia secundum ipsum est porrectio calicis; probabile est etiam materiam esse impositionem manuum; sed quoad præsentem quæstionem parum refert.

Ad 3um: perceptio hujus sacramenti Eucharistiæ non est tantæ necessitatis, sicut perceptio baptismi et ideo licet, in necessitatis articulo, laicus possit baptizare, non tamen potest hoc sacramentum conficere.

Ad 4um: S. Thomas ostendit qua ratione *Episcopus solus* potest consecrare *chrisma,* et *oleum sanctum* quæ sunt minoris dignitatis quam

Eucharistia. Ratio est quia *episcopus accipit potestatem supra corpus mysticum; sacerdotes supra corpus physicum relate ad sacramentum Eucharistiæ,* et non habent potestatem in corpus mysticum in sacramento pœnitentiæ nisi accepta jurisdictione ab episcopo; sine hac jurisdictione absolutio est invalida. Ideo cum episcopus habeat potestatem supra corpus mysticum, pertinet ad eum non solum tradere populo, sed etiam sacerdotibus, ea quibus sacerdotes *in propriis officiis* utuntur. Unde sicut episcopus solus potest ordinare sacerdotes, ita etiam solus potest consecrare altaria, ecclesias, chrisma, oleum sanctum, quibus utuntur sacerdotes in suis officiis. Hæ consecrationes ei reservantur sicut principi totius ecclesiastici ordinis.

q. 82, a. 2.

ART. II. — UTRUM PLURES SACERDOTES POSSINT UNAM EANDEMQUE HOSTIAM CONSECRARE

Ut notatur in argumento « sed contra », hæc est praxis recepta in Ecclesia die ordinationis.

In corpore articuli S. Thomas dat rationem hujusce praxis: 1° novi ordinati *habent potestatem consecrandi,* et ideo possunt *concelebrare* episcopo, sicut apostoli Christo concenaverunt. 2° non iteratur consecratio supra eandem hostiam, quia *omnium intentio fertur ad idem instans consecrationis,* ut dicit Innocent. III, et dicitur in pontificali romano: « monetur episcopus ut bene advertat quod secretas morose dicat, et aliquantulum alte, ita ut ordinati sacerdotes possint secum omnia dicere, et præsertim verba consecrationis, quæ dici debent *eodem momento* per ordinatos quo dicuntur per pontificem ».

Ad 2um ostenditur quod non superfluunt alii celebrantes, quia omnes non consecrant *nisi in persona Christi, multi autem sunt unum in Christo.* Et in hoc casu est unum sacrificium, una numerice immolatio incruenta.

Pro praxi notandum est quod novi ordinati debent habere intentionem consecrandi meliori modo quo facere debent. Unde si formam finiant ante vel post episcopum nihil efficiunt defectu intentionis; nam ut dictum est omnium intentio fertur ad idem instans.

q. 82, a. 3.

ART. III. — UTRUM PERTINEAT SOLUM AD SACERDOTEM DISPENSATIO HUJUS SACRAMENTI

Agitur tantum *de liceitate,* quia, cum Eucharistia consistat in re permanenti a quocumque etiam laico valide potest dispensari, et ita quandoque fit ex necessitate, vg. tempore persecutionis.

S. Thomas respondet in corpore articuli quod *dispensatio Eucharistiæ pertinet ad solum sacerdotem sicut ad ministrum ordinarium et ex officio,* quod declaratum est ab Ecclesia.

Cf. *Concilium Tridentinum*, sess. 13, c. 8 (Denz. 881) « In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut *laici a sacerdotibus* communionem acciperent, sacerdotes autem seipsos communicarent, qui mos tanquam ex traditione apostolica descendens jure ac merito retineri debet ».

Et hoc debet fieri propter tria ut dicit S. Thomas:

1° quia sacerdos consecrat in persona Christi, qui ipse dedit corpus suum discipulis. 2° quia sacerdos constituitur medius inter Deum et populum, duplici mediatione, mediatione ascendenti prout offert Deo sacrificium et orationes populi, et mediatione descendenti, sic est *sacra dans*. 3° hoc convenit in reverentia hujus sacramenti.

Ad 1um: S. Thomas loquitur *de potestate diaconi,* et dicit: « Diaconi possunt dispensare sanguinem Christi, non vero corpus *nisi ex necessitate* jubente episcopo vel presbytero ».

Hoc correspondet ad praxim quamdam antiquam quæ remanebat tempore S. Thomæ.

Nunc in Codice n. 845 dicitur quod *Diaconus est sacrae communionis minister extraordinarius de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quæ in casu necessitatis legitime præsumitur* ».

Et hoc constat 1° ex praxi priorum sæculorum, in quibus diaconi universe Eucharistiam (præsertim divinum sanguinem) ministrabant, 2° ex variis conciliis v. g. Concilio Nicæno I° generali: et Concilio Carthaginensi IV°.

Quando dicitur *ex gravi causa* non significatur extrema necessitas tantum, et licentia concedi potest pro casibus qui aliquod commodum præ se ferunt, ut si parochus esset occupatus in die magnæ festivitatis, aut numerus communicantium esset magnus. In extrema necessitate, absente sacerdote, non solum diaconus potest sed tenetur viaticum ministrare, etiam *sine commissione expressa,* unde sanctus Thomas videtur nimis restringere hanc potestatem, non sufficienter distinguendo inter varios necessitatis gradus. In aliis autem casibus præter extremam necessitatem, non potest absque commissione Episcopi vel parochi legitime concessa, Eucharistiam dispensare. (Cf. Marc. *Theol. moralis*, ed. 18a, 1928, n. 1535.

q. 82, a. 4.

ART. IV. — UTRUM SACERDOS CONSECRANS TENEATUR SUMERE HOC SACRAMENTUM

Status quæstionis· Videtur quod non, ex tribus difficultatibus, præsertim ex ista quod in aliis sacramentis minister non præbeat sacramentum sibi ipsi.

Hic articulus pertinet ad quæstionem de sacrificio de qua agitur proprie in quæstione sequenti.

Notantum est quod sæcundum S. Thomam sacrificium Missæ, ut videbimus, perficitur per consecrationem separatam panis et vini; alii dicunt quod sacrificium perficitur per consecrationem et communionem sacerdotis et secundum hanc opinionem, sine communione sacerdotis, non esset sacrificium.

Secundum S. Thomam adhuc esset sacrificium sine communione celebrantis, sed tamen communio omitti non potest sicut dicit Concilium Toletanum cit. in argum. « sed contra ». Item in Officio SS. Sacramenti dicitur: « Cujus officium (consecrandi) committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit ut sumant et dent cæteris ».

Lutherus dixit e contra consecrantem non debere communicare, sed aliis solum communionem dare.

Legendum est corpus articuli: sunt duæ rationes breviter evolvendæ: 1a pertinet ad mediationem ascendentem; 2a pertinet ad mediationem descendentem.

1a ratio enim sumitur *ex nexu sacrificii exterioris et sacrificii interioris.*

Sacrificium exterius est signum sensibile sacrificii interioris quo nosmetipsos Deo subjicimus et offerimus. Ut videbimus, sacrificium exterius Missæ commemorando sacrificium crucis directe significat *sacrificium interius Christi* quo Christus interius se obtulit, et nunc, semper vivens ad interpellandum pro nobis, semetipsum adhuc pro nobis offert Deo, oblatione adorationis.

Et ideo missa mali sacerdotis est adhuc sacrificium *validum,* quia agit in persona Christi, principalis offerentis. Sed tamen minister animatus et liber debet *quoad liceitatem actus* libere semetipsum unire principali offerenti et proinde cum eo interius offerre sacrificium. Et *hæc oblatio interior ministri debet exterius manifestari* et manifestatur quidem per hoc quod minister sacrificio participat per communionem. Sic, ut ait S. Thomas « ostendit ad se sacrificium interius pertinere ». Et hæc ratio pertinet ad sacerdotem per respectum ad Deum ad quem offert sacrificium, secundum mediationem ascendentem. Cf. *Imit. Christi,* l. IV, c. 9: sacerdos debet seipsum offerre, ut victimam, portando crucem suam quotidie; hoc jam debent facere fideles, a fortiori sacerdos.

2a ratio sumitur ex officio sacerdotis per respectum ad populum, cui debet divina dispensare, sec. mediationem descendentem:

— Ipse sacerdos dispensator divinorum primo debet esse particeps sacrificii,

— Atqui per hoc fit particeps quod de sacrificio sumit.

— Ergo necesse est quod sacerdos quotiescumque consecrat, sumat hoc sacramentum integre.

Pro ipso sacerdote S. Thomas dicit: « Panis angelicus fit panis hominum... O res mirabilis! manducat Dominum, pauper servus et humilis ».

Imo qualibet die communio sacerdotis celebrantis deberet esse substantialiter ferventior. Dispositio autem ad ferventem communionem est *fames Eucharistiæ*, scil. vivum ejus desiderium procedens a majori spiritu fidei, confidentiæ et amoris Dei, necnon religionis seu pietatis. Cf. *Imit. J. Christi*, L. IV, c. 13, 14, 17. Sic melius ac melius intelligitur oratio: « *O sacrum convivium*... mens impletur gratia et futuræ gloriæ nobis pignus datur ».

Ex hoc articulo jam apparet quod communio sacerdotis secundum S. Thomam *non est de essentia sacrificii*, ut aliqui volunt, sed est tantum ejus complementum; hoc magis explicite videbimus quæst. seq. Per communionem enim, secundum S. Thomam, sacerdos *participat sacrificio, prius essentialiter constituto*. Sed quia altera opinio non caret probabilitate, in praxi oportet eligere tutiorem partem in sacramentis et sacrificium sine communione celebrantis debet considerari ut dubium.

Quare sacerdos non tenetur sibi administrare alia sacramenta?

Ad 1um notat S. Thomas, consecrans chrisma aut quamcunque alteram materiam non tenetur postea ea materia consecrata uti; quia confirmatio et *alia sacramenta præter Eucharistiam non habent rationem sacrificii* ex qua sumitur pro sacerdote obligatio communicandi.

Ad 2um: Pro aliis sacramentis non solum ministrans non tenetur sibimetipsi ministrare sacramentum, sed etiam *non potest*, quia *alia sacramenta non existunt nisi quando administrantur*, vg. baptismus dum baptizatus abluitur, et *in sacramentis idem non potest esse agens et patiens*. Eucharistia e contrario existit independenter ab usu seu independenter a communione: unde idem scil. ipse sacerdos potest 1° consecrare et 2° sibimetipsi Eucharistiam ministrare, non est simul patiens et agens quia sunt duo actus. Id quod patitur in 1a actione est panis, in 2a est ipse sacerdos, sed jam non operatur ut causa instrumentalis.

Ad 3um: Exceptionaliter tamen sacerdos non tenetur sumere sacramentum et etiam non debet, scil. quando miraculose corpus Christi sub specie carnis aut sanguinis apparet. Quia ea quæ miraculose fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset sacerdoti quod iterato corpus et sanguinem Domini consecraret et sumeret, sed non tenetur tamen ad hoc, ut notat Caj. quoniam Auctor miraculi sacerdotem a lege sumendi absolvit.

q. 82, a. 5.

ART. V. — UTRUM MALUS SACERDOS EUCHARISTIAM CONSECRARE POSSIT

Status quæstionis: Malus sacerdos hic est sacerdos in statu peccati mortalis.

Ad liceitatem consecrationis requiritur status gratiæ, Denz. 418, 880, et etiam, ut vidimus, post peccatum mortale, absolutio, nam contritio non sufficit ut sancivit Concilium Tridentinum 880.

Sed nunc *agitur de validitate consecrationis*, et circa hoc, ut dictum est in tractatu de sacramentis in communi, q. 64, a. 5 *erraverunt Wicleff, Joannes Hus, Hieronymus de Praga*, dicentes quod *malus sacerdos* etiam cum debita materia et forma et *cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non vere conficit*, non vere absolvit, non vere baptizat, non vere confert alia sacramenta. Concilium Constantiense hunc errorem damnavit, Denz. 672 (cf. etiam n. 169, 297, 424, 488, 545, 584).

Et *Concilium Tridentinum* (Denz. 855) definivit: « *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem*, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit, non *conficere aut conferre sacramentum*, an. s. » Ergo responsio affirmativa est de fide.

Exponitur in tractatu de Sacramentis in communi argumentum Traditionis, sufficit pro nunc textus Paschasii, olim S. Augustino attributus. in arg. « sed contra », in hoc textu non tantum asseritur factum, sed datur ratio facti, scil. quia adhuc malus sacerdos est minister Christi. Et hanc rationem exponit S. Thomas in corpore art. ad hoc reducitur:

— *Sacerdos consecrat* hoc sacramentum non in virtute propria, sed *sicut minister Christi, in virtute* et *in persona Christi*.

— Atqui minister Christi non desinit esse minister ejus ex hoc quod fit malus.

— Ergo malus sacerdos potest valide consecrare Eucharistiam.

Major probatur quia effectus penitus supernaturalis omnino superexcedit virtutem propriam sacerdotis.

Minor probata est supra, IIIa, q. 64, a. 5: « *accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti, sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animæ habentis artem, sit sanum vel infirmum* ». Et dictum est III, q. 64, a. 8, c. et ad 1um: « *in ministro, ut in instrumento libero requiritur et sufficit* quod habeat *intentionem faciendi quod facit Ecclesia* ». Secus fideles multoties dubitarent de validitate sacramentorum, et etiam ministrantes quia, ut hic dicit S. Thomas, minister Christi certus est se esse ministrum Christi, non tamen certus est se esse justum. - Unde S. Paulus affirmat se esse ministrum Christi (I Cor. IV, 4) et postea subdit: « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum ». Ergo sec. auctoritatem S. Pauli minister Christi non desinit esse minister ex hoc quod est malus.

Hæc doctrina connectitur cum distinctione inter characterem et gratiam sacramentalem (cf. supra III, q. 63, a. 2, 3 et 5). *Character* non est *habitus*, sed *potentia spiritualis*, quia nemo male utitur bono habitu. Potentia autem bene vel male utimur. Malus sacerdos male utitur suo charactere, non sancte consecrat, sed consecrat valide et ea quæ consecrantur sunt sancta. Imo quivis sacerdos, quantumvis peccator, hære-

ticus, excommunicatus, suspensus, depositus aut degradatus, non amittit characterem et potestatem ordinis.

In fine corporis articuli, animadvertit S. Thomas quod « *hoc pertinet ad excellentiam Christi, cui, sicut vero Deo, serviunt non solum bona, sed etiam mala, quæ per ipsius providentiam in ejus gloriam ordinantur* ».

Speciatim notandum est quod in hoc art., c. initio, S. Thomas dicit: « minister Christi *in persona Christi consecrat* ». Thomas non dicit « in persona Ecclesiæ », e contra dicet in art. seq. quod in Missa sunt orationes quas dicit sacerdos in *persona totius Ecclesiæ*. Ex hoc clare apparet quod pro S. Thoma *principalis offerens* in sacrificio Christi *non est Ecclesia*, sed *est Christus ipse*. Inter eos qui recenter scripserunt de S. Missa quidam hoc non satis servaverunt. Propterea melius vocatur Missa *sacrificium Eucharisticum Christi*, quam sacrificium ecclesiasticum.

Altissimæ quæstiones de essentia sacrificii Missæ quandoque ponuntur pro nobis hominibus occasione peccati mali sacerdotis.

Prædicatio verbi divini plus producit quando procedit ex majori fide et caritate.

q. 82, a. 6.

ART. VI. — UTRUM MISSA SACERDOTIS MALI MINUS VALEAT QUAM MISSA SACERDOTIS BONI

Status quæstionis: Videtur quod non, sicut non melior Baptismus datur a meliori ministro. Attamen in Decreto Gratiani cit. in arg. « sed contra » dicitur contrarium.

Sunt tres conclusiones:

Conclusio 1a: *Missa mali sacerdotis idem valet quantum ad sacramentum quod est simul sacrificium.* Hoc est corollarium articuli præcedentis. - Idem est enim sacrificium quia eadem victima, et idem principalis offerens, scil. Christus; atqui effectus instrumenti assimilatur causæ principali. Id est etiam malus sacerdos, volens consecrare, *consecrat in persona Christi.*

Conclusio 2a: *Missa mali sacerdotis idem valet quantum ad orationes prout proferuntur in persona totius Ecclesiæ*, cujus Sacerdos est minister. Et eadem est ratio sicut de ministerio Christi: quia sicut peccatum mali sacerdotis non impedit actionem instrumentalem quæ derivatur a Christo, ita etiam nec impedit quod hic sacerdos remaneat minister Ecclesiæ.

Addit S. Thomas quod omnes aliæ orationes quas facit malus sacerdos in ecclesiasticis officiis, vg. dicendo breviarium, similiter sunt fructuosæ, quia fiunt in persona Ecclesiæ, et omnium sanctorum cœli et terræ.

Conclusio 3a: *Missa mali sacerdotis minus valet quantum ad orationes quas profert ut persona privata.*

Dicit S. Thomas in fine c. « *orationes ejus privatæ non sunt fructuosæ* ». Hoc explicatione indiget:

Oratio non requirit gratiam habitualem; in hoc differt a merito; sic oratio peccatoris potest habere vim impetratoriam, sed de facto nullam efficaciam habet oratio *si fiat in ipso actu peccandi;* atqui ita est in præsenti casu; quia malus sacerdos sacrilege peccat celebrando, et igitur ejus oratio privata non solum non est meritoria, sed non habet vim impetratoriam, imo dicitur: « execrabilis » (Prov. XXVIII, 9), prout execratio contrarie opponitur consecrationi (cf. II-II, q. 83, a. 16, ad 1um et 2um).

Concludit in fine S. Thomas quod missa mali sacerdotis *minus valet*, quia res considerari solent secundum omnes suas circumstantias.

Id est omnibus consideratis minus valet.

Notandum est quod inter hæc tria 1° sacrificium, 2° orationem ut est in persona Ecclesiæ et 3° orationem ut ex devotione personali, id quod est minimum est tertium. Sacerdos enim quantumvis sit sanctus, parum est si comparetur cum Christo principali offerenti et etiam dum comparatur cum tota Ecclesia quæ omnes sanctos comprehendit.

Ad 3um notatur quomodo bonum privatum boni sacerdotis cum devotione celebrantis fructuosum est aliis; hoc est propter « virtutem Spiritus Sancti qui per unitatem caritatis communicat invicem *bona* membrorum Christi ». « Malum autem privatum unius hominis non potest alteri nocere, nisi per aliqualem consensum ».

q. 82, a. 7.

ART. VII. — UTRUM HÆRETICI ET SCHISMATICI ET EXCOMMUNICATI CONSECRARE POSSINT

Status quæstionis: Videtur quod non, quia sunt ab Ecclesia separati non solum ab anima Ecclesiæ ut malus sacerdos, sed etiam a corpore Ecclesiæ. Ergo videtur quod non possunt agere in persona Ecclesiæ ut dicitur in difficultatibus initio articuli positis. In 1a citatur verbum sancti Prosperi: « Extra Ecclesiam catholicam non est locus veri sacrificii ». Sed Augustinus citatus in argumento « sed contra » dicit quod in hæreticis « *ordinatio manet integra* ».

Hugo a sancto Victore et quidam alii dixerunt quod hæretici non possunt conficere hoc sacramentum.

Sed, ut dicitur in corpore articuli *hoc est contra praxim Ecclesiæ, quia hæretici ordinati non reordinantur quando redeunt ad unitatem Ecclesiæ, habent enim characterem.*

Ut dicit Augustinus citatus in corpore articuli aliud est *aliquid omnino non habere*, aliud autem *non recte habere;* seu aliud *non dare* et aliud *non recte dare.*

Unde tota responsio fundatur in doctrina de charactere.

Hic articulus reduci potest gratia claritatis ad duas conclusiones:

Conclusio 1ª: *Quia character non amittitur cum gratia, sed indelebilis est,* sacerdos ordinatus in Ecclesia qui postmodum separatur ab Ecclesia per hæresim, schisma, vel excommunicationem, conservat potestatem consecrandi, sed non recte consecrat et peccat consecrando.

Conclusio 2: *Quia character recipi potest sine gratia, potest esse ordinatio valida extra Ecclesiam* et tunc sacerdos sic ordinatus extra Ecclesiam habet sed non recte potestatem consecrandi et consecrando peccat, nisi sit in bona fide. Vide Denz. Index p. (38) n. 169, 249, 358, 1087 ordinationes ab episcopis hæreticis vel schismaticis rite collatæ *servata debita forma* validæ sunt. Anglicanæ autem invalidæ ob defectum formæ n. 1963 sqq.

Ad 1um notat S. Thomas quod tunc est *verum sacrificium veritate sacramenti,* non autem est spirituale sacrificium, sicut quando peccator recipit communionem manducat sacramentaliter, quia sacramentum existit independenter ab usu seu a communione, sed non manducat spiritualiter.

Sed remanet difficultas quia videtur quod in hoc casu est tantum sacrificium exterius; atqui sacrificium exterius non est nisi interioris sacrificii signum, et valorem non habet nisi dependenter ab hoc interiori sacrificio. Ad hanc objectionem oportet respondere quod sacrificium exterius semper est signum *interioris sacrificii ipsius Christi* qui est semper principalis offerens. Id ergo quod deficit, est tantum spirituale sacrificium privatum quod refertur ad virtutem propriam ministri. Insuper adhuc hic minister vult sacrificare et in ministro schismatico potest esse *bona fides* seu invincibilis ignorantia.

Ad 2um: nunquam *licite* possunt hæretici Eucharistiam conficere; possunt tantum licite baptizare in articulo necessitatis.

Ad 3um responsio legenda est cum attentione: S. Thomas ponit differentiam inter valorem sacrificii et valorem orationum quæ fiunt in persona Ecclesiæ.

Valor sacrificii idem est ratione characteris indelebilis; excommunicatus, sicut sacerdos non excommunicatus, loquitur *in persona Christi* consecrando.

Orationes vero quæ fiunt in persona Ecclesiæ, in Missa sacerdotis *excommunicati, nullam efficaciam* habent, quia hic sacerdos separatus est ab Ecclesia, Ecclesia non potest orare per eum; remanet tamen, ratione characteris, minister Christi, et remanebit in æternum, etiam in inferno.

Hæc responsio ad 3um est magni momenti ad distinguendum in Missa id quod fit *in persona Christi* et id quod fit *in persona Ecclesiæ.*

q. 82, a. 8.

Art. VIII. — UTRUM SACERDOS DEGRADATUS POSSIT HOC SACRAMENTUM CONFICERE

Cf. Codicem juris canonici n. 2305: Degradatio est pœna vindicativa continet in se depositionem et perpetuam privationem omnium titulorum, habitus ecclesiastici, privilegiorum et honorum ecclesiasticorum; ita ut degradatus, solo remanente indelebili charactere, ad conditionem laicalem reducatur et curiæ sæculari subdatur. Unde, si quis in talem manus violentas injiceret non incurreret excommunicationem. Degradatio fieri potest a solo Episcopo pro criminibus gravissimis, qualia sunt hæresis manifesta, falsificatio litterarum apostolicarum, sodomia frequentata etc. Tenetur degradatus ad votum castitatis et ad horas canonicas eo quod Ordinem retinet.

Ad quæstionem hujus articuli respondetur:

Degradatus potest valide consecrare, quia character seu potestas spiritualis consecrandi indelebilis est. Ita S. Augustinus hoc æquivalenter jam dixerat in l. II contra Parmenianum c. 13.

Objectio 2a: Episcopus ordinando dat potestatem consecrandi, ergo potest eam auferre degradando.

Responsio: Non, quia ordinando dedit eam non propria virtute, sed ut minister Dei, cujus effectus per hominem tolli non potest; remanet character sacerdotalis sicut baptismalis indelebiliter.

Ad 3um: excommunicatio est pœna medicinalis et ideo ad tempus usque ad emendationem; *degradatio* est etiam pœna vindicativa et ideo *in perpetuum* ita codex 2298, n. 12. Solus Papa in hac gravissima pœna dispensat et hæc dispensatio non est absolutio, absolutio datur excommunicato post emendationem; degradatus vero non absolvitur sed in gratia recipitur quandoque, sicut damnatis ad mortem aut in perpetuum quandoque remittitur pœna. Et tunc ut dicitur in argumento sed contra: « *degradatus, si reconcilietur, non est iterum ordinandus* » ut notaverat Augustinus contra Parmenianum II, c. 13.

q. 82, a. 9.

Art. IX. — UTRUM ALIQUIS LICITE POSSIT COMMUNIONEM RECIPERE A SACERDOTIBUS HÆRETICIS, VEL EXCOMMUNICATIS, VEL ETIAM PECCATORIBUS, ET AB EIS MISSAM AUDIRE

Est quæstio disciplinaria et leges particulares magis explicite formulantur in Codice (cf. Codicem: *communicatio in divinis cum acatholicis:* 1258, *cum excommunicatis,* 2259, § 2).

S. Thomas in argumento « sed contra » ostendit per auctoritatem Decreti Gratiani (Gratianus est monachus XII sæculi qui decretales pontificales collegit; postea opus Gratiani perfecit S. Raymundus de Pennafort) quod « nullus debet audire Missam sacerdotis quem indubitanter concubinam novit habere ».

Et ex auctoritate S. Gregorii habetur quod non debemus audire Missam hæreticorum; filius patris perfidi de quo loquitur Gregorius papa in hoc Dialogo est S. Hermenegildus, martyr, ad quem pater perfidus misit episcopum hæreticum. In secundo nocturno hujus festi, XV Aprilis, legitur: Hermenegildus episcopo ariano venienti exprobravit ut debuit et propterea pater iratus statim misit suos apparitores ut eum occiderent, quod et factum est. Sed statim post mortem martyris, « cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus ejusdem regis et martyris audiri, atque ideo veraciter regis quia et martyris ».

In corpore articuli 1° ponitur principium generale: *non licet a prædictis sacerdotibus communionem accipere aut Missam audire;* quia hoc esset *communicare eis in peccato* et particeps peccati effici. Unde in IIª Joannis, v. 11, dicitur: « qui dixerit Ave ei (scil. hæretico) communicat operibus illius malignis ».

2° ponitur *distinctio inter hæreticos, schismaticos et excommunicatos ex una parte, et sacerdotes qui sunt solum peccatores occulti ex altera parte.* Quantum ad priores, quicumque eorum Missam audit vel ab eis sacramenta recipit *peccat,* quia prædicti sacerdotes sunt per sententiam Ecclesiæ executione consecrationis privati. Quantum ad alios, scil. sacerdotes qui sunt solum peccatores occulti, usque ad sententiam Ecclesiæ, licet ab eis communionem accipere et eorum Missam audire quia minister præsumitur dignus, nisi *constet de opposito* cf. *ad* 3um.

Hæc conclusio S. Thomæ adhuc nunc vera est quoad *notorie hæreticos, et quoad malos sacerdotes occultos.* Sed *nunc quoad excommunicatos oportet distinguere* inter *vitandos* et *toleratos.*

Nunc sunt tres animadversiones faciendæ 1° *quoad excommunicatos;* 2° *quoad hæreticos;* 3° *quoad malos sacerdotes:* sufficit legere codicem 1258, 2259, § 2, 2251, § 2 et 3.

1° Notantum est cum Cajetano et Billuart quod tempore sancti Thomæ, *omnes* excommunicati, suspensi, degradati, erant *vitandi,* sed nunc a tempore Concilii Constantiensis in bulla Martini V « *Ad evitanda scandala* » permissum fuit fidelibus communicare (etiam in divinis, ut communius docetur) cum reis quacumque censura innodatis, nisi fuissent vel *nominatim excommunicati* suspensi, interdicti, vel *notorii* percussores clericorum cf. Marc. *Theol. mor.* 1290, 1295, 1296, 1297, et quantum ad notorios percussores clericorum oportet quod « crimen non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari »; secundum Const. Martini V.

Concilium Basileense (Bâle) 1435, sess. 20, declarat esse etiam vitandos omnes *notorie excommunicatos,* quacumque de causa sint excommunicati, et hoc decretum refertur in V Concilium Lateranensi sess. 11. His tamen non obstantibus, « more et usu Ecclesiæ receptissimum est; inquit Soto, ut non vitemus nisi illas duas excommunicationum species, quas prædictum concilium (Constantiense) jussit. Et ita absque ullo metu tenendum est ». Et revera omnes notorie hæretici, quales sunt Lutherani Calvinistæ etc. sunt notorie excommunicati, nemo tamen censet illos esse vitandos. Ita Billuart. Ergo non omnes excommunicati sunt vitandi.

2° omnes et singuli *hæretici et schismatici* excommunicati sunt, excommunicatione latæ sententiæ (Marc. 1314); sed non omnes *sunt vitandi* saltem civiliter; id est non omnibus tenemur negare colloquium, salutationem, societatem negotii aut habitationis, aut in mensa. Communicatio civilis cum hæreticis non est illicita per se, vetatur tamen lege naturali et divina, si sit periculosa (Marc. 447, 449).

Sed nunquam debemus cum hæreticis *in sacris communicare* (Marc. 432, 433) et hæc communicatio in sacris prohibetur jure divino et ecclesiastico quatenus est cooperatio ad peccatum infidelitatis et hæc communicatio in sacris (vg. recipiendo communionem, contrahendo matrimonium coram sacerdote hæretico) est peccatum mortale contra fidem.

Etiam disputatio publica cum hæreticis fieri nequit absque licentia S. Pontificis, aut si periculum sit in mora absque licentia Ordinarii loci.

3° *quoad indignos sacerdotes* (Marc. 1438, 1439) distinguendum est:

a) si sit indignus *ob aliquam censuram vel inhabilitatem,* licet ab eo petere sacramenta, etiam sine gravi causa, *si sit toleratus,* non licet vero si sit vitandus, vel hæreticus aut schismaticus.

b) si sit certe indignus *ob peccatum mortale,* non licet sine gravi causa, petere ab eo sacramenta; quia ex lege caritatis tenemur impedire peccatum proximi, cum illud sine gravi incommodo impedire possumus.

Sed minister præsumitur dignus, nisi constet de opposito.

* * *

Hæc omnia quoad excommunicatos vitandos, hæreticos et indignos sunt vera præter articulum mortis si toleratus absit. In hac extrema necessitate *licitum* est petere et recipere saltem quædam sacramenta. Certe licet ab eis (scil. non toleratis) recipere Pœnitentiam et baptismum (cf. Tridentinum sess. 14, c. 7): probabiliter etiam eucharistiam et extremam unctionem, casu nempe quo infirmus alia sacramenta recipere non possit, modo vitetur scandalum aut suspicio communicationis cum hæreticis. (Cf. *Codicem Juris Can.* 2259, 2261, 2267, 1258).

q. 82, a. 10.

ART. X. — UTRUM LICEAT SACERDOTI OMNINO A CONSECRATIONE CESSARE

Status quæstionis: Ut dicitur in 1ª difficultate enuntiata initio articuli. Videtur quod non tenetur Missam celebrare, si curam non habeat animarum; sicut non tenetur baptismum et alia sacra ministrare.

Ut notat S. Thomas in principio articuli quidam dixerunt quod sacerdos potest omnino licite a consecratione abstinere, nisi teneatur ex cura animarum; addunt tamen *secluso scandalo,* quod facile haberi dicunt si sacerdos per diuturnum tempus, puta per sex vel octo menses a celebrando abstineat. Ideo, saltem ratione hujus periculi, ea sententia vix practice probabilis dicenda est ut ait Marc. n. 1603.

Sententia longe communior et probabilior affirmat singulos sacerdotes, *ratione sacerdotii* teneri *sub gravi aliquando celebrare;* tum jure divino, tum jure ecclesiastico.

Præceptum divinum colligitur ex verbis Christi: « *hoc facite in meam commemorationem* »; hæc verba non tantum respiciunt communionem et communicantes, sed et maxime consecrationem et consecrantes; Christus enim, ut ait Concilium Tridentinum sess. 22, cap. 1 « eis ut consecrarent præcepit per hæc verba: « hoc facite.... », uti semper Ecclesia catholica intellexit et docuit ». Item in Epistola ad Hebræos, c. 5, dicitur: « omnis pontifex constituitur ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ».

Præceptum autem ecclesiasticum probatur ex decreto Innocentii III *de celebratione Missæ* (Marc. 1603) ubi vehementer reprehendit sacerdotes « qui missarum solemnia vix celebrant quater in anno ».

Cf. Marc. op. cit. obligatio celebrandi, ratione *sacerdotii,* n. 1602; an simpli sacerdotes obligentur 1603, q. 1, quoties in anno, q. 2; ratione *officii* 1604 quinam pastores obligentur 1605, 1606, q. 2, 3; ratione *stipendii* 1607.

Hæc sunt argumenta auctoritatis in favorem communioris sententiæ. Addi etiam possunt testes traditionis ut vg. S. Ambrosius cujus testimonium affertur in argumento sed contra.

In corpore articuli S. Thomas dat rationem hujusce sententiæ: et hæc ratio ad hoc reducitur:

— Unusquisque tenetur uti gratia sibi data cum fuerit opportunum.

— Atqui *opportunitas sacrificium offerendi* non solum *attenditur* per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed *principaliter per comparationem ad Deum cui offertur sacrificium.*

— Ergo sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare.

Major probatur ex auctoritate S. Pauli II Cor., VI, 1. « Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis »; probari etiam posset ex parabola talentorum, Matth. XXV, 14: « Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus et stridor dentium ».

Minor probatur ex ipsa definitione sacrificii; dum sacramenta sunt propter homines, scil. dona Dei hominibus, *sacrificium* e contra *Deo offertur ab hominibus;* unde opportunitas offerendi sacrificium attenditur principaliter per comparationem ad Deum, non vero per comparationem ad fideles.

Et ut dicit Billuart *unusquisque etiam laicus tenetur jure naturæ offerre Deo sacrificium;* laici offerunt quidem per sacerdotes, ergo *sacerdotes debent offerre et pro seipsis et pro populo,* quia vi ordinationis ex officio sunt deputati, ut pro populo intercedant ac sacrificia offerent (Hebr. c. V).

Per hanc rationem respondetur ad argumentum 1æ sententiæ ut facit. S. Thomas *ad 1um*: sacerdos non habens curam animarum non tenetur quidem baptizare et alia sacramenta ministrare, quia alia sacramenta præter Eucharistiam sunt sacramenta tantum et non sunt sacrificium. Sacramenta enim sunt propter homines et ea ministrare non tenetur nisi ille qui super fideles suscipit curam.

Quoties in anno quisque sacerdos celebrare tenetur?

Respondet S. Thomas in fine articuli « si non habeat curam animarum, saltem videtur quod celebrare tenetur *in præcipuis festis* et maxime in illis quibus fideles communicare consueverunt ». Sententia longe communior (Marc. 1603) affirmat, unumquemque sacerdotem sub gravi celebrare *teneri ter vel quater in anno;* in Festis nempe solemnioribus. Decretum e S. Congregatione Concilii editum nov. 1696 dicit, « qui, sine justa causa, ter vel quater in anno non celebravit peccat mortaliter et potest ab Episcopo puniri ». Alii, minus probabiliter, dicunt omnes sacerdotes celebrare teneri singulis Dominicis et Festis.

Sub levi tenentur sacerdotes celebrare saltem diebus Dominicis et festis solemnioribus, prout in Cod. 805 dicitur: « curent episcopi ut sacerdotes saltem diebus Dominicis et festis de præcepto divinis operentur ».

Cf. Marc. n. 1604-1606: *de obligatione celebrandi ratione officii:*

1° *omnes pastores animarum tenentur et sub gravi* celebrare Missam *singulis diebus Dominicis* et *festis de præcepto* (Concilium Tridentinum.

2° omnes pastores animarum tenentur et sub gravi applicare Missam pro populo singulis diebus Dominicis et festis de præcepto. Legitime impediti tenentur per alios celebrare.

Pastores sunt: episcopi, abbates, parochi, vice-parochi curati — non vero capellani. Cf. Prummer, *Manuale theol. moralis,* t. III, n. 258 ss.

Marc. n. 1607: *De obligatione celebrandi ratione stipendii.*

Ex stipendii acceptatione oritur obligatio *strictæ justitiæ tot* celebrandi Missas, quot, pro ratione acceptæ eleemosynæ, promissæ fuerint; et hoc est sub gravi [1].

Hæc obligatio potest per alium sacerdotem impleri, ea tamen lege ut huic integrum stipendium tradatur, nisi majus stipendium detur, non tam intuitu Missæ quam amicitiæ, paupertatis, gratitudinis etc.

N. 1613: Quæstum facere ex missarum stipendiis, quæ ad alios transmittuntur, prohibetur sub gravibus pœnis cf. Can. 2324.

Quoad celebrationem Missæ est gradatio ascendens, quam pluries notaverunt auctores spirituales, absque mentione Missæ sacrilegæ, scilicet: 1° *Missa celerrime expedita* cum scandalo fidelium, circa quam S. Alphonsus optimum scripsit opusculum, 2° *Missa correcta* quoad rubricas, sed quasi sine devotione actuali; 3° *Missa digne celebrata,* cum spiritu fidei, 4° *Missa Sanctorum,* ut celebrabatur v.g. a S. Dominico, a S. Philippo, a Sancto parocho d'Ars; cf. *Imitationem Jesu Christi,* l. IV, c. 8, 9, 13, 14, 17.

[1] Videbimus in quæstione sequenti quando agemus de valore sacrificii Missæ quod non licet per unam Missam satisfacere pluribus stipendiis, etiamsi Missa valorem infinitum habeat, stipendium enim non datur *ut pretium fructus Missæ,* sed *pro sustentatione* ministri; unde cum sacerdos ex uno stipendio sustentationem jam habeat, deficit titulus, cur aliud recipiat (cf. Marc. 1595).

Cf. CORBELET, *Histoire dogmatique, liturgique, achéologique du Sacrement de l'Eucharistie* (1886), I, 417, de la Fréquente communion des prêtres: hæc notat: « Il y a toujours eu des messes privées en dehors de la messe solemnelle que célébrait l'évêque dès les premiers siècles et à laquelle communiaient les prêtres présents, mais *dans la plupart des monastères d'Orient et d'Occident la messe ne se disait jadis que les dimanches et fêtes.* Les Chartreux ont longtemps conservé cet usage, de même au XIII[e] s. dans l'ordre de Saint François une seule messe était dite dans chaque monastère, les autres prêtres se contentaient d'y assister. Les historiens du XVI[e] s. signalent comme une marque de piété, l'habitude qu'avait tel ou tel prêtre de dire la messe tous les jours; mais s'il y eut des prêtres, qui par humilité ou tiédeur, ne célébraient que le dimanche, il y en eut d'autres qui par dévotion, à certains jours du moins disaient plusieurs messes.

II PARS

DE SACRIFICIO MISSÆ

Auctores consulendi

ABERTUS MAGNUS I: *De sacrificio Missæ.*
BATIFFOL: *Leçons sur la Messe,* ed. 3, Paris, 1909.
BENEDICTUS XIV: *De sacrosancto Missæ sacrificio.*
BERNARDI: *Il santo sacrificio della Messa,* Treviso 1924.
BILLOT (Card.): *De Ecclesiæ sacramentis,* ed. 6ª, Roma, 1924-1926.
BRINKTRINE J.: *Die heilige Messe,* Paderborn, 2, 1934. — *Das Opfer der Eucharistie,* Paderborn, 1938.
CAIETAN: *Opuscula de sacrificio Missæ.*
CONDREN (P. de): *L'idée du sacerdoce et du sacrifice de N. S. J. C.,* ed 2ª, Paris, ed. 2ª, Téqui, 1901.
GIHR N.: *Das heilige Messopfer,* Freiburg in Br. 11-19, 1922.
GIRAUD, S. M.: *Prêtre et Hostie,* 2 vol., Paris, Beauchesne, ed. 5ª, 1924.
GRIMAL: *Le sacerdoce et le sacrifice de N. S. J. C.,* ed. 3ª, Paris, Beauchesne, 1923.
HUGON: *La Sainte Eucharistie,* ed 2ª, Paris, Téqui, 1917.
JOANNES A S. THOMA: in IIIam Partem S. Thomæ.
KRAMP J. (S. J.): *Die Opferanschauungem der römischen messliturgie.* Regensburg, 1924.
LA TAILLE (M. De): *Mysterium fidei,* ed. 3ª, Paris, Beauchesne, 1931. *Esquisse du mystère de la foi,* Paris, 1924.
LEPIN M.: *L'idée du sacrifice de la Messe d'après les théologiens depuis l'origine jusqu'à nos jours.* 1926, Paris, Beauchesne.
E. MASURE: *Le sacrifice du chef,* 1938, Paris.
SALMANTICENSES in IIIam S. Thomæ.
S. THOMAS IIIª, Q. 82 et 83.
SCHELLER J. M.: *Vom Opfer Christi mysterien der hl. Messe,* Paderborn, 1936.
VONIER, A. O. S. B., *La clef de la doctrine eucharistique,* tr. fr. Lyon, ed. de l'Abeille, 1942.
Dict. Theol. Cath., art. « Messe » (A. MICHEL).

Ad tractandum de sacrificio Missæ, erit sermo:

Cap. I. De sacrificio in genere et de finibus ejus.
Cap. II. De Missa ut est verum sacrificium.
Cap. III. De effectibus et de valore sacrificii Missæ.

CAPUT I

DE SACRIFICIO IN GENERE ET DE FINIBUS EJUS

Art. I. De notione sacrificii in genere. - Art. 2. De diversis formis ejus ac de quatuor ejus finibus. - Art. 3. Quare oblatio sit principalis pars sacrificii, quamvis non specifica, ex: sacrificium Abel, sacrificium Caini sine valore, sacrificium Abrahæ, in quo oblatio interior tam perfecta est et heroica, ut dispensetur patriarcha, ab immolatione filii sui Isaac.

ART. 1. — DE NOTIONE SACRIFICII IN GENERE

Cfr. S. Thomam IIa-IIae, q. 85; Ia-IIae, q. 101, 102; C. G., l. III, c. 119, Lepin, op. cit., Grimal, op. cit., 3-25. Dicet. Theol. Cathol. art. Sacrifice (Gaudel).

Communiter theologi distinguunt sacrificium in sensu lato et sacrificium in sensu proprio. *In sensu lato sacrificium est omne opus bonum propter reverentiam divinam factum,* et potest esse actus mere interior, sic dicitur in Ps. 50: « sacrificium Deo spiritus contribulatus », vel etiam exterior, sic dicitur in Ps. 140, 2: « elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum », et Eccli, 35, 4: « qui facit misericordiam, offert sacrificium ». Item quilibet fidelis est in sensu lato sacerdos, sec. illud I Petri II, 5: « Domus spiritualis, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum ».

Lutherani confuderunt sacerdotium proprie dictum cum sacerdotio late dicto, dicendo: omnes fideles sunt sacerdotes; et ex alia parte dixerunt missam non esse sacrificium proprie dictum.

Sacrificium proprie dictum definitur a S. Thoma II-II, q. 85, a. 1-2-3-4: *oblatio rei sensibilis* (art. 1) *soli Deo facta ad testandum ejus supremum dominium nostramque subjectionem* (art. 2) *per quamdam immutationem circa rem oblatam* (art. 3 ad 3um) *et facta a legitimo ministro qui est proprie sacerdos* (art. 4). Explicantur termini per ipsa verba S. Thomæ loc. cit.

Facile sic discernuntur quatuor causæ sacrificii in genere.

1) Dicitur *oblatio.* Hoc est genus commune sacrificio et aliis actibus quibus offertur Deo vel aliquid interius ut bona voluntas, vel aliquid

exterius. Sic non omnis oblatio est sacrificium, ut dicit S. Thomas, a. 3, ad 3, sed videbimus tamen infra quod oblatio interior est quid principalius in sacrificio quam id quod fit exterius, nam hoc signum exterius esset sine valore religioso si fieret sine oblatione interna.

2) Dicitur *rei sensibilis,* nam ut ait S. Thomas, a. 1, « est modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur offerens eas Deo in signum debitæ subjectionis et honoris, sec. similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii ». Hæc est fundamentalis significatio in qua invenitur *adoratio* et *gratiarum actio.*

Imo in hoc art. I, S. Thomas dicit: « *oblatio sacrificii pertinet ad jus naturale* », nam « ratio naturalis dictat homini quod alicui superiori subdatur propter defectus quos in seipso sentit, in quibus ab aliquo superiore indiget adjuvari et dirigi, et quidquid illud sit, hoc est quod apud omnes vocatur Deus ». Hic indicatur ut finis, *postulatio auxilii.* Sic sacrificium invenitur in omnibus religionibus. (Cfr. II-II, q. 81, a. 7 de cultu externo in genere).

Ex hoc apparet, et est magni momenti, quod *sacrificium externum,* ut externum, est *in genere signi,* dum *sacrificium internum* est *in genere actionis moralis,* procedentis a virtute religionis, ut bene ostendit Joannes a S. Thoma, *De Euch.,* disp. 32, a. 1. Notanda sunt verba S. Augustini, *De Civit. Dei,* c. 5, pluries citata a S. Thoma, v. g. IIIa, q. 22, a. 2: « Omne sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum est ».

Unde signum externum non valet, nisi ad actum internum significandum; et si defectu spiritus fidei et orationis sistimus in his signis externis est formalismus pharisaicus, id est sola apparentia externa religionis sine realitate, unde dicitur in Evangelio « cavete a fermento pharisæorum » Matth. XVI, 6. et in I Cor., V, 8: « Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azimis sinceritatis et veritatis ».

3) Dicitur: *soli Deo facta* (art. 2) quia sacrificium est actus, non duliæ aut hyperduliæ, sed *latriæ* seu *adorationis soli Deo debitæ.* Dicit enim S. Thomas l. c.: « Significat autem sacrificium quod offertur exterius interius spirituale sacrificium, quo anima seipsam offert Deo, sec. illud Ps. 50, « sacrificium Deo spiritus contribulatus » quia sicut supra dictum est, q. 81, a. 7 et q. 84, a. 2, exteriores actus religionis ordinantur ad interiores (qui sunt igitur principaliores). Anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut principio suæ creationis et sicut fini suæ beatificationis. Secundum autem veram fidem solus Deus est creator animarum nostrarum. In solo etiam Deo animæ nostræ beatitudo consistit. Et ideo sicut soli Deo summo debemus sacrificium spirituale offerre, ita etiam ei soli debemus offerre exteriora sacrificia ». Ibid. ad 2um: « in oblatione sacrificii non pensatur pretium occisi pecoris, sed signifi-

catio, quia hoc fit in honore summi rectoris totius universi ». Honor enim proportionari debet excellentiæ agnoscendæ, et igitur supremæ excellentiæ Dei debetur specialis honor adorationis, qui manifestatur per sacrificium.

Propterea Apostoli et Angeli noluerunt adorari, Act. Ap. X, 25; XIV, 14; Apoc., XIX, 10; XXII, 8, dum e contrario dæmon dixit Christo (Mt. IV, 9): « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me ». Ad quod Christus respondit: « Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies ».

Sacrificium est ergo actus religionis seu latriæ, ut dicitur art. 3 corp.

4) Dicitur: *per quamdam immutationem circa rem oblatam.* Quidam auctores dixerunt: per destructionem realem rei oblatæ, et hoc non possunt invenire in sacrificio Missæ, quia corpus Christi est incorruptibile. Alii auctores, ut Suarez, Lugo, Lessius, dixerunt per realem immutationem rei oblatæ, sed pariter eam invenire nequeunt in sacrificio Missæ, nam in eo corpus Christi non realiter immutatur, sed solum substantia panis et vini, quæ non est proprie res oblata.

Cum magna attentione definiendum est genus, ut in hac definitione, non ponatur jam species hujusce generis, v. g. ut non ponatur in definitione vitæ id quod pertinet ad sensitivum et non est in plantis. S. Thomas attente usus est *verbis voluntarie indeterminatis* et generalioribus, ut applicari possint omni sacrificio etiam incruento. Etenim a. 3, ad 3um, ad ostendendum quod sacrificium est specialis actus religionis, distinctus a devotione, ab oratione, a simplici oblatione, dicit: « sacrificia proprie dicuntur, *quando circa res Deo oblatas aliquid fit*, sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur et comeditur, et benedicitur. Et hoc ipsum nomen sonat, nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, *etiamsi nihil circa ipsum fiat*, sicut dicuntur offerri denarii et panes in altari, circa quos nihil fit. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur » scil. non omnis oblatio est sacrificium, v. g. primitiæ erant oblationes tantum. Item II-II, q. 86, a. 1.

Notandum est quod S. Thomas agendo de sacrificio in genere et nondum de speciebus ejus, ut sunt sacrificium cruentum et incruentum ex intentione utitur terminis omnino communibus scil. « circa res Deo oblatas aliquid fit » et aliquid quod sit expressio adorationis, reparationis et aliorum finium sacrificii. Non dicit quod ad sacrificium requiritur destructio rei oblatæ, nequidem realis ejus immutatio.

Revera ad sacrificium in genere sufficit *quædam immutatio circa rem oblatam,* etiamsi non sit realis et physica immolatio victimæ, requisita ad sacrificium cruentum ut cruentum est. Et de facto in Missa erit solum sacramentalis immolatio corporis Christi, id est immolatio in genere signi, non vero realis et physica, sed sacramentalis quæ fiet per realem et duplicem transsbstantiationem quæ terminatur ad corpus

et ad sanguinem Christi. Sic *aliquid fit circa rem oblatam,* scil. per consecrationem fit duplex transsubstantiatio panis et vini quæ realiter terminatur ad corpus et ad sanguinem Christi, prout solum corpus ejus est realiter ex pane, et solus sanguis ejus est realiter ex vino. Vere aliquid fit circa rem oblatam. Et sufficit immolatio non physica, sed sacramentalis, scil. in genere signi, nam pro sacrificio in genere, id quod fit exterius circa rem oblatam est proprie in genere signi, ut dixit S. Thomas l. c. a. 2: « Oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum. Significat autem sacrificium quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima seipsam offert Deo ». Propterea sacrificium Caini non fuit acceptatum a Deo, quia erat solum externum.

Sic explicatur definitio traditionalis sacrificii in genere scil.: sacrificium proprie dictum est oblatio rei sensibilis soli Deo facta ad testandum supremum ejus dominium nostramque subjectionem, per quandam immutationem circa rem oblatam, et facta a legitimo ministro qui proprie est sacerdos. Non requiritur realis destructio rei oblatæ, quamvis pluries inveniatur, nec requiritur realis immutatio hujus rei, sufficit quod aliquid fiat circa rem oblatam et aliquid expressivum adorationis, reparationis, postulationis aut gratiarum actionis. Sic in Missa dicemus aliquid fit circa rem oblatam, scil. duplex consecratio et transsubstantiatio, quæ terminatur ad corpus et sanguinem Christi, ut sit in altari in statu mortis, sed sub speciebus panis et vini.

Dubium: *Quando est destructio rei oblatæ, ut occisio victimæ, aut totalis ejus combustio, quid significatur per eam?*

Hoc explicatur a S. Thoma I-II, q. 102, a. 3, ad 5um. Assignat triplicem symbolismum, scil.: « animalia in sacrificio oblata occidebantur, quia veniunt in usum hominis occisa, secundum quod dantur homini ad esum (in hoc est gratiarum actio pro beneficiis a Deo acceptis, et speciatim offerebantur animalia munda, ut columba, agnus)... Similiter etiam per occisionem animalium significatur destructio peccatorum, et quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eorum occiderentur, ad significandam expiationem peccatorum. Per occisionem etiam hujusmodi animalium significabatur occisio Christi ».

Circa hoc dicendum est quod Deus vult quidem destructionem peccati sed non peccatoris, imo vult vitam ejus. Ut dicitur in Sap., I, 13: « Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viventium ». Unde id quod principaliter postulat Deus, etiam in sacrificio expiationis, non tam est mors victimæ oblatæ, quam contritio cordis humiliati et pœnitentis. Sic etiam communiter dicitur quod passio Domini habet suum valorem ex ipso heroico amore Salvatoris pro Deo et animabus; summus dolor et mors nullum valorem haberent sine amore Dei [1].

[1] Cfr. de hac re: LEPIN, *op. cit.*, p. 720; M. DE LA TAILLE, *Myst. fidei*, 3a ed. 1931, p. 1-17, *Esquisse*, p. 7-65.

Pariter S. Thomas I-II, 102, a. 3, ad 8um ostendit symbolismum holocausti dicendo: « In holocausto totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem et omnia quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta et ei esse offerenda ».

Unde immutatio externa facta circa rem oblatam significat oblationem internam animæ Deo creatori, oblationem nempe adorationis, nec non gratiarum actionis, sæpe etiam supplicationis et reparationis pro peccato commisso. Sed semper prævalet idea conversionis animæ ad Deum supra ideam destructionis, non enim destruitur peccator, sed peccatum; ut homo ad Deum conversus, propter Deum vivat.

5) Denique in definitione sacrificii dicitur *a legitimo Dei ministro* (II-II, q. 85, a. 4), quia sacrificium est specialis actus religionis non solum simul externus et internus, sed *publicus,* id est offertur, non pro solo offerente sed pro populo, ergo debet offerri per publicum et deputatum ministrum, qui nomine omnium agat. Unde dicitur ad Hebr. V, 1: « Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ». Sed omnes fideles tenentur ad offerendum sacrificium internum, et fideles tenentur etiam ad offerendum sacrificium externum cum sacerdote.

Sic sufficienter explicatur traditionalis definitio sacrificii proprie dicti, ut formulata est ad S. Thoma.

Corollarium. *Sacrificium est altissimus actus virtutis religionis,* quia simul est internus, externus et publicus, sic est actus totius populi et fines ejus sunt altissimi, scil, adorationis, petitionis, reparationis, gratiarum actionis. Proinde culmen vitæ interioris manifestatur in illo. Et quasi omnes alii actus virtutis religionis ad illud concurrunt, ut devotio, simplex oratio, oblatio interna sacrificii improprie dicti etc...

Animadversio. *Sacrificium proprie dictum* sæpe est *rituale,* ut Cœna, Missa, sed potest esse *eminenter rituale* ut sacrificium Crucis, quamvis in eo nullus ritus liturgicus appareat.

Hoc est contra P. de la Taille (*Esquisse* p. 8) et *Myst. fidei,* 2a ed., p. 29 et etiam contra M. Lepin. Prior tenet quod sacrificium crucis non fuisset verum et perfectum sacrificium si antea non fuisset oblatio ejus ritualis in Cœna; tunc videtur quod sacrificium crucis sit solum pars sacrificii et non sacrificium perfectissimum omnium, ut dicit tota traditio.

M. Lepin op. cit., p. 740 dicit sacrificium Crucis fuisse sacrificium personale non rituale, quod dici posset de quolibet martyrio.

Dicendum est: *sacrificium crucis est eminenter rituale;* 1) quia est maximum sacrificium figuratum ab omnibus sacrificiis ritualibus V. T. nec non a Cœna, et commemoratum a Missa; 2) quia *victima* oblata in sacrificio Crucis fuit *ab æterno electa a Deo;* 3) quia fuit *oblata a summo sacerdote,* et igitur est *plus quam simplex martyrium,* quod de se non est sacrificium proprie dictum, sicut non ommis martyr est sacerdos proprie dictus [1].

ART. II. — DE DIVISIONE SACRIFICII

Hæc divisio proponi potest secundum quatuor causas, sic magis apparebit valor definitionis sacrificii in communi et quare debeat fieri terminis voluntarie indeterminatis, sicut non debet poni in definitione vitæ id quod est proprium vitæ sensitivæ et non invenitur in vegetativa.

1) **Ratione agentis insfituentis** habetur: a) *sacrificium legis naturæ* sine positiva determinatione Dei, ut sacrificium Abel, Melchisedech; b) *sacrificia Veteris Legis* seu legis mosaicæ quæ erant figura sacrificii Crucis; c) *sacrificium Novæ Legis,* quod offertur modo cruento in Cruce, modo incruento ante mortem Christi, in Cœna, et in Missa post mortem Christi.

2) **Quoad finem**, sacrificium dividitur sec. quatuor fines ejus, scil.: a) *sacrificium adorationis,* in V. T. præsertim holocaustum quo exprimebatur elevatio totius mentis ad Deum et unio cum Deo, sic convenit perfectis; b) *sacrificium impetrationis* postulat gratias necessarias ad salutem; c) *sacrificium propitiationis,* seu *expiationis* vel reparationis, offertur ad remissionem culpæ et pœnæ; d) *sacrificium gratiarum actionis,* ut hostia pacifica in V. T. est signum gratitudinis pro Dei beneficiis.

S. Thomas notat IIIa, q. 22, a. 2, quod sacrificium Crucis, ut perfectissimum omnium et ab aliis figuratum, ordinatur ad hos quatuor fines, et pariter Missa, prout est idem sacrificium quoad substantiam ac sacrificium Crucis.

Hæc divisio quatuor finium sacrificii est maximi momenti in ordine spirituali et ideo B. P. Eymard sæpe, durante hora sancta, considerabat per modum meditationis hos quatuor fines.

3) **Ex parte formæ sacrificii** seu ACTIONIS SACRIFICII in V. T. distinguebantur ut explicat S. Thomas I-II, q. 102, a. 3: oblatio pro peccato cujus una pars comburebatur, alia dabatur in usum sacerdotum; hostia pacifica ad conservationem animæ, dividebatur in tres partes, una incendebatur in honorem Dei, secunda dabatur sacerdotibus, tertia fidelibus; holocaustum, ad elevationem mentis ad Deum, tota victima comburebatur.

Item ex parte formæ sacrificium dividitur *in cruentum* scil., cum immolatione reali seu physica victimæ, et *incruentum* scil., sine reali effusione sanguinis, ut sacrificium Melchisedech, Cœna et Missa.

1 Cf. *Dict. théol. cath.:* art. « Messe », col. 1244 ss.

Notandum est etiam quod sacrificium cruentum potest esse *active cruentum,* ut occisio et oblatio agni paschalis, aut solum est *passive cruentum* ut sacrificium Crucis, in quo Christus sese obtulit morte intercedente, sed occisio ejus fuit magnum sacrilegium, non quidem renovandum in Missa. Cfr. S. Thomas III, q. 48, a. 3, ad 3um: « Passio Christi ex parte occidentium ipsum fuit maleficium, sed ex parte ipsius ex caritate patientis fuit sacrificium. Unde hoc sacrificium ipse Christus obtulisse dicitur, non autem illi qui eum occiderunt ». Cf. IIIa, q. 22, a. 2, ad 1: « Christus non se occidit, sed seipsum voluntarie morti exposuit ».

4) **Quoad materiam oblatam** sacrificia proprie dicta in V. T. dividebantur prout offerebantur animalia, aut fructus terræ, frumentum, panis, sal, thus ardens, aut libamina, scil. vinum aut oleum. Cf. S. Th. I-II, q. 102, a. 3, ad 13m, 14m.

Animadversio. Definitio logica sacrificii est quid logice univocum; sed si consideratur causalitas seu valor realis sacrificiorum, tunc causalitas omnium sacrificiorum V. T. et etiam valor Cœnæ ac Missæ dependet ex valore sacrificii Crucis, quod in hoc ordine causalitatis est, ut aiunt Scholastici, primum analogatum, a quo omnia sacrificia alia dependent.

Ita pariter quamvis definitio virtutis moralis sit quid logice univocum, tamen quoad causalitatem omnes virtutes morales dependent a suprema earum, quæ est prudentia, auriga virtutum. Ita generaliter Thomistæ et specialiter Joannes a S. Thoma ubi de virtutibus moralibus. Sic sufficienter constat de diversis finibus sacrificii etiam in omnibus religionibus [1].

Coroll. *Altissimum omnium sacrificiorum est igitur sacrificium crucis,* cuius omnia sacrificia antecedentia erant figura et cujus Missa est commemoratio, velut continuatio modo sacramentali et applicatio usque ad finem mundi.

[1] Cf. J. GRIMAL, *Le Sacerdoce et le sacrifice de N. S. Jésus Christ,* 4a ed. 1926, I. P. ch. I, « *Universalité du sacrifice* »:

« Dans toute l'antiquité paienne ou juive, au centre de la vie religieuse apparait le sacrifice, l'acte suprème du culte, consistant dans l'offrande et la destruction d'une victime en l'honneur de la divinité ». — Ch. II: « *L'idée de la substitution* »: « Le trait le plus saillant du sacrifice antique parait être la substitution d'une victime, offerte et immolée au nom de l'homme, soit parfois pour racheter savie, soit du moins pour exprimer ses sentiments d'adoration et d'expiation ». — Ch. III, *L'idée d'alliance:* « L'effet principal du sacrifice antique paraît avoir été de créer ou d'entretenir une sorte d'alliance, par la quelle la divinité s'unissait, par une espèce de lien de famille aux membres de la société religieuse et les admettait en participation à ses biens ». — Ch. IV, *La communion:* « Elle terminait ordinairement le sacrifice antique; en mangeant l'hostie, qui lui est substituée, l'homme s'identifie, s'offre et s'immole davantage avec elle; en mangeant l'hostie devenue chose divine et sacrée, l'homme, assis comme un ami à la table de Dieu, se sanctifice et se divinise en quelque sorte ».

Communiter tenetur *sacrificium Crucis etiam independenter a Cœna esse perfectissimum sacrificium,* in quo, quamvis dissentiat P. de la Taille, est non solum cruenta immolatio, sed etiam oblatio clare expressa sensibiliter in actibus externis Christi patientis et in ultimis verbis ejus, speciatim in his: « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (Luc. XXIII, 46) et « Consummatum est » (Jo. XIX, 30), cf. III, q. 48, a. 3. Finis ejus est reconciliatio nostra cum Deo ut quadam spirituali societate inhæreamus illi in æternum [1].

ART. III. — QUARE OBLATIO SIT ID QUOD PRINCIPALE EST IN SACRIFICIO, VELUT ANIMA SACRIFICII

Responsio satis facilis est, quia id quod fit exterius scil. immolatio externa, aut immutatio circa rem oblatam, est solum signum internæ oblationis qua anima se offert Deo; et manifestum est quod sacrificium spirituale et internum altius est quam sacrificium externum. Dicit enim Aug. (Civ. Dei, l. 10, c. 5) pluries citatus a S. Thoma: « Sacrificium exterius est signum interioris sacrificii, quo quis seipsum offert Deo » cf. IIIa, q. 48, a. 3, et q. 82, a. 4 c.

Sine oblatione interna sacrificium externum nullum valorem religiosum haberet; nequidem dolorissima passio Christi valorem moralem et religiosum haberet si Christus eam non obtulisset ex amore Dei et animarum. Unde in sacrificio Crucis et Missæ valor magis sumitur ex oblatione interna Christi quam ex dignitate victimæ [2].

Attamen oblatio est solum genus sacrificii et immolatio vel immutatio facta circa rem oblatam est ejus *differentia specifica,* plusquam conditio ritualis, quidquid dicant quidam auctores, qui non quærunt differentiam specificam. Dicit enim S. Thomas II-II, q. 85, a. 3, ad 3um « Omne sacrificium est oblatio, sed non omnis oblatio est sacrificium; nam sacrificium significat quod homo aliquid sacrum facit circa rem oblatam ».

Dubium. Quomodo vero genus alicuius rei possit esse quid principalius quam ejus differentia specifica, dum in homine differentia specifica est perfectior quam genus animalitatis?

Respondetur: genus est quid minus perfectum quando sumitur ex materia, ut animalitas, dum rationalitas sumitur in homine ex spiritu.

Sed *quandoque genus sumitur ex alto;* ita in sacrificio, oblatio spiritualis et interna est quid altius quam immolatio externa victimæ. Genus intellectus humani, scil. ipsa intellectualitas creata est quid altius

[1] Cf. *Dict. théol. cath.,* art. « Messe », col. 1245; et LEPIN, op. cit., p. 689-697.

[2] Quando B. Maria Virgo obtulit Filium suum in Calvario, oblatio ejus erat valoris finiti ex parte personæ offerentis, et valoris infiniti ex parte victimæ oblatæ. Sed ipsa oblatio personalis Christi erat actus theandricus.

quam rationalitas, nam intellectualitas est perfectio simpliciter simplex, non vero rationalitas; intellectualitas restringitur in rationalitate. Pariter *vita* est perfectio simpliciter simplex et est perfectior in se quam vegetativum et sensitivum, quia coarctatur, limitatur in illis. Item vita christiana consistens præsertim in adimpletione duorum præceptorum amoris et in exercitio virtutum theologicarum, est quid altius quam vita religiosa consistens in adimpletione trium consiliorum, quæ subordinantur supremis præceptis; item tres virtutes paupertatis, castitatis et obedientiæ subordinantur virtutibus theologicis. Vita religiosa denique propter eamdem rationem est de se quid magis principale quam species ejus, v. g. vita benedictina, dominicana, carmelitana, sec. talem vel talem regulam determinata. Unde quandoque genus, si sumitur ex alto, ex spiritu, ex relatione ad finem ultimum, est quid magis elevatum quam differentia specifica.

Sic in sacrificio oblatio spiritualis interna est quid altius quam immolatio externa victimæ.

Ex hoc apparet quod *realimus sacrificii magis sumendus est ex parte oblationis internæ*, quæ est *res significata*, quam ex parte signi externi. Ita generaliter realismus alicuius significationis magis sumitur ex parte *rei significatæ* quam ex parte signi significantis.

Unde *realismus Missæ* magis inquirendus est *ex parte oblationis internæ perdurantis in mente Christi principalis sacerdotis* quam in immolatione sacramentali quæ est in genere signi.

Hoc clarius constat in exemplis sacrificiorum Caini, Abel et Abrahæ (cf. Gen. IV, 3, 5; XXII, 13, 16, 17; Ps. L, 18, 19).

In Gen. IV legitur: « Factum est ut Cain offerret de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum; *et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus. Ad Cain vero et ad munera illius non respexit*, iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus eius... Dixit Dominus ad eum: Quare iratus es? Nonne si bene egeris, recipies... ». Et statim postea narratur quod impius Cain Abel fratrem suum occidit, et a Deo punitur. Est prima manifestatio mysterii prædestinationis (cf. Grimal, op. cit., p. 68).

In Ep. ad Hebr. XI, 4, dicitur: « Fide plurimam (pretiosiorem) hostiam Abel quam Cain Deo obtulit, per quam testimonium consecutus est esse iustum... et per illam (fidem) defunctus Abel adhuc loquitur ». Ibid. XII, 24 dicitur de Jesu: « est testamenti novi mediator » et sanguis ejus melius loquitur quam sanguis Abel. Unde Patres dixerunt quod iustus Abel, occisus ab impio Cain fratre suo, erat iam figura Christi innocentis occisi a Judæis. Inde dicitur in Apoc. XIII, 8: « Dignus est Agnus qui occisus est (in figura) ab origine mundi ».

Abel occisus est a Cain quia sacrificium suum fuit acceptatum, scil. quia obtulerat cum fide et pietate sacrificium quod acceptatum est a Deo, qui non respexit ad munera Caini sine vera pietate oblata. Sed mors Abelis est ejus gloria, quia per eam figurat Salvatorem, qui erit sacerdos et victima.

In hoc clarissime apparet quod *pia oblatio interna est velut anima sacrificii* et quod *sine ea* non habetur *nisi cadaver sacrificii, ut sacrificium Cain* a Deo non acceptatum.

Eadem veritas apparet in sacrificio Abrahæ de quo agitur in Genesi, XXII, ubi narratur quod fides et obedientia Abrahæ probatur a Deo per præceptum immolandi filium suum Isaac, sed ab ipsius immolatione externa prohibetur Abraham ab Angelo, promissionesque ei denuo ob hanc insignem obedientiam confirmantur. Id est oblatio interna Abrahæ, et etiam filii sui mortem heroice acceptantis, fuit ita generosa, ut sufficeret sine immolatione externa, unde v. 12 Angelus dicit Abrahæ in nomine Dei: « *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam; nunc cognovi quod times Deum et non pepercisti unigenito tuo propter me.* Levavit Abraham oculos suos et vidit post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio ». Id est: in substitutione pro filio. Isaac autem ligatus in altare erat figura Christi crucifigendi.

Unde in Canone Missæ revocantur in memoriam hæc duo sacrificia Abel et Abrahæ ad significandum quod sacrificium valet secundum spiritum fidei et pietatis quocum offertur Deo.

S. Thomas dicit I-II, q. 20, a. 1 et sq., agendo de bonitate actuum exteriorum: « Cum finis sit proprium objectum voluntatis, manifestum est quod *ratio boni vel mali* quam habet actus exterior ex ordine ad finem, per prius invenitur in *actu voluntatis, et ex eo derivatur ad actum exteriorem* ». Ibid. a. 2: Attamen actus exterior aliquid addit, nam « non est perfecta voluntas nisi sit talis, quæ opportunitate data operetur ». Ergo, ut notat Billuart, *actus exterior addit actui interiori bonitatem*, vel malitiam non simpliciter, seu distinctam a bonitate vel malitia interiori, sed *sec. quid*, id est *eamdem extensam et consummatam.* Confirmatur: De communi sensu Theologorum post S. Thomam, illi qui *voluntate tantum* sunt martyres, licet æquale præmium essentiale mereantur, non tamen merentur præmium accidentale, quod dicitur aureola quam obtinent illi qui reipsa pro Christo sanguinem fuderunt.

CAPUT II

DE MISSA UT EST VERUM SACRIFICIUM

Art. I. — In quonam sensu Missa est verum Sacrificium sed incruentum, secundum Conc. Trid.

Art. II. — Classificatio approximativa sententiarum de essentia sacrificii Missæ.

Art. III. — Quomodo theologice probatur Missam esse verum sacrificium.

Art. IV. — An Christus ut principalis Sacerdos non solum virtualiter sed actualiter offerat Missas quæ quotidie celebrantur.

ART. I. — IN QUONAM SENSU MISSA EST VERUM SACRIFICIUM SED INCRUENTUM SECUNDUM CONCILIUM TRIDENTINUM

Status quæstionis: — Non eodem modo ponebatur hæc quæstio ante apparitionem protestantissimi. Tempore enim S. Thomæ et antea usque ad sæc. XV, sic ponebatur problema ut in IIIa, q. 83, a. 1: *Utrum in hoc Sacramento Christus immoletur*. Et respondebatur cum S. August. citato in arg. « Sed contra »: « Semel immolatus est in seipso Christus, et tamen *quotidie immolatur in sacramento* » [1]. Quod sic explicabatur: Immolatur sacramentaliter et incruente, prout per duplicem consecrationem et duplicem transsubstantiationem Christus ponitur in altari quasi in statu mortis, et hæc sacramentalis immolatio est repræsentatio cruentæ immolationis Calvarii et applicatio meritorum Passionis.

Legendus est corpus art. S. Thomæ [2].

Protestantes autem dixerunt: Tunc Missa est solum memoriale præteriti Sacrificii Crucis et non est verum Sacrificium. Unde ab isto tempore sic ponitur quæstio: An Missa sit vere et proprie dictum Sacrificium.

1 *Epist.* 98 *ad Bonifacium.*

2 Quoad necessitatem utriusque speciei, cf. S. Thomam III, q. 74, a. 1, q. 76, a. 2, q. 80, a. 12, ad 3.

Et sæpe affirmat S. Doctor quod *celebrans offert Missam in persona Christi* III, q. 22, a. 3, ad 2; q. 78, a. 3, 4; q. 82, a. 4, 5, c. 2m, 3m, a. 6, a. 7, ad 3, a. 8. Item quod *Eucharistia continet Christum passum* III, q. 73, a. 4, ad 3; a. 5, ad 2; q. 75, a. 1; q. 78, a. 6, ad 1m.

Principalis obiectio Protestantium quæ præsertim a Zwinglio [1] et Calvino proponitur, est ista:

Omne verum sacrificium exigit *realem destructionem* seu immolationem victimæ oblatæ. Atqui in Missa non invenitur hæc realis destructio seu immolatio victimæ oblatæ, sc. corporis Christi gloriosi. Ergo Missa non est verum et proprie dictum Sacrificium [2].

Hæc difficultas non nova erat, sæpe formulata est a scholasticis, v. g. a S. Alberto Magno in IV Sent. dist. 13, a. 23, et a S. Thoma III, 83, a. 1: 2a obiectio, scil. « Immolatio Christi facta est in cruce, in qua tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (Eph., V, 2). Sed in celebratione hujus mysterii Christus non crucifigitur; Ergo nec immolatur ». — Respondebat S. Thomas ad 2um: « Sicut celebratio hujus sacramenti est imago repræsentativa passionis Christi, ita altare est repræsentativum crucis ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est », i. e.: *Quotidie Christus immolatur non realiter seu physice, sed sacramentaliter*, in *genere signi, sub* speciebus panis et vini et non in seipso [3]. Hæc sufficiunt quoad statum quæstionis.

I. — Quid definivit Concilium Tridentinum contra protestantes? Principalis responsio C. Trid. ad protestantes est quod Missa est verum sacrificium, sed incruentum, ad quod non requiritur immolatio realis seu physica victimæ.

Definivit sess. XXII, can. 1 (Denz. 948): « Si quis dixerit in Missa non offerri *Deo verum et proprium Sacrificium*, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari: A. S. »

Hoc quidem sic explicatur in capitulo correlativo (Denz. 938):

1) Explicatur Sacrificium Christi per ejus Sacerdotium: declaratur sec. S. Paulum quod *Christus constitutus est ut Sacerdos sec. ordinem Melchisedech*, qui obtulit vero Deo panem et vinum: « Quoniam sub

1 *Opera Zwinglii*, t. II, fol. 200.

2 Dicit Zwinglius, l. c., « Christus illic tantum offertur ubi patitur, sanguinem fundit, moritur... Christus autem non potest ultra mori, pati, sanguinem fundere. Ergo Christus ultra offerri non potest ». Item Calvin, Institutions, l. IV, c. 18, n. 5: « Si Jésus Christ à chaque Messe est sacrifié, il faut qu'en chacun moment, en mille lieux, il soit cruellement tué et occis. Il y a effusion de sang requise en tout sacrifice ». Differentia inter Lutherum ex una parte et Zwinglium et Calvinum ex altera, est quod hi duo ultimi contra Lutherum negabant etiam præsentiam realem. Cf. *Dict. théol. cath.*, art. « Sacramentaire » (Controverse), col. 451 et ENDERS, *Luthersbriefwechsel*, V, p. 262, 267, 294.

3 Objectiones protestantium contra sacrificium Missæ, sunt iam quasi ad litteram apud S. Albertum Magnum ad modum diffic. solvendæ in IV Sent. dist. XIII, a. 23: « Si Christus dicitur *immolari*, quia fit *repræsentatio* immolationis factæ, dicetur crucifigi et tradi, quia fit repræsentatio crucifixionis et occisionis factæ (scil. in pictura), quod falsum est »: i. e.: Missa non est sacrificium, sed solum repræsentatio sacrificii præteriti.

Ibidem S. Albertus sibi objicit: « In Sacramento nulli facienda est iniuria: sed Christus, semel oblatus, hominum peccata tulit sufficienter ».

Resp. S. Albertus. In Missa non renovanda est *occisio Christi*, quæ fuit actus iniquus Judæorum; sed in Missa fit *oblatio* victimæ olim occisæ. Nec fit iniuria sacrificio crucis, quia est eadem victima quæ semper offertur et non quæritur alia ad redemptionem nostram

1 Cf. *Dict. théol. cath.*, art. « Messe : La Messe dans l'Eglise latine à la veille de la Réforme, col. 1081-1085. — La Messe durant la période de la Réforme et du Concile de Trente, col. 1085-1142.

priori Testamento (teste Apost. Paulo) propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, *oportuit* (Deo Patre misericordiarum ita ordinante), *sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech* (Gen. 14, 18; Ps. 109, 4; Hebr. 7, 11) *surgere, Dominum nostrum, Iesum Christum,* qui posset omnes, *quotquot sanctificandi* essent *consummare* (Hebr. 10, 14) et ad perfectum adducere ».

Non potest magis ex alto considerari sacrificium Christi, scil. ex altitudine sui Summi Sacerdotii, quod revelatum est simul ut Sacerdotium æternum et ut sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, qui olim vero Deo obtulit panem et vinum. Concilium prius considerat finem ultimum redemptionis generis humani primo intentum a Providentia divina, et ex consideratione summi sacerdotii Redemptoris pervenit ad duas formas ejus sacrificii, scil. ad formam cruentam et ad incruentam.

Hoc illustrat declarationes sequentes Concilli Tridentini: prius quidem quoad Cœnam, quia Sacrificium incruentum illustratur per Sacerdotium correlativum et deinde illustratur Missa per Cœnam, ad colligenda omnia testimonia S. Scripturæ.

2) Declaratur ergo quod Christus, sacerdos sec. ordinem Melchisedech in *Cœna,* instituit *incruentum Sacrificium Missæ* offerendum sub speciebus panis et vini, ad commemorandum cruentum Sacrificium crucis et ad ejus fructus usque ad finem mundi applicandos. Dicitur enim: « Is igitur (Christus), Deus et Dominus noster, *etsi semel seipsum in ara Crucis,* morte intercedente, Deo Patri *oblaturus erat,* ut æternam illis redemptionem operaretur [1]: quia tamen per mortem, sacerdotium ejus exstinguendum non erat (Hebr. 7, 24), in *cœna novissima,* qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile (sicut hominum natura exigit) relinqueret *sacrificium* (can. 1), quo cruentum illud *semel* in cruce peragendum *repræsentaretur* ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret (I Cor. 11, 24 sq., hoc facite in meam commemorationem), atque *illius salutaris virtus* in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum *applicaretur: Sacerdotem* sec. ordinem Melchisedech se in æternum (Ps. 109, 4) constitutum declarans, *corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit,* ac sub earundem rerum symbolis *Apostolis* (quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat), ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus *ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22, 19; I ad Cor. 11, 24) uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit (Can. 2) ».

3) Præcedens declaratio confirmatur ibidem per comparationem Missæ cum sacrificio Agni Paschalis: « Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat (Ex. 12, 1) *novum instituit Pascha,* se ipsum ab Ecclesia per sa-

1 Sic de Sacrificio Crucis interpretantur verba Hebr. 9, 28: « Christus *semel oblatus est* ad multorum exhaurienda peccata ».

cerdotes *sub signis visibilibus immolandum* (immolatione sacramentali) *in memoriam* transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando *per sui sanguinis effusionem* nos redemit eripuitque de potestate tenebrarum et in regnum suum transtulit (Col. 1, 13) ».

Rursus in hoc affirmatur sacramentalis et incruenta immolatio sub speciebus panis et vini, ad commemorandam cruentam crucis immolationem.

4) Secunda confirmatio sumitur ex prophetia Malachiæ qui « *in omni loco mundam oblationem offerendam* » prædixit (Mal. 1, 11), et dicit Concilium: « hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignate aut malitia offerentium inquinari potest ».

5) Tertia confirmatio datur ex I Cor. 10, 21, ubi S. Paulus dicit *non posse eos* qui participatione *mensæ dæmoniorum* polluti sunt, *mensæ Domini participes fieri,* per mensam *altare* utrobique intelligens.

6) (In Cap. 2 et can. 3). Declaratur Missam non solum esse *Sacrificium* laudis et gratiarum actionis, sed *propitiatorium* pro vivis ac defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerendum. Ad hoc manifestandum in Cap. 2, declaratur quod in Missa est *eadem victima* incruente immolata, *et idem sacerdos principalis* ac in sacrificio Crucis. Dicitur enim: « Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et *incruente immolatur,* qui in ara crucis *semel seipsum cruente obtulit* (Hebr. 9, 28), docet Sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse (can. 3), per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu ac reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (Hebr. 4, 16) Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pænitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens* sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in cruce obtulit, *sola offerendi ratione diversa* ». Id est nunc offertur non cruente et dolorose, nec ad nova merita acquirenda, sed ad applicanda præterita Passionis merita. Hæc applicatio sic explicatur ibid.: « Cujus quidem oblationis (cruentæ inquam) fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur: Tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. (Can. 4) ».

II. — De testimoniis Sacræ Scripturæ.

Conc. Tridentinum attulit omnia principalia S. Scripturæ testimonia ad ostendendum quod Missa est verum Sacrificium [1].

1) *Verba institutionis Eucharistiæ* ostendunt Christum in cœna *fecisse aliquid sacrum,* et post duplicem consecrationem nobis dixisse:

1 Cf. *Dict. théol. cath.,* art. « Messe »: La Messe d'après la S.te Ecriture, c. 796-863 (Mgr. C. RUCH).

« *Hoc facite in meam commemorationem* » Luc. XX, 19; I Cor. XI, 25. Insuper Christus iam se tradidit *in statu victimæ*, dicendo: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur ». « Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur... ».

Denique circumstantiæ indicant Eucharistiam institutam esse ut substitueretur sacrificio agni paschalis.

2) *Ex Verbis S. Pauli* constat quod *mensa Domini* de qua loquitur est *altare* in quo offertur sacrificium, sicut mensa dæmoniorum est altare idololatriæ. Dicit enim I Cor. X, 16, 22: « *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?... Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum.* (nam ut ibid. v. 20 dicitur, « *quæ immolant gentes, dæmoniis immolant et non Deo* ». Unde mensa Domini est altare. Huic textui similis est id quod legitur ad Hebr. XIII, 10: « Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo (levitico seu legali) deserviunt ».

Si autem habemus altare, ita et sacrificium, scil. commemorationem cruenti sacrificii Crucis, sic est « communicatio sanguinis Christi ».

3) Conc. Tridentinum citavit textus S. Scripturæ ex quibus constat *Christum esse sacerdotem sec. ordinem Melchisedech* qui obtulit vero Deo panem et vinum. (Cf. Gen. XIV, 18; Ps. CIX, 4; Hebr. VII, 14). Insuper ut dicitur ad Hebr. VII, Christus habet *sacerdotium perpetuum*, quod non remanet otiosum, sed manifestatur in terris in sacrificio eucharistico, in quo sub speciebus panis et vini offertur a suis ministris. Cf. Hebr. XIII, 10 [1].

4) Concilium citavit *prophetiam Malachiæ* (I, 11): « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra. *Ab ortu enim solis usque ad occasum* magnum est nomen meum in gentibus, *et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* ».

Hic annuntiatur *sacrificium* proprie dictum, ut constat ex verbo « sacrificatur ».

Insuper hoc sacrificium erit:

1) *Novum*, cum sit iudaicis sacrificiis subrogandum, et inter Gentes offerendum;

2) *Universale*, « ab ortu solis usque ad occasum... in omni loco ».

3) *Mundum* seu Deo gratum.

4) et ut videtur *incruentum*, nam vox hebraica *minchah*, quæ latine sic vertitur « oblatio munda », designat sacrificium constans

1 Cf. J. M. VOSTÉ, *Studia paulina*, 1928, Romæ, p. 104-134; 176-179. — p. 134: Variæ prærogativæ Christi sacerdotii « secundum ordinem Melchisedech ». — Æterna virtus Christi sacrificii, p. 176-178.

farina et polenta. Hi autem characteres simul sumpti non conveniunt sacrificiis iudaicis, neque sacrificio crucis (quod oblatum est in uno loco, non in omni loco), sed solum sacrificio Missæ, quod vere est novum, universale, mundum et incruentum.

Sic sufficienter sacrificium Missæ exprimitur in S. Scriptura, explicite in N. T. et annuntiatur in V. T.

III. — **Testimonium traditionis.**

Hoc testimonium de Missa, ut est verum sacrificium, ita clarum est ut ipsi Protestantes concedant Patres admisisse sacrificium eucharisticum; sed pseudoreformatores reiiciunt Traditionem et ad solam Scripturam instinctu privato et libero recurrunt.

Quoad progressum intelligentiæ dogmatis notandum est quod per tria priora sæcula Missa habetur ut *sacrificium verum*, a sacrificiis antiquæ legis distinctum, eaque complens ac perficiens [1]. Ita auctor doctrinæ duodecim Apostolorum (Didache), S. Iustinus, S. Irenæus, qui Missæ applicant vaticinium Malachiæ, et S. Cyprianus in Epist. ad Cæcilium. Cf. Journel. Enchirid. Patrist. (index Theologicus, p. 866, n. 512, 517, 520.

S. Cyprianus, Ep. 63, 14 (Journel, 584) dicit: « Si Christus Jesus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, et sacrificium Patri seipsum obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur et *sacrificium verum et plenum* tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse ».

S. Gregorius Nyss. In Christi resurr., or. 1. Journel, 1063, ait: « Christus seipsum pro nobis *hostiam* offert et *victimam* immolat, sacerdos simul existens et agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit ».

S. J. Chysost.: « mutato sacrificio, pro brutorum mactatione, seipsum (Christus) jussit offerri ». *In I ad Cor., hom.* 24, 2; *Journel*, 1193. — « Hoc quod in calice est, illud ipsum est quod ex latere fluxit, et illius sumus participes » *ibid.*, Journel, 1192. — « Oblatio eadem est, quisquis offerat, sive Paulus, sive Petrus; eadem est quam Christus dedit discipulis, et quam nunc sacerdotes faciunt ». *In II ad Timoth., hom.* 2, 4, Journel, 1207.

S. Augustinus: Quamvis « semel immolatus fuerit Christus in seipso, tamen *in sacramento* non solum per omnes Paschæ solemnitates,

1 Cf. *Dict. théol. cath.*, art. « Messe »: La Messe dans les Pères anténicéens, La Didaché, St. Clément, St. Ignace, S. Polycarpe, St. Justin, St. Irénée, Clément d'Alex., Origène, St. Hyppolyte, Tertullien, St. Cyprien, col. 864-947 (Mgr. C. RUCH). — La Messe dans l'Eglise latine jusqu'à la veille de la Réforme, col. 965-1085 (A. GAUDEL).

sed *omni die populis immolatur* ». Ep. 98, c. 9. Journel 1424. Item *S. Fulgentius* (Journel, 2270).

S. Gregor. M.: « Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra, passionem Unigeniti Filii imitatur ». Dialog., l. IV, c. 38; Journel, 2323.

A sæc. IV ad VI, Patres ostendunt *intimam esse connexionem inter Sacrificium Eucharisticum et Sacrificium Crucis,* cuius Missa est *continuatio* prout in utroque idem est principalis offerens et eadem victima.

Ita S. Cyr. Hierosolimitanus, cateches., 23, S. Joannes Chysost., qui scribit in homil. in Epist. ad Hebr. XVII, 3: « Offerimus quidem (Christum), sed ejus mortem revocamus in memoriam » Hic textus citatus est a S. Thoma III, 83, a. 1, sub nomine Ambrosii.

Apud S. August, invenitur apparens paradoxum, prout tenet: 1) Missam esse verum sacrificium; 2) In ea immolationem esse solum repræsentative. Hæc difficultas solvitur ex ejus definitione sacrificii in genere, scil. de Civitate Dei l. 10, c. 5: « Sacrificium visibile est invisibilis sacrificii sacramentum, id est *sacrum signum* » Si autem ita est, scil. si sacrificium externum sit in genere signi, potest dari *verum sacrificium sacramentale,* in quo scil. immolatio sacramentalis et incruenta sit signum tum oblationis internæ Christi, tum præteritæ immolationis cruentæ crucis. Unde dicit Aug. contra Faustum l. XX, c. 21 (Journel 1604) « Hujus sacrificii *caro* et *sanguis* ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi *per ipsam veritatem* reddebatur, post ascensum Christi *per sacramentum* memoriæ celebratur ». Semper est eadem doctrina ac in Epistola S. Augustini ad Bonifacium, citata a S. Thoma in arg. « sed contra: « Semel immolatus est *in semetipso* Christus, et tamen quotidie *immolatur in sacramento* » seu sacramentaliter immolatur. Hic textus communiter citatur a theologis, a Petro Lombardo et ab ejus commentatoribus.

Item a sæculo IV ad VI liturgiæ omnes, licet in multis ritibus discrepantes, disertis vocibus testantur Missam esse plenum et verum sacrificium, oblationem, et immolationem (scil. sacramentalem).

A sæculo VI ad XIII non solum natura, sed et *effectus* sacrificii Missæ describuntur, qui iidem esse dicuntur ac sacrificium crucis. Ita S. Gregorius Magnus (Dial. l. IV, 55) narrat quomodo Justus monachus a purgatorio liberatus fuerit post triginta Missas pro eo celebratas. Paschasius Radbertus in suo libro « De Corpore et Sanguine Christi » testatur Redemptorem quotidie in altari peragere quod *tempore passionis gesserat,* ideoque fideles a peccatis quotidianis vi Eucharistiæ liberari, cf. P. L. t. 120, c. 1294, 1328. Item S. Thomas in nostro articulo.

Denique Patres et theologi sæpe notaverunt quod religio non potest esse sine sacerdotio et sacrificio, nam ipsa ratio dictat supremum Dei dominium agnoscendum esse aliquo exteriori actu soli Deo exhibendo. *Sublato autem sacrificio missæ nullum esset nunc sacrificium in religione christiana,* nam sacrificium crucis, consistens, ut cruentum, in actu

transitorio, non amplius existit ut cruentum, imo Christus nunc est impassibilis et gloriosus. Si igitur non existeret sacrificium incruentum Missæ, nullum esset nunc sacrificium in Ecclesia. Deesset perfectissimus actus religionis.

Recenter Dom A. Vonier O. S. B. optime evolvit traditionalem doctrinam Patrum et theologorum de *sacrificio sacramentali Missæ,* ostendendo plenam significationem hujusce adjectivi « sacramentalis » prout distinguitur a sacrificio physico ac cruento crucis, et prout simul refertur ad illud. Ad hoc plene intelligendum oportet perlegere opus hujusce auctoris *A Key to the Doctrine of the Eucharist., La clef de la doctrine eucharistique,* trad. Roguet. Lyon, 1942, cf. p. 113, 118, 124-130, 142-143; speciatim: cap. X, Le sacrifice de la Messe n'est pas un sacrifice naturel (par immolation physique ou sanglante) — cap. XI: Le sacrifice de la Messe est un sacrifice sacramentel. — Cap. XII: L'essence du sacrifice de la Messe; — cap. XIII: Le Christ mort est rendu présent, appliqué et immolé (sacramentellement) dans le sacrifice eucharistique; — Cap. XIV: L'unité du sacrifice chrétien ». Sic optime intelliguntur traditionis documenta.

ART. II. — CLASSIFICATIO APPROXIMATIVA SENTENTIARUM DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ

Hæ variæ sententiæ longe exponuntur modo historico in opere M. Lepin, *L'idée du Sacrifice de la Messe* 1926, in quo facile inveniuntur referentiæ ad opera auctorum quos statim citabimus.

Sunt præsertim duæ categoriæ sententiarum; prima categoria admittit immutationem realem rei oblatæ in essentia sacrificii Missæ, altera autem eam negat, et admittit immolationem non proprie realem seu physicam, sed sacramentalem seu mysticam.

1a Categoria sententiarum. *Secundum hos auctores in sacrificio Missæ est realis aut saltem virtualis immutatio corporis Christi.* Sic subdividuntur hæ sententiæ:

A - *Est immutatio realis corporis Christi in ipsa consecratione* prout corpus Christi ponitur *in statu decliviori,* privatur naturali exercitio sensuum, non videt, non audit; est quasi exinanitio, æquivalens destructioni (Ita Card. de Lugo, Hessel etc.).

Respondetur: Christus vere vivens est in Eucharistia, et elicit actus vitales naturales et supernaturales; imo ibi est ut immortalis et gloriosus; non in se physice immutatur, nequidem realem relationem ad species sacramentales accipit, sed sunt species quæ realiter referuntur ad ipsum. Christus non patitur a corporibus circumstantibus, quia in Eucharistia est per modum substantiae, sed conservat visionem intellectualem personarum circumstantium quam habet in cœlo, prout omnia videt in Verbo.

B - *Est immutatio realis corporis Christi in communione sacerdotis,* qua destruitur victima (Bellarminus et plures alii).

Respondetur: Communio sacerdotis non destruit realiter corpus Christi, sed solum species sacramentales, et hæc destructio non fit in altari, ut fieri debet sacrificium, sed in stomacho. Insuper communio sacerdotis est participatio sacrificio et præsupponit sacrificium jam constitutum.

Nec invenitur destructio realis Corporis Christi simul in consecratione et in communione; destruuntur solum species sacramentales.

C - *Est immolatio saltem virtualis corporis Christi in consecratione* prout vi verborum deberet esse realis seu physica separatio corporis Christi a sanguine, si non esset lex concomitantiæ. Ita Lessius, Gonet, Billuart, Hugon, Lamiroy.

Respondetur: Hæc separatio nequidem virtualiter renovanda est, quia fuit *actus occisorum* Christi, et ut dicit S. Thomas III^a, q. 48, a. 3, ad 3um: « Passio Christi ex parte occidentium fuit *maleficium*, sed ex parte ipsius ex caritate patientis fuit sacrificium. Unde hoc sacrificium ipse Christus obtulisse dicitur, non autem illi qui eum occiderunt ». Hoc maleficium nequidem virtualiter renovandum est. Ita pariter S. Albertus magnus in IV Sent. d. 13, a. 23. Insuper immolatio *virtualis* non est *realis*, est velut vanum tentamen immolationis realis, ut ait Card. Billot. Denique verba consecrationis immutant substantiam panis, non corpus Christi, et de se non tendunt ad realem separationem; in triduo mortis fuisset quidem hæc separatio, non tamen vi verborum, sed ratione status in quo tunc erat corpus Christi, ut bene notat Hervé.

D - *Est immutatio realis saltem substantiæ panis, quæ destruitur ut producatur corpus Christi;* hæc realis transformatio in melius est verum sacrificium. Ita Suarez.

Respondetur: 1° - Panis non est ipsa materia oblata in sacrificio Missæ; 2° Transsubstantiatio non producit corpus Christi, sed convertit panem in ipsum; 3° - Res non sacrificatur ex hoc quod producitur.

Prædicti auctores non potuerunt igitur probare quod in Missa est immutatio realis victimæ oblatæ.

* * *

IIa Categoria sententiarum: *Secundum hos auctores in sacrificio Missæ non est realis immutatio corporis Christi, sed solum immolatio ejus sacramentalis cum oblatione.*

Hoc tamen diversimode concipitur.

A - *Secundum Vasquez* (in IIIam. p. d. 222, c. 7 et sqq.) *Missa est sacrificium mere relativum* et crucis *repræsentativum* seu commemorativum, in quo non verificatur, inquit Vasquez, definitio generalis sacrificii absoluti, quæ importat, juxta ipsum, realem immutationem victimæ.

Respondetur: repræsentatio alterius sacrificii, *quatenus præcise est repræsentatio,* ut fieri potest in pictura, non sufficit ad peragendum actuale sacrificium. In Missa autem « aliquid reale fit circa rem oblatam » scil. transsubstantiatio quæ terminatur ad ipsam. Insuper in hac sententia definitio sacrificii in communi importat, juxta Vasquez, realem immutationem victimæ, ergo deberet dicere: hæc definitio non verificatur in Missa. Notandum e contra quod in sacrificio in communi immolatio victimæ est « in genere signi », requiritur ut signum externum internæ adorationis et reparationis. Cf. *Dict. Theol. art.* « *Messe* », c. 1149, ss. et Lepin, *op. cit.* p. 405-410, cf. infra art. seq.

B - *Secundum M. de la Taille* [1], in Missa Christus neque denuo physice immolatur, neque seipsum actualiter offert; sed ministerio sacerdotum, *ab Ecclesia per immolationem mysticam* (*sacramentalem*) *offertur Christus proprietate victimali in æternum indutus.* Hæc sententia supponit quod sacrificium est oblatio hostiæ aut *nunc,* aut *olim* immolatæ, aut *posterius* immolandæ. In cœna Christus se obtulit ad crucis immolationem, in cruce physice immolatus est, et in æternum servat suum statum victimalem; unde Missa est oblatio ritualis facta ab Ecclesia victimæ *olim* physice immolatæ.

Responsum est a pluribus: 1° - Secundum hanc sententiam mors voluntaria Christi in cruce non fuisset verum sacrificium, sed solum *pars sacrificii,* nam oblatio ad sacrificium necessaria facta fuisset antea, scil. in Cœna; et hoc dissonare videtur a tota traditione, secundum quam mors voluntaria Christi in Cruce est perfectum sacrificium etiam independenter a Cœna, prout perduravit ejus oblatio in Cruce et diversimode expressa est verbis et factis . - 2° - Christus, ut infra dicemus, *actualiter* semetipsum offert in qualibet Missa, ut principalis offerens, non caret enim actu sacerdotali, « semper est vivens ad interpellandum pro nobis » Hebr. VII, 25. - 3° - Videtur quod in hac ultima theoria M. de la Taille, « *immolatio incruenta* » de qua loquitur Conc. Trid. sit inutilis, nam secundum præsupposita hujusce sententiæ sufficit « *immolatio cruenta* » olim facta in cruce; sufficit, si sacrificium est simplex oblatio victimæ *olim* immolatæ [3].

C - *Ultima sententia* scil. antiqua ad quam multi hodierni redeunt: *Missæ sacrificium* non importat realem immutationem corporis Christi, sed solum *immolationem ejus sacramentalem* in genere signi, prout Christus immolatur « sub signis visibilibus » (c. Trid., Denz. 938) sub aliena specie; et simul est *oblatio actualiter facta a Christo, sacerdote principali, ministerio sacerdotum.*

1 *Mysterium Fidei*, ed. 2a, 1924, p. 35, 101, 103, 132, 151, 295, 303 sqq.

2 Cf. S. Thomam IIIa q. 48, a. 3.

3 Cf. HUGON, *Revue Thomiste*, juil. sept. 1922. — BARROIS, *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, avril 1925. — *Ami du Clergé*, 1923, p. 65 sq. — *Dict. théol.*, art. « Messe », c. 1237-1246, 1282, 1283. — Cf. LEPIN, *op. cit.*, p. 675-721.

Hæc sententia plus minusve explicite admittitur, ut ostendit M. Lepin,[1], ab Alex. Halensi, a S. Alberto Magno, a S. Bonaventura, a S. Thoma (IIIa. q. 83, a. 1), Capreolo, Cajetano, S. Antonino, Joanne a S. Thoma, Contenson, Cano, Soto, Natalis Alexandro, Card. Gotti, etiam a Salmeron, Maldonat, a pluribus Patribus et theologis Conc. Tridentini, a Bossuet, ab Oratorianis sæculi XVII ut P. de Condren, a Sulpicianis, recenter ab A. Tanquerey, nec non a Card. Billot, Card. Lepicier, a Scheeben, Grimal, Don Vonier, Van Noort, Héris etc.

Hæc sententia nobis videtur traditionalis et servat optime ut statim videbimus, ea omnia quæ dicuntur a Concilio Tridentino; imo sufficiunt verba ipsius Concilii, ut sunt vera expressio totius traditionis, ac doctrinæ priorum Conciliorum, Patrum et theologorum qui ante apparitionem Protestantismi scripserunt.

ART. III. — QUOMODO THEOLOGICE PROBATUR MISSAM ESSE VERUM SACRIFICIUM

1° Respondetur:

Quia in ea verificatur notio sacrificii in genere. Missa enim est sacrificium novæ legis, in quo *Christus offertur et sacramentaliter* seu incruente et mystice *immolatur*, non sub specie propria, sed sub speciebus panis et vini, *per Sacerdotem principalem Christum ipsum, et per ministrum eius, ad agnoscendum Dei dominium supremum, nobisque applicanda satisfactiones et merita suæ passionis*. Brevius: Missa est verum sacrificium incruentum, in quo Christus sacramentaliter immolatur ad commemorationem sacrificii crucis et ad applicationem fructuum ejus.

Objectio protestantium non vera est nisi de sacrificio cruento, ad illud solum requiritur immolatio physica victimæ. Missa autem est sacrificium incruentum et sacramentale. Ita tota traditio. Unde objectio protestantium ruit omnino, quia in falsa suppositione fundatur.

2° In quanam actione consistat sacrificium missæ.

Sententia longe communior docet: essentiam sacrificii eucharistici consistere in *sola consecratione duplici*, ita ut communio sacerdotis pertineat solum ad *integritatem* sacrificii, prout victima quæ est sub speciebus panis et vini dicit ordinem ad sumptionem.

Hoc est contra Bellarminum et Lugonem, qui essentiam Missæ reponunt tum in consecratione tum in communione celebrantis.

Ratio est quia *essentia* sacrificii Missæ invenitur *in eo quo repræsentat cruentum Crucis sacrificium*, sec. doctrinam Conc. Trid. cap. I. In duplici autem consecratione eucharistica invenitur memoriale et

1 *Op. cit.*, ubi refert textus horum auctorum.

imago passionis Christi, prout repræsentatur in altari in statu mortis, non vero in communione sacerdotis; hæc enim sumptio non est apta ad repræsentandum sacrificium crucis, sed est participatio celebrantis sacrificio Missæ iam essentialiter constituto.

Unde communior sententia est: essentia sacrificii Missæ consistit in consecratione corporis et sanguinis Christi, cum ordine ad sumptionem tamquam ad partem integrantem.

Non consistit igitur in offertorio ante consecrationem, nec in elevatione hostiæ, nec in fractione et mixtione specierum, neque in distributione.

1um *Coroll.*: Et iam apparet ex hoc ex parte victimæ oblatæ quod sacrificium Missæ est idem quoad substantiam ac sacrificium Crucis, quia eadem est numerice victima, quamvis nunc offeratur modo incruento. Ita humanitas Christi est eadem quoad substantiam, sed nunc existit modo impassibili, et non passibili sicut olim.

Attamen, quamvis hoc sacrificium eucharisticum sit idem quoad substantiam ac sacrificium Crucis, non est idem quoad modum, quia Christus immolatur nunc modo sacramentali et non modo cruento, immolatur etiam absque novo merito et nova satisfactione dolorosa, sed cum applicatione præteritorum Passionis meritorum.

2um *Coroll.*: Multiplicantur insuper sacrificia Missæ sicut multiplicatur duplex consecratio utriusque speciei, scilicet sicut multiplicantur ipsæ species sacramentales in diversis Missis.

3° Sub quonam formali respectu in consecratione adsit ratio sacrificii.

Secundum communem sententiam theologorum usque ad apparitionem Protestantismi, ut merito dicit Card. Billot, duplex consecratio est formaliter sacrificium, *quatenus sacramentaliter separat (in genere signi) corpus a sanguine Christi*, ponendo seorsum sacramentum corporis et sacramentum sanguinis. Sic per sacramentalem separationem vivide *repræsentatur realis seu physica separatio* olim in cruce per effusionem sanguinis peracta. (Cf. S. Thomam, IIIa, q. 74, a. 1; q. 83, a. 1, 5, 6).

Hoc constat directe ex positivis rationibus, et indirecte ex insufficientia aliarum sententiarum.

Directe ex verbis Conc. Trident., cap. I, et II. Concilium ter loquitur de *incruenta immolatione* sub *speciebus panis et vini* (i. e. sub speciebus sacramentalibus), qua commemoratur cruenta crucis immolatio et applicantur fructus eius. Hæc autem commemorativa immolatio sacramentalis fit *per duplicem consecrationem et transsubstantiationem*, secundum quam solum corpus Christi est terminus realis conversionis panis, et solus sanguis est terminus realis conversionis vini, quamvis concomitanter utrumque sit sub utraque specie. Sic Christus est *in*

externo habitu mortis, prout offertur non in propria specie, sed in aliena specie, scil. sub speciebus panis et vini.

Cf. S. Thomam, III, q. 74, a. 1; q. 76, a. 2; q. 80, a. 12, ad 3.

Est ipsa sententia P. Lombardi, Halensis, S. Bonaventuræ, S. Thomæ, S. Alberti Magni, Capreoli, Cajetani, S. Antonini, Soto, Joannis a S. Thoma, Gotti, Bossuet. Est communis sententia theologorum antiquorum qui referunt verba S. Augustini Epist. 98 (alias 23) ad Bonifacium coepiscopum, citata in argumento « sed contra » III, q. 83, a. 1: « Quotidie *Christus immolatur in sacramento* » seu sacramentaliter; (cf. Lepin, op. cit., p. 315 ss., cf. inter recentiores Card. Billot).

Legendus est articulus primus S. Thomæ.

Ex alia parte sufficienter sic verificatur in Missa definitio sacrificii in genere, et solvitur obiectio protestantium, dummodo duo notentur: 1) quod *sacrificium externum est in genere signi;* sufficit ergo immolatio sacramentalis quæ est in genere signi. Et est quidem *signum rei altissimæ,* scil. oblationis interioris Christi principalis sacerdotis, et simul memoriale cruenti sacrificii crucis, valoris infiniti. Sic hæc immolatio sacramentalis plus valet quam physica immolatio omnium victimarum Veteris Testamenti.

Contra protestantes, quamvis sacrificium cruentum requirat immolationem realem victimæ, hoc non requiritur *a sacrificio incruento,* quo commemoratur sacrificium Crucis et quo applicantur fructus eius. Hæc est responsio ipsius concilii Tridentini ad protestantes [1].

2) Nec potest dici quod Missa sic concepta est simplex oblatio, nam *aliquid fit circa rem oblatam* ut postulat S. Thomas II-II, q. 85, a. 3, a. 3; scil. fit consecratio et duplex transsubstantiatio quæ non est quidem immutatio realis corporis Christi, sed est relativa ad illud et realiter terminatur ad illud; aliquid fit circa corpus Christi et sanguinem eius, ita ut *solum corpus Christi* sit *realis terminus conversionis panis* et *solus sanguis* sit *realis terminus conversionis vini.*

Non tamen dici debet, cum Vasquez [2] quod Missa est sacrificium solum *relativum,* sacrificii absoluti crucis commemorativum, in quo non verificaretur definitio sacrificii absoluti, quæ exigit, iuxta Vasquez, immutationem realem victimæ. Sic Vasquez minuit valorem responsionis traditionalis, postulando cum multis modernis pro sacrificio absoluto realem immutationem imo destructionem victimæ. Hoc requiritur solum a sacrificio cruento.

Revera in sacrificio etiam absoluto sufficit quod *aliquid fiat circa rem oblatam,* aliquid terminatum ad eam, et in Missa, absque reali immutatione corporis Christi, *aliquid reale fit circa rem oblatam,* scil. transsubstantiatio quæ est fundamentum reale immolationis sacramentalis, prout solum corpus Christi est *realiter terminus* conversionis panis

1 Cf. LEPIN, *op. cit.,* p. 315, ss.
2 In IIIam d. 222, c. 7 sq. Cf. LEPIN, *op. cit.,* p. 403-410.

et solus sanguis est *realis terminus* conversionis vini. Card. Billot videtur nimis inclinare ad sententiam Vasquez de sacrificio relativo.

Sic Missa non est solum oblatio, sed verum sacrificium, non tamen cruentum, sed incruentum et sacramentale sub speciebus pani et vini sec. ordinem et ritum Melchisedech ut dicit Conc. Tridentinum.

Indirecte probatur hæc sententia communis antiquorum per insufficientiam sententiarum theologorum modernorum, qui ad respondendum protestantibus voluerunt invenire in Missa quamdam destructionem realem corporis Christi.

A. *Ratio sacrificii non consistit* ut vult Suarez [1] *in destructione substantiæ panis et vini* ut producatur Christi corpus. Etenim panis non est res proprie oblata in Missa; victima quæ offertur est ipsum corpus Christi, quod non destruitur, sed solum sacramentaliter immolatur. Insuper transsubstantiatio panis non est ejus destructio, sed conversio.

B. *Nec* ratio sacrificii est *in eo quod corpus et sanguis Christi* sub speciebus panis et vini *ponuntur in statu decliviori prout* reducuntur ad statum cibi et potus, ut volunt Lugo [2], et Franzelin [3] et prout per communionem et digestionem celebrantis destruuntur. Etenim corpus Christi in sacramento non mutatur, id quod per communionem et digestionem destruitur non est corpus Christi, sed solum species sacramentales, et non quidem in altare, sed in stomacho. Insuper in hac explicatione nulla apparet similitudo cum sacrificio crucis; commemoratio crucis non est per hoc quod Christus nobis præsentatur ut cibus et potus, sed in hoc quod corpus et sanguis ejus sacramentaliter separantur in genere signi.

C. Nec ratio sacrificii est *in immolatione virtuali Christi,* quæ tenderet ad veram et realem ejus occisionem impeditam per legem concomitantiæ, ut excogitaverunt *Lessius, Gonet, Billuart, Hugon.* Quia hæc occisio fuit actus non Christi sed occisorum ejus. Fuit non sacrificium sed maleficium, dicit S. Thomas [4] et igitur non renovandum est nequidem virtualiter.

Unde dicit Card. Billot: « Lessius et sequaces posuerunt essentiam sacrificii Missæ in irrito conatu ad occidendum Dominum ».

D. Nec dicere sufficeret quod immolatio sacramentalis est solummodo *conditio* sacrificii Missæ, ut dicunt diversimode M. Lepin et M. de la Taille, conditio scil. ut Missa sit sacrificium rituale. Revera immolatio sacramentalis est differentia specifica hujusce sacrificii incruenti et sacramentalis.

Pro M. de la Taille, Missa est oblatio ritualis facta per Ecclesiam victimæ olim immolatæ in Calvario, et sic videtur quod sacrificium præteritum crucis et sacrificium actuale Missæ sint duæ partes alicuius

1 *De Euch.,* disp. 75, sect. 5.
2 *De Euch.,* disp. 19, sect. 5, n. 65 ss.
3 *De Euch.* Thes. 16.
4 IIIa, q. 47, a. I; 48, a. 3 ad 3.

sacrificii, potiusquam duo sacrificia quorum unum est commemoratio alterius. Pro M. Lepin, Missa est sacrificium oblatum a Christo, semper vivente tanquam a Sacerdote principali, sed non videtur satis agnoscere necessitatem immolationis sacramentalis, quæ tam expresse notatur ut incruenta a C. Tridentino. Ut notavimus supra, immolatio victimæ (sive cruenta sive incruenta) potest esse differentia specifica sacrificii, quin sit elementum ejus principale. Revera est externum signum rei principalioris, scil. internæ oblationis sacerdotis et fidelium, et præsertim sacerdotis principalis.

Corollarium 1um: *Consecratio utriusque speciei requiritur ad essentiam sacrificii Missæ, ut institutum est a Christo.*

Quia hoc sacrificium est essentialiter repræsentativum passionis Christi et est secundum ordinem Melchisedech; atqui neutrum potest esse sine consecratione utriusque speciei. In consecratione enim unius speciei tantum, non repræsentaretur cruenta corporis a sanguine separatio, quæ facta est in cruce.

Corollarium 2um: *In Missa immolatio dicitur proprie « sacramentalis » quia non est realis,* scil. *quoad rem,* sic deberet esse *physica.* Agitur enim de separatione duorum elementorum physicorum, scil. corporis et sanguinis Christi, et hæc elementa physica non possunt *realiter* separari quin *physice* separentur ut in Calvario. E contra Corpus mysticum Christi quamvis mysticum est *reale,* quia constituitur præsertim, *non ex corporibus nostris,* sed *ex animabus* iustorum coniunctis cum Christo.

Remanet igitur *communis sententia* theologorum qui scripserunt ante apparitionem protestantismi; remanet doctrina corporis articuli S. Thomæ, scil. ratio sacrificii externi invenitur *in sacramentali immolatione,* quæ vivide repræsentat realem separationem olim in cruce peractam per physicam sanguinis Christi effusionem. Nunc in Missa sanguis solum « sacramentaliter » effunditur, et non physice [1].

Recapitulatio. Ad terminandam quæstionem de Sacrificio Missæ in se considerato insistendum est in tribus veritatibus quæ post discussiones recentiores circa opus P. M. de la Taille « Mysterium fidei » magis ac magis elucent.

1) *Sacrificium Crucis est per se Sacrificium completum et perfectissimum etiam independenter a Cœna.* Non est solum pars sacrificii (scil. immolatio) cuius alia pars (oblatio) prius facta fuisset in Cœna. Continet simul et immolationem cruentam et oblationem sufficienter manifestatam per actus et verba Salvatoris, per eius passionem et mortem summo amore acceptatam et oblatam, ut constat ex suis ultimis

[1] Cf. circa hanc quæstionem E. MASURE, *Le sacrifice du Chef,* 1938 4e éd. Paris, p. 283-287, 330-333; et V. HERIS, O. P., *Le Mystère du Christ,* 1927, p. 332-368.

verbis [1]. Hoc Sacrificium Crucis, secundum. P. M. de la Taille, non esset completum sine Cœna, quia non est liturgicum. Revera est eminenter liturgicum sicut anima spiritualis est eminenter ac formaliter sensitiva. Sacrificium Crucis est enim magna realitas figurata a sacrificiis ritualibus præcedentibus et commemoratur in celebratione Missæ. Unde *hoc altissimum Sacrificium Calvarii valet ex se solo.* E contrario alia, scil. Sacrificium Cœnæ et Sacrificium Missæ non valent nisi per ipsum, et sunt cum ipso idem Sacrificium quoad substantiam, quamvis ab eo distinguantur quoad modum oblationis externæ; est idem sacerdos saltem principalis et eadem hostia oblata, sed oblatio in eis non fit cruente, sed incruente, et in Missa oblatio non est amplius meritoria, nec dolorosa, sed nobis applicat Passionis merita.

2) *Verba Concilii Tridentini,* sess. XXII, cap. 2: « in divino hoc sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit (Hebr. IX, 28) », Denz. 940 et etiam 938), *hæc verba manifeste ostendunt ad Missam requiri immolationem incruentam et sacramentalem* [2]. Non videtur sufficiens dicere: Ecclesia nunc *liturgice* offert *cruentam* immolationem Calvarii; oportet admittere præsentem *immolationem incruentam,* quæ est signum externum et præteritæ immolationis cruentæ et oblationis interioris quæ perdurat in mente Christi, sacerdotis principalis sacrificii eucharistici. Insuper vox « *immolatio victimæ* » non omnino idem significat ac « *occisio victimæ* », quæ quandoque antea fiebat a ministris inferioribus sacerdotis levitici: immolatio de se postulat solum quod victima ponatur in altari in statu mortis [3]. Et *occisio Christi non renovanda est nequidem mystice,* quia, ut occisio active sumpta, non fuit sacrificium, sed maleficium, ut notavit S. Thomas.

3) *Christus, sacerdos principalis sacrificii Missæ, offert illud etiam actualiter,* scil. non solum virtualiter prout olim Missam instituit, sed oblatione actuali, quæ perdurat in eius sanctissima anima, quæque non indiget renovari, quia non est interrupta, sed permanet, sicut visio beatifica Christi et amor ejus erga Patrem suum et animas salvandas [4]. Ideoque hæc oblatio in corde Christi semper viventis ad interpellandum pro nobis, mensuratur, sicut ejus visio beatifica, non tempore fluenti, sed unico instanti immobilis æternitatis participatæ. (Cfr. I, q. 10, a. 3. Hoc clarius patebit ex articulo sequenti).

Sic remanet quod anima sacrificii Missæ sicut sacrificii Cœnæ et Crucis est oblatio interior semper vivens in Corde Christi, inspirata ab ejus immenso amore pro Patre suo et pro salvandis animabus. Sic celebrando Missam aut ei assistendo, debemus huic oblationi Sacerdotis principalis nostram personalem oblationem unire, in spiritu adorationis, reparationis, humilis et fiducialis petitionis ac gratiarum actio-

[1] Cf. *Dict. théol. cath.,* art. « Messe », col 1245, ss. et LEPIN, *op. cit.,* p. 689-697.
[2] Cf. *Dict. théol. cath.* ibid., col 1130-1138, 1245.
[3] Immolatio dicitur non univoce sed analogice de immolatione cruenta et incruenta.
[4] Cf. *Dict. théol. cath.,* art. « Messe », col. 1283.

nis; itaque a Christo Salvatore accipiemus auxilia quotidie ad sanctificationem et salutem necessaria. Sed hoc speciali consideratione indiget.

Art. IV. — AN CHRISTUS NON SOLUM VIRTUALITER SED ACTUALITER OFFERAT MISSAS QUÆ QUOTIDIE CELEBRANTUR

Status quæstionis: His autem ultimis annis rursus posita est quæstio olim a scholasticis examinata, scil. an et quomodo Christus offerat missas quæ quotidie celebrantur.

Hæc quæstio quoad sacrificium Missæ est maximi momenti, nam in sacrificio in genere oblatio interior, quæ exprimitur ab immolatione externa victimæ, est pars principalis sacrificii, scil. id unde sumitur eius valor religiosus et eius realismus. Sacrificium enim exterius est in genere signi, dum oblatio interior cum adoratione reparatrice et oratione, est res significata, et, sine ea, id quod fit exterius esset actus sine valore ut sacrificium Caini aut velut ritus pharisaicus.

Insuper quando agitur de sacrificio Missæ, plus valet, ut patet oblatio interior principalis offerentis, sensibiliter expressa in verbis consecrationis et in sacramentali immolatione corporis Christi, quam interior oblatio ministri celebrantis et ipsius populi assistentis. Unde in nostra quæstione agitur de interiori Christi hominis actu, qui est *velut anima sacrificii Missæ*. Ex hoc eius momentum est manifestissimum.

Omnes quidem theologi catholici semper tenuerunt et tenent Christum esse *principalem offerentem*, ad minus quia instituit sacrificium Missæ et iussit quod illud in suo nomine conficeretur et offerretur. Hoc est quidem de Fide, imo ut explicite affirmatum in S. Scriptura et in Traditione ac expressum in Conciliis, speciatim in Concilio Tridentino, ubi comparatur Missa cum sacrificio Crucis: « Una enim eademque est hostia, *idem nunc offerens* sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa ». (Denz. 940).

Unde ad minus Christus est principalis sacerdos huiusce sacrificii Missæ, prout illud instituit et moraliter *in nomine eius* Missa nunc a celebrante offertur. Sic Christus *saltem virtualiter* offert Missas quæ quotidie celebrantur. Hoc absque ulla discussione ab omnibus theologicis admittitur.

Quando vero posita est quæstio: An Christus offerat non solum virtualiter, sed *actualiter* quotidianas Missas, Scotus [1], Gabriel Biel [2], plures nominalistæ, deinde Vasquez [3] responderunt negative, et recenter eorum argumenta rursus et pluries proposita sunt [4].

Iuxta hos auctores, Christus est principalis offerens prout ipse instituit hoc sacrificium et iussit illud offerri in nomine suo, sed negant

[1] *Quodlib.* 20, n. 22 (ed. Vivès, XXVI, 321).
[2] *In Can. Missæ*, lect. 26, 27.
[3] *Disp.* 225, cap. 3.
[4] M. de la Taille, *Mysterium Fidei*, 1921, l. II, c. I, III, p. 196, 299, et *Esquisse du mystère de la Foi*, 1924, p. 22, 68. Item P. W. Lampen, O. F. M., in

Christum illud nunc actualiter offerre. Iuxta hanc sententiam, est ipsa Ecclesia, non Christus, quæ *nunc* offert Missam, quæ proinde videtur esse sacrificium ecclesiasticum potiusquam sacrificium Christi.

Quænam sunt principales horum theologorum rationes?

1° Dicunt: Christus nunc in cælo non actualiter nec proprie orat Patrem, sed solum virtualiter et interpretative, manifestando Patri sua vulnera et repræsentando præterita Passionis suæ merita et præteritas orationes suas. In hoc insistit Vasquez et concludit: ergo similiter Christus non actualiter offert Missæ sacrificium, nec rogat ut sit acceptum Patri.

2° Addunt hi theologi: Non sunt *multiplicandi* actus oblationis in mente Christi gloriosi, qui *semel* tantum se obtulit [1]. Ad quoad iam pluries responsum est: Christus potest actualiter Missas quotidianas offerre, absque multiplicatione actuum, sufficit quod perduret in mente ejus oblatio interior, sicut perdurant in eo visio beatificata, amor subsequens, adoratio et gratiarum actio.

3° Denique recenter dictum est: si Christus actualiter Missas quotidianas offerret, hic actus oblationis sic perdurans *non subordinaretur*, sed *coordinaretur* oblationi sacrificii Crucis, in quo igitur non consummatum fuisset opus redemptionis nostræ, contra ipsa verba Christi morientis: « consummatum est » [2].

Ita quidem esset, si daretur nunc in Christo novum meritum; secus autem, si perdurat ejus oblatio ad applicationem præteritorum Passionis meritorum.

4° Imo his ultimis annis scriptum est: Christus, ut homo, nunc sedens ad dexteram Patris, non actualiter et proprie *adorat* Patrem, sed solum adoratur [3].

Si ita esset, tunc Christus nec adoraret in Eucharistia in qua vivit sicut in cælo.

periodico " Antonianum " Oct. 1942, p. 253 ss. defendit probabilitatem opinionis Scoti.

De opinione Scoti ut renovatur a P. de La Taille, cf. M. Lepin, *L'idée du sacrifice de la Messe,* 1926, p. 238 sq., 713-721, cf. ibid. textus Patrum, præsertim S. Ambrosii, p. 714

[1] Cf. M. de la Taille, *Esquisse*, p. 69: « Ne nous étonnons pas... que cette opinion qui *multiplie* les offrandes personnelles du Christ de Messe en Messe, ait à peine paru tolérable: au point d'être taxée durement ». — p. 68: « Le Sacerdoce du Christ est si parfait qu'il n'a pas à s'y reprendre à deux fois pour assurer les fruits que s'étaient proposés son activité médiatrice ».

[2] Cf. M. de la Taille, *Esquisse*, p. 68.

[3] *Ibidem*, p. 72, note: « La personne du Verbe put jadis adorer en raison de sa nature créée, parce que dans cette nature créée elle n'était pas encore en possession de la gloire propre et héréditaire du Fils unique de Dieu... mais maintenant les temps sont changés... maintenant... (dans la gloire) il n'y a plus de place dans le Christ à la condition ni à l'attitude d'un serviteur, ni donc d'un *adorateur* ».

Ad quod respondet optime J. Grimal, S. M., *Le Sacerdoce et le sacrifice de N. S. Jésus-Christ*, 1926, p. 192 ss.: « Alors l'humanité du Christ au ciel ne

Notandum est denique quod hi theologi negant *valorem infinitum* Missæ ex parte offerentis; hunc valorem admittunt solum ex parte victimæ oblatæ.

Responsio: His non obstantibus, longe certiorem et communiorem censemus sententiam contrariam iuxta quam Christus ut homo est etiam actualiter principalis sacerdos sacrificii Missæ, prout cognoscit actualiter omnia et singula sacrificia eucharistica, eaque actualiter vult et offert, ac instrumentaliter ad omnes et singulas transsubstantiationes concurrit. Imo iam in terris Christus per visionem beatificam, et etiam alio modo per scientiam infusam prævidit omnia et singula Missæ sacrificia, quæ per suos ministros offerenda erant usque ad finem mundi; eaque iam in terris voluit et Patri suo obtulit. Hæc autem volitio ac oblatio, sicut visio beatifica et amor beatificus, perdurat in eo absque interruptione, ideo absque multiplicatione actuum, et nunc absque ullo dolore et ullo merito, quia Christus non est amplius viator, sed solum conprehensor.

Hæc communior sententia docetur a multis ut certa, defenditur a pluribus thomistis speciatim a Cajetano, a Joanne a S. Thoma, a Salmanticensibus [1], a Gonet, a Carmelitanis Gabriele et Francisco, a Suarezio [2], Bellarmino, Coninck, Castro Palao, Tannero, Miranda, Molina carthusiano [3], necnon a schola quæ dicitur gallica, scil. Bérulle [4], Condren [5], Olier, Thomassin, Bossuet [6], recenter a M. Lepin [7], Grimal [8], Hervé [9], Michel [10], G. Petazzi S. J. [11] et multis aliis. Hanc sententiam certissimam vocavit Leander (t. 8, disp. 1, q. 28).

Minus explicite, sed vere quoad rem, invenitur hæc doctrina apud S. Thomam ut mox patebit, imo ea sola videtur servare plenum sensum Concilii Tridentini: « *idem nunc offerens ministerio sacerdotum, qui seipsum tunc in cruce obtulit* », scil. idem nunc actualiter se offerens; ita intellexit magna majoritas Patrum Concilii Tridentini [12]. Recenter

serait plus ni créée ni dépendante par nature? Alors il n'adorerait plus dans l'Eucharistie où il est et vit comme au ciel? Même après les explications de l'*Esquisse* 1924, p. 72, je ne comprends pas le ciel sans cette vie de religion adoratrice présidée par Jésus ».

1 *De Eucharistia*, disp. XIII, dub. III, § 1.

2 Disp. 77, sect. 1.

3 *Istruzione dei Sacerdoti*, tradotta dallo spagnuolo, 1727, tr. III, p. 208-225.

4 *Discours de l'état et des grandeurs de Jésus*, disc. XI[e], n. 4 et *Vie de Jésus*, c. 26.

5 *L'Idée du Sacerdoce et du Sacrifice de Jésus Christ*, 1677, II[e] P., n. 17, p. 86 ss.

6 *Explic. de quelques difficultés sur les prières de la Messe*, Œuvres, Versailles 1816, t. XXIV, p. 513, et *Médit. sur l'Evang., La Cène*, I[e] P., 59[e] jour.

7 *L'Idée du Sacrifice de la Messe* 1926, p. 675 ss. 713, 745-749.

8 *Le Sacerdoce et le Sacrifice de N. Seigneur Jésus Christ*, 4[e] ed., 1926, p. 206.

9 *Manuale, De Eucharistia*, n. 147.

10 *Dict. théol. cath.*, art. « Messe », col. 1245, 1279 ss., 1282 ss.

11 *L'essenza del Sacrificio della Messa*, 10, 11 et sgg.

12 LEPIN, *op. cit.*, p. 317-326.

Pius XI in Encyclica *Quas primas* de Christo rege scripsit: « *Christus sacerdos se pro peccatis hostiam obtulit perpetuoque offert* » (Denz. 2195).

* * *

Ad probationem autem hujusce communioris et longe certioris sententiæ afferam duo principalia argumenta quæ sunt fere explicite apud S. Thomam; postea examinabimus breviter adversariorum rationes et denique videbimus consequentias hujusce communioris sententiæ quoad valorem infinitum cujuslibet Missæ, quoad vitam spiritualem et unionem celebrantis ac fidelium cum Christo principali sacerdote actualiter offerente.

Primum argumentum fundamentale quod invenitur partim in S. Scriptura, partim in tota traditione ad hoc reducitur:

Christus est semper vivens ad interpellandum pro nobis (ut dicitur ad Hebr., VII, 25, et ad Rom., VIII, 34) et, ut communiter docetur a Patribus, *est sacerdos principalis* sacrificii Missæ et cujuslibet Missæ.

Hoc autem sacerdotium principale non solum olim exercuit, quando Missam instituit, sed ut est « sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech » ac « semper vivens ad interpellandum pro nobis » *actualiter illud exercet*, quod non potest esse nisi actualiter velit et offerat quamlibet Missam; non potest enim in perpetuum a munere præcipui offerentis vacare.

Ergo Christus ut principalis sacerdos sacrificii Missæ, quamlibet Missam actualiter vult et offert, et in hoc præsertim apparet eminentissima dignitas sacrificii nostri, non solum ex parte victimæ oblatæ, sed ex parte principalis offerentis et actionis ejus theandricæ.

Hoc argumentum, ut patet, fundatur, in traditionali interpretatione verborum Epist. ad Hebr., VII, 25, « *Christus semper vivens ad interpellandum pro nobis* » et ad Rom., VIII, 34: « *Christus mortuus... resurrexit; qui etiam interpellat pro nobis* ».

Sub luce horum verborum Sacræ Scripturæ S. Irenæus dicit: « *Per Iesum Christum, offert Ecclesia* » [1]; S. Cyprianus: « *Sacerdos in altari vice Christi fungitur et sacrificium verum ac plenum Deo Patri offert* » [2];

S. I. Chrysostomus: « *Qui tunc in illa cœna confecit, ipse nunc quoque operatur* » [3] et alibi: « *Cum videris sacerdotem præbentem, ne ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam* » [4];

Pro. Chrysost., si Christus actualiter se praebet nobis in communione, ita actualiter se offert Patri in consecratione. Dicit: « *Cum videris*

1 *Contra hæres.*, l. IV, c. 32 et 34.

2 *Epist.* 63.

3 *Homil.* 82 in *Matth.* n. 5.

4 *Homil.* L. 3 in *Matth.* Item *Homil.* 2 *in II ad Tim.* c. I, *Homil.* XIII in *Ep. ad Hebr.* VII, 25.

Dominum immolatum et jacentem, et summum sacerdotem sacrificio incumbentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc cum hominibus in terra esse, an non potius in cælos translatum » (*De Sacerdotio* III, 4, cf. Journel, 1118). — « *Oblatio eadem est, quisquis offerat, sive Paulus, sive Petrus; eadem est quam Christus dedit discipulis et quam nunc sacerdotes faciunt... Sicut enim verba quae Deus locutus est eadem sunt quae nunc sacerdos dicit, sic oblatio eadem ipsa est... Qui vero putat hoc minus illo esse, is nescit Christum etiam nunc adesse et operari* ». (*In Ep. II ad Timoth., hom. 2, n. 4*, Journel, 1207).

S. Gregor. Nyss.: « *Christus seipsum pro nobis hostiam offert, et victimam immolat, sacerdos simul existens et agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit* ».. (*In Christi resurr.*, or. 1, Journel, 1063).

S. Ambrosius: « *Ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offertur. Et ipse quidem nobis apud Patrem advocatus assistit; sed nunc eum non videmus; tunc videbimus, cum imago transierit, veritas venerit. Ascende ergo in cælum... videbis æternum atque perpetuum sacerdotem* [1] ». Item « *Christus offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat: hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit* » [2]; et alibi: « *Christus resurgens, semper causas nostras agit apud Patrem, cujus postulatio contemni non potest: quia in dextera Dei est* » [3].

S. Augustinus: « *Christus ipse offerens, ipse est oblatio, cujus rei sacramentum, quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium* » [4].

Adhuc magis explicite Augustinus ait in *Enarratione in Ps.* 85: « *Unus et ipse Salvator noster orat pro nobis, et orat in nobis, et oratur a nobis. Orat pro nobis, ut sacerdos noster; orat in nobis, ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster* ».

Item S. Gregorius Magnus: « *Quotidie Christus orat pro Ecclesia, de quo testatur Apostolus Paulus Hebr.* VII, 25 » [5].

Item inter Scholasticos S. Albertus Magnus [6]; S. Thomas ipse dicit in Summa Theol. III, 83, a. 1, ad 3): « (In Missa) sacerdos gerit imaginem Christi, *in cujus persona et virtute* verba pronuntiat ad consecrandum (q. 82, a. 1, et 3). Et ita quodammodo (etiam in Missa) idem est sacerdos et victima » scil. idem est sacerdos principalis et victima.

Quod autem Christus nunc actualiter intercedat ut sacerdos principalis, S. Thomas hoc explicite dicit in suo Commentario in Ep. ad Hebr., VII, 25: « *Christus semper vivens interpellat pro nobis*, primo humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repræsentando. Item

1 In *Ps.* 38, n. 25-26, cf. LEPIN, *op. cit.*, p. 714.
2 *De Offic.*, l. I, c. 48.
3 In *Ep. ad Rom.* VIII, 34 (comm. qui attributus est S. Ambrosio).
4 *De Civit. Dei*, l. X, c. 20, item *de Trinit.* l. IV, c. 7 et 14.
5 In 5m *Ps. pœnit.*
6 *De Eucharistia*, l. III, c. 5.

sanctissimæ animæ suæ desiderium, quod de salute nostra habuit, exprimendo, cum quo, interpellat pro nobis ». Pariter in suo Commentario in Ep. ad Rom. VIII, 34; sanctus Doctor ait: « Qui etiam interpellat pro nobis, quasi advocatus noster existens, ut dicitur I Ioan, II, 1, « *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum*.. Dicitur interpellare pro nobis dupliciter: Uno modo pro nobis orando... Nunc autem ejus interpellatio pro nobis est voluntas ipsius de nostra salute (Ioan. XVII, 24): *Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum.* Alio modo interpellat pro nobis, humanitatem pro nobis assumptam et mysteria in ea celebrata conspectui paterno repræsentando ». Item in Ep. ad Hebr., IX, 11, circa haec verba: *Christus assistens pontifex futurorum bonorum:* « Ipse, ut Mediator, assistit Patri ad interpellandum pro nobis... Item assistens nobis ad auxiliandum ».

Item in II-II, q. 83, a. 11, *Utrum sancti, qui sunt in patria, orent pro nobis*, dicit: « Cum oratio pro aliis facta, ex caritate proveniat, quanto sancti, qui sunt in patria, sunt perfectionis caritatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus iuvari possunt, et quanto sunt Deo conjunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces; habet enim hoc divinus ordo, ut ex superiorum excellentia in inferiora refundatur, sicut ex claritate solis in aerem. Unde et de Christo, dicitur ad Hebr. VII, 25: Semper vivens ad interpellandum pro nobis ».

Si vero in litaniis non dicitur: « Christe, ora pro nobis », sed *Christe exaudi nos, vel miserere nobis*, hoc est « quia Christus supponit suppositum æternum, cujus non est orare sed adjuvare, et in hoc etiam evitamus hæresim Arii et Nestorii » ita S. Thomas in IV Sent., d. 15, q. 4, a. 6, q. 2a, ad 1m. Idest: Christus, ut Deus, nos exaudit; sed ut homo, intercedit pro nobis.

Remanet, ut notant Gonet, Salmanticenses, Suarez, Tolet, Estius [1], J. Vosté [2], quod secundum S. Thomam, Christus etiam nunc in cælo existens, vere et proprie orat, nobis beneficia divina postulando, et actualiter exercet virtutem religionis ut supremus sacerdos in æternum [3].

Verum quidem est quod Christus non amplius supplicat cum lacrimis et dolore, nec amplius meretur, sed orat, *oratione intercessionis*, ut præterita sua satisfactio et præterita sua merita nobis applicentur tempore opportuno, v. g. in articulo mortis. Imo ejus intercessio habet aliquid specialissimum quoad efficaciam, quia jam meruit et quidem de condigno quidquid absolute et non solum conditionaliter pro nobis postulat, et quidquid per ipsum obtinemus et obtinebimus [4].

1 *In Hebr.*, VII, 17: « Ex æterno Christi sacerdotio recte sequitur eum in perpetuum salvare posse; quia non otiosum gerit sacerdotium. Est enim sacerdos semper vivens, *ut semper agat sacerdotis officium*, id est, semper pro nobis apud Deum interpellet ».
2 *Studia paulina*, 1928, p. 130, in Hebr., VII, 25.
3 Cf. *Dict. théol. cath.* art. « Messe » (A. MICHEL), col. 1283.
4 Cf. S. THOMAM, IIIa, q. 21, a. 4.

Sic juxta S. Thomam et plerosque theologos, Christus exercet actualiter suum sacerdotium principale in Missa. Imo sanctus Doctor optime distinguit in Summa Theologica, orationes quas celebrans dicit in proprio nomine, ut *Confiteor,* orationes quas dicit in nomine Ecclesiæ: *Oremus,* et verba consecrationis quæ profert proprie *in nomine Christi* (IIIª p. 82, a. 1 et 3). Immo sacerdos non dicit: « ego consecro in nomine Christi », sicut dicit: « Ego te baptizo », « Ego te absolvo », sed celebrans profert ipsa Christi verba: « *Hoc est enim Corpus meum* »; eaque profert non solum recitative, sed practice, ad producendam hic et nunc transsubstantiationem propriissime in nomine Christi [1].

Unde non est solum Ecclesia quæ actualiter offert Missam, sed ipse Christus ut sacerdos principalis. Proinde dicitur in Conc. Trid.: « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit »; id est: idem nunc actualiter se offerens, nam non solum olim exercuit suum sacerdotium principale instituendo Missam, sed illud nunc actualiter exercet. Hoc est primum et fundamentale argumentum pro hac sententia.

* * *

Secundum argumentum sumitur pariter ex his quæ explicite dicta sunt a S. Thoma.

Certum est enim iuxta ipsum [2] et plerosque theologos quod *humanitas Christi est instrumentum conjunctum divinitati* et quasi præcipuum divinitatis organum concurrens ad *omnes effectus supernaturales et miraculosos,* qui per alia subordinata instrumenta fiunt. Ideoque Christus, ut homo, instrumentaliter etiam concurrit *ad omnes et singulas transsubstantiationes* quæ in quotidiana celebratione Missæ contingunt, sunt enim opus supernaturale et miraculum absconditum.

Christus autem ad eas concurrit certo ut *instrumentum sui conscium ac per intellectum et voluntatem.* Ergo actualiter vult concurrere ad omnes prædictas transsubstantiationes et ad quamlibet in singulari. Sic actualiter vult offerre omnia et singula sacrificia in quibus illæ fiunt.

Fundamentum hujusce argumenti est explicite apud Sanctum Thomam IIIª, p. 62, a. 5: « principalis causa efficiens gratiæ (et effectuum supernaturalium) est Deus, ad quem comparatur humanitas Christi, sicut instrumentum coniunctum, sacramentum autem sicut instrumentum separatum ». Hæc doctrina admittitur non solum a thomistis omnibus, sed a multis aliis theologis ut Salmeron, Vega, Valencia,

1 Cf. S. THOM., IIIª, q. 78, a. 1 et 4; q. 82, a. 1, a. 5 et 7, ad 3; q. 81 a. 1, ad 3.
2 Cf. IIIª, q. 43, a. 2; q. 48, a. 6; q. 62, a. 5. Ita omnes thomistæ. — Cf. de hac re Salmanticenses, *De potentia Christi,* tr. XXI, de Incarnatione, disp. 23, dub IV. — Cf. ibid., n. 31, solutionem objectionum Durandi, Scoti, Vasquez. — Cf. HUGON, *La causalité instrumentale en théologie,* Téqui, c. 3, p. 73 sq.; HERIS, *Le Mystère du Christ,* p. 140 sq.

Suarez, Tannerus, et suo modo a Billot, Hervé, Michel etc., quamvis negetur a Scoto et a Vasquez [1].

Et certum est quod Christus est *instrumentum sui conscium et vult concurrere* ad effectus quos instrumentaliter producit. Si autem non interveniret *actualiter* in consecratione eucharistica, celebrans esset immediatum Dei instrumentum, et Christus *non actualiter exerceret suam mediationem universalem in Missa, id est in altissimo actu cultus christiani.*

Hæc duo argumenta sunt non solum valde probabilia, sed certa, saltem ex se, vi principiorum in quibus fundantur, quamvis quidam de eorum certitudine dubitaverint.

Ergo Christus ut sacerdos principalis sacrificii Missæ non solum illud virtualiter offert, prout olim illud instituit, sed nunc actualiter offert omnes et singulas Missas; nec solum moraliter influit, sed physice instrumentaliter, ut instrumentum intelligens et liberum , ac multo melius quam celebrans, Christus actualiter vult quamlibet Missam, absque ulla distractione, actu quidem non remisso, sed perfectissimo, jugiter perverante absque interruptione.

Rex quandoque non actualiter vult in quod exprimitur a legato suo: sed non ita est in Christo glorioso, ejus intentio non interrumpitur per somnum, distractionem aut ex alia causa. Celebrans quandoque, momento consecrationis, propter aliquam distractionem, habet solum intentionem *virtualem* consecrandi; si ita esset in Christo sacerdote principali, tunc nulla esset *actualis* oblatio interior. E contrario in Christo oblatio interior semper durat actualiter, ut visio ejus beatifica, ut ejus amor Dei et animarum, ut ejus adoratio et gratiarum actio. Sic etiam ipse Christus, ut homo, videt in Verbo et vult omnes effectus cujuslibet Missæ, qui de facto producuntur sive in celebrante, sive in fidelibus assistentibus, sive in fidelibus distantibus, sive in animabus purgatorii. Pariter optime, clare cognoscit et vult omnes missæ effectus per respectum ad Deum adorandum et glorificandum. Sic actualiter plene cognoscit et vult valorem, irradiationem et fecunditatem cujuslibet Missæ, ut convenit principali et supremo sacerdoti.

Rationes adversariorum facile solvuntur.

1. Non ex hoc sequitur quod Christi intercessio et interior oblatio sit nunc *meritoria.* Certum est quod sancti pro nobis orant in cælo, sed non amplius merentur, quia non sunt amplius viatores, sed in termino viæ. Impetratio non limitatur ad statum viatoris, et sicut potest esse in peccatore infra meritum, potest esse in beato supra meritum. Christus intercedit ut nobis applicentur præterita sua merita tempore opportuno.

1 Cf. SALMANT., *De Incarnatione,* tr. XXI, disp. 23, dub. IV.

2. Neque sequitur ullo modo quod interni actus oblationis debeant in Christo glorioso *multiplicari*, sed perdurat unicus actus oblationis absque interruptione et reiteratione; et hic actus, sicut visio beatifica Christi et ejus amor beatificus, mensuratur non tempore continuo solis, nec tempore discreto quo mensurantur successivæ cogitationes angelorum, sed *æternitate participata;* nam in hoc actu interno permanentis oblationis non est innovatio nec successio; Christus enim, absque mutatione in seipso, videt in Verbo, ea quæ successive fiunt in tempore [1].

3. Nec etiam dicendum est quod hæc actualis oblatio sic perdurans *non subordinaretur*, sed *coordinaretur* oblationi sacrificii Crucis. Ei subordinatur prout in hac actuali oblatione non est novum meritum, nec nova satisfactio, sed per eam nobis applicantur præterita crucis satisfactio, et præterita passionis merita [2].

4. Denique non potest dici quod Christus, ut homo, nunc ex hoc quod sedet ad dexteram Patris, non amplius *adoret*. Certo exercetur in eo virtus infusa religionis et donum pietatis, per adorationem et gratiarum actionem, sicut per intercessionem; item adorat in Eucharistia, ut communiter dicitur. S. Thomas in Epistolam ad Hebr. VII, 25 ait, de Christo sedente ad dexteram Patris: « licet sit ita potens, ita altus; tamen cum hoc est pius, quia interpellat pro nobis ».

Hæc igitur communior doctrina videtur non solum probabilissima, scil. quamlibet Missam habere valorem infinitum non solum ex parte victimæ oblatæ, sed etiam ex parte principalis offerentis; et proinde Missam oblatam pro mille personis æqualiter proficere singulis secundum earum devotionem, ac si pro una tantum celebraretur. Hoc autem negatur ab aliis qui tenent Missam offerri solum virtualiter a Christo, prout eam olim instituit [3].

Consectaria spiritualia.

Consequentiæ prædictæ doctrinæ in ordine spirituali sunt plurimæ et magni momenti. Indicandæ sunt solum principales pro celebrante et pro fidelibus.

[1] Id quod mensuratur æternitate participata incœpit, ut visio beatifica, et posset absolute loquendo cessare, ut visio beata per modum transeuntis; sed quamdiu durat est absque intrinseca successione. Sic in mente Christi gloriosi permanet ejus intercessio usque ad diem iudicii; tunc cessabit quidem, quia nihil erit amplius postulandum, sed semper manebit in eo et in omnibus beatis adoratio et gratiarum actio.

[2] Imo probabilius oblatio interior quæ nunc perseverat est eadem ac oblatio interior sacrificii crucis, absque modalitate meriti. Sed hoc non est omnino certum, nam oblatio interior sacrificii crucis pertinebat ad Christum *ut viatorem* et quamvis fuerit sub luce visionis beatificæ,regulabatur forte immediate a scientia infusa. Nunc abstrahimus ab hac difficili quæstione, quæ est minoris momenti et dicimus solum quod oblatio nunc perseverans « *subordinatur* » oblationi sacrificii crucis *saltem quoad effectum* prout, absque novo merito, nobis applicat præterita Passionis merita.

[3] Cf. SALMANTICENSES, *De Eucharistia*, disp. XIII, dub. VI.

Pro celebrante. Sequitur quod celebrans aspirare debet ad *unionem magis ac magis actualem et intimam cum Christo,* prout Christus non solum olim Missam instituit, sed nunc quamlibet actualiter offert et modo perfectissimo, summa sua contemplatione, ardentissima caritate, perfectissima religione et pietate.

Celebrans sic magis intime participat supremo sacerdotio Christi. Debet animadvertere quod, si Christus non amplius dolet, nec meretur, semper actualiter adorat Patrem, actu theandrico valoris infiniti, semper intercedit pro nobis ut advocatus noster, semper gratias agit, ac offert actualiter nostras adorationes, supplicationes, reparationes, gratiarum actiones, easque omnium fidelium. Celebrans inclinatur etiam ex hoc ad cogitandum quod Christus est non solum sacerdos, sed victima, quod olim maxime doluit, et nunc offert Patri dolores nostros, ut magis valeant ad salutem animarum.

Si, momento consecrationis, celebrans est aliquantulum distractus propter quædam cultus particularia quæ deesse possunt, certo certius sacerdos principalis, Christus ipse, non est distractus, sed in Verbo videt et vult hanc consecrationem, ejus valorem et efficaciam. Immo hoc totum iam in terris videbat in Verbo. Dicit enim S. Thomas in tractatu de Incarnatione IIIª, q. 10, a 2: « Nulli intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia quæ ad ipsum spectant. Ad Christum autem et ad ejus dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum ei subjecta sunt omnia. Ipse etiam est omnium iudex. Et ideo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia », etiam secreta cordium, prout est « iudex vivorum et mortuorum ». Hoc iam quidem verum erat de Christo durante ejus vita terrestri. A fortiori nunc in cælo, in ipso « *nunc stanti* » immobilis æternitatis. Christus, ut homo clarissime videt in Verbo totum mysterium missæ, cujuslibet missæ, et omnes ejus effectus actualiter vult et producit. Hoc considerare debet celebrans.

Pro fidelibus consectaria prædictæ doctrinæ sunt pariter evidentia. Ex ea sequitur quod fideles considerare debent celebrantem esse solum Christi ministrum, et *maiorem attentionem habere debent ad Sacerdotem principalem actualiter offerentem.* Sic melius ac melius cognoscent *valorem infinitum Missæ,* non solum ex parte victimæ oblatæ, sed præsertim ex parte offerentis principalis. Quando B. Maria Virgo, offerebat Filium suum in cruce, hæc oblatio erat *infiniti valoris objective* ex parte victimæ oblatæ, *non autem subjective* ex parte Beatæ Mariæ offerentis; e contrario si agitur de ipsa oblatione Christi quæ est actus theandricus.

Sic melius fideles intelligunt quod sacrificium Missæ et sacrificium crucis sunt *idem quoad substantiam,* quamvis differant *quoad modum* oblationis, quæ olim fuit cruenta, dolorosa ac meritoria, quæque nunc est incruenta, sacramentalis, non amplius dolorosa nec meritoria, sed nobis applicat ex opere operato satisfactionem et merita Passionis, et uberrimos fructus producit in animabus nostris secundum mensuram dispositionis nostræ.

Unde non mirum est quod plures sancti, assistendo sacrificio Missæ, momento consecrationis et elevationis non amplius viderunt celebrantem, sed ipsum Christum principalem sacerdotem, actualiter semetipsum offerentem.

Speciatim hodie, tempore belli, consideranda est hæc doctrina per respectum ad Missas quæ quotidie celebrantur pro pacificatione mundi, præsertim quando celebratur ad hanc intentionem a Summo Pontifice. Tunc, si, in diversis populis ad invicem oppositis in bello, multi fideles firmiter credentes ferventer uniuntur his Missis, non possunt magis intime et magis efficaciter uniri cum oblatione perpetua quæ perdurat in Corde Christi semper viventis; non possunt igitur melius orare secundum ipsas intentiones Providentiæ divinæ; nam Christus supremus sacerdos eas optime ac plene cognoscit, et evidentissime videt *maius bonum* propter quod Deus permittit omnia mala hujusce belli mundialis.

Magnam igitur fiduciam habere debemus, dum celebramus Missam ad altiores et universaliores intentiones Ecclesiæ, quæ certo sunt conformes cum intentionibus divinis, scil. ut ex gravi malo præsenti Deus majus bonum eliciat, ut etiam mereamur hoc superius bonum aliquatenus prospicere et ad illud cooperari.

Confidentia maxima habenda est in Christo supremo sacerdote, qui dixit Apostolis: « *Confidite ego vici mundum* » (Ioan. XVI, 33). Retulit victoriam ex demone, ex peccato et ex morte. Missa autem hujusce victoriæ uberrimos fructus nobis quotidie applicat. Dicendum est ergo semper cum majori fiducia, id quod legitur ad Hebr. IV, 14: « *Habemus pontificem magnum qui penetravit coelos, Iesum, Filium Dei... Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* ». « *Sempiternum Christus habet sacerdotium, unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis* » (Hebr., VII, 25).

CAPUT III

DE EFFECTIBUS ET DE VALORE SACRIFICII MISSÆ

In hoc capite sunt tres sectiones: 1) Quinam sint effectus sacrificii, 2) Quomodo producantur; 3) An valor sacrificii Missæ sit infinitus.

ART. I. — QUINAM SINT EFFECTUS SACRIFICII MISSÆ

Status quæstionis: Protestantes non directe negaverunt Eucharistiam esse sacrificium adorationis et gratiarum actionis, sed negaverunt eam esse sacrificium propitiatorium ad Deum placandum et ad expianda peccata, et sacrificium impetratorium ad obtinenda bona ad salutem spectantia.

De pluribus effectibus Missæ relate ad nos locutus est S. Thomas in q. 79 de effectibus Eucharistiæ, v. g. a. 7: utrum prosit aliis quam sumentibus, et q. 82.

Responsio de fide habetur in C. Trid. (Denz. 950): « Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, nec pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, an sit ».

Unde responsio est: *sacrificium Missæ non solum esse sacrificium adorationis et gratiarum actionis, sed sacrificium impetratorium et propitiatorium pro vivis et defunctis.* Dicitur *impetratorium*, prout offertur ad nova beneficia obtinenda, quæ tamen iam olim meruit Christus, et dicitur *propitiatorium*, prout offertur pro peccatis remittendis, aut pro solvenda pœna peccato debita, non quidem per novam Christi satisfactionem, sed per applicationem præteritorum meritorum et satisfactionum Christi in cruce immolati.

Ratio hujus assertionis indicatur in ipso Conc. Trid. (Denz. 940): « quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet Sancta Synodus sacrificium istud vere

propitiatorium esse (can. 3), per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu ac reverentia, contriti ac pænitentes ad Deum « accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno » (Hebr. IV, 16). Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pænitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit ». Ita fecit Christus in cruce pro bono latrone. Brevius, ratio est quia sacrificium Missæ est quoad substantiam numerice idem (ex parte victimæ et principalis offerentis) ac sacrificium Crucis. Atqui sacrificium Crucis habuit quadruplicem effectum: latreuticum seu adorationis, eucharisticum seu gratiarum actionis, propitiatorium et impetratorium. Ergo pariter sacrificium Missæ non quidem quoad acquisitionem novi meriti et novæ satisfactionis, sed quoad applicationem meritorum et satisfactionum Passionis.

Non requiritur nova satisfactio, quia satisfactio Calvarii fuit superabundans, et nunc sufficit quod Missa sit quoad substantiam idem numerice sacrificium ac sacrificium Crucis, sed modo incruento.

Brevius: Christus non potest sic offerri in Eucharistia quin Deus inclinetur ad donum pænitentiæ aliaque beneficia ad salutem spectantia concedenda.

1ª *Confirmatio:* Sacrificium Missæ est longe præstantius sacrificiis Veteris Testamenti. Hæc autem hunc quadruplicem effectum obtinuerunt, prout quædam erant sacrificia adorationis et gratiarum actionis, alia impetratoria, alia satisfactoria seu propitiatoria.


2ª *Confirmatio:* Ex diversis liturgiis apparet Missam offerri pro omnibus beneficiis spiritualibus et temporalibus. Cf. S. Cyrillum Hieros., Catechesi 5, n. 8 (R. de Journel, n. 851). Item S. August. Enchiridion, c. 110.

Inter effectus sacrificii Missæ, numeratur gratia habitualis remissiva peccatorum mortalium, augmentum hujusce gratiæ, remissio peccatorum venialium, relaxatio pœnarum peccatis quoad culpam remissis debitarum, ac tandem alia bona tam spiritualia quam temporalia ad salutem spectantia.

ART. II. — QUOMODO PRODUCANTUR EFFECTUS MISSÆ

Status quæstionis: quæstio est 1) utrum sacrificium Missæ producat effectus suos *ex opere operato,* seu ex dignitate rei oblatæ et principalis offerentis, an *ex opere operantis Ecclesiæ,* scil. ex precibus universalis Ecclesiæ, an *ex opere operantis simpliciter,* scil. ex merito et oratione sacerdotis et fidelium. — 2) quæritur utrum sacrificium Missæ producat effectus suos *infallibiliter,* scil. semper et in omni casu, an sub quibusdam conditionibus quæ deficere possunt. — 3) quæritur utrum sacrificium Missæ producat effectus suos *immediate,* scil. per ipsam oblationem, an mediate, seu mediante alio effectu.

Responsio: Plures sunt conclusiones quasi communiter receptæ a tempore Conc. Tridentini quæ sic exprimi possunt synoptice, distinguendo effectus per respectum ad Deum qui sunt infallibiles, et effectus per respectum ad nos, qui supponunt conditiones quæ deficere possunt.



ex opere operantis: omnes effectus prædictos, scil. ex precibus tam universalis Ecclesiæ, quam ipsius celebrantis et adstantium.

Explicatur per partes:

1) Certum est sacrificium Missæ offerre Deo, *ex opere operato immediate et infallibiliter adorationem reparatricem et gratiarum actionem valoris infiniti.* Hoc enim immediate et infallibiliter sequitur ex dignitate rei oblatæ et principalis offerentis, independenter a precibus Ecclesiæ universalis et celebrantis. Impossibile est enim melius agnoscere supremum Dei dominium super omnia et jus Dei imprescriptibile ut super omnia diligatur. Unde quoad adorationem dicitur in Gloria in excelsis: « Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus ». Hæc adoratio valoris infiniti de se reparatrix est, nec potest applicari maior virtus « in remissionem peccatorum quæ a nobis quotidie committuntur » ut dicit Conc. Trid. (Denz. 938).

Notandum est quod gloria Dei seu manifestatio bonitatis suæ est finis universi; unde ex hoc maxime apparet altitudo hujusce sacrificii.

Valor infinitus hujus adorationis reparatricis et gratiarum actionis provenit ex actibus theandricis Christi; sic perdurat reparatio valoris

infiniti oblata in sacrificio Crucis, quamvis non sit nunc *novum* meritum in Christo glorioso.

Huic oblationi, quæ semper vivens est in Corde Christi, sacerdos minister et fideles sese unire debent secundum quatuor fines sacrificii. Sic dicitur: « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo ».

Auctor Imitationis Christi hoc pulchre exponit l. IV, c. 8, ubi Dominus, ait: « Sicut ego me ipsum... in cruce pro peccatis tuis Deo Patri sponte obtuli,... ita debes et tu temetipsum mihi voluntarie in oblationem puram et sanctam, quotidie in Missa,... quanto intimius vales, offerre... Quidquid præter te ipsum das, nihil curo, quia non quæro datum tuum, sed te. Offer te mihi et da te totum pro Deo et erit accepta oblatio ». Hoc pulchre evolvitur in capitulo sequenti, scil. in responsione discipuli: « Offero tibi omnia peccata mea, ut ea deleas, et omnia bona mea et desideria mea, ut ea perficias ».

Notandum est quod reparatio iniuriæ facta Deo non omnino idem est ac peccatorum remissio ex parte nostra: hæc enim remissio est applicatio ad nos sacrificii Christi, sed ipsum sacrificium substantialiter perdurans in Missa, offerendo Deo infallibiliter adorationem, simul ex se reparat, sicut sacrificium crucis, antequam fiat applicatio per remissionem peccatorum in tali vel tali individuo.

2) *Peccata sive mortalia, sive venialia, remittuntur* quidem *ex opere operato* (scil. ex meritis Christi, non intuitu meriti operantis), sed solum *mediate* (scil. impetrando auxilium ad actum pænitentiæ), et *non infallibiliter*, quia non constat de promissione Dei et potest esse obex; ait Conc. Trid. (Denz. 940): « Hujus oblatione placatus Dominus gratiam et donum pænitentiæ concedens, peccata etiam ingentia dimittit ».

S. Thomas IV Sent. dist. 12, q. 2, a 2 ait: Sacrificium Missæ « gratiam contritionis impetrat, et mediante hac gratia reatus culpæ deletur », ut in Calvario evenit pro bono latrone.

Hæc gratia contritionis quandoque est efficax, tunc sequitur contritio; quandoque est solum sufficiens et peccator ei resistit, sed ad minus confertur gratia sufficiens.

Ut notat Billuart, disp. VIII, a. 2: « *Infallibiliter conferuntur per sacrificium Missæ gratiæ sufficientes ad remissionem peccatorum* tam mortalium quam venialium, ad augmentum gratiæ habitualis, ad donum perseverantiæ et ad virtutes; quia cum Deus nemini deneget gratias sufficientes, non est dubium quin maxime intuitu hujus sacrificii, in quo dilectissimi Filii passio repræsentatur, eas conferat. At vero ipsa remissio peccatorum, gratiæ augmentum, donum perseverantiæ et virtutes non causantur infallibiliter *propter obicem* ex parte subiecti ». (Cf. Catechismum Conc. Trid.).

Ex hac conclusione sequitur corollarium pro non ponentibus obicem, scil. *infallibiliter confertur a sacrificio Missæ gratia pænitentiæ peccatoribus qui ei assistunt cum sincero desiderio conversionis*, et tunc simul accipiunt, si prius illam non habuerunt, inspirationem accedendi ad sacramentum pænitentiæ. Sic verificantur verba dicta in Missa: « Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis ».

Confirmatur: Ita sacrificium crucis sanctificavit peccatores mediate, efficaciter pro quibusdam, sufficienter pro aliis; scil. impetravit donum pænitentiæ efficax pro multis, sufficiens pro omnibus.

Ex hoc sequitur quod hos effectus sacrificium Missæ producit *ex opere operato* non physice ut sacramenta, sed moraliter per modum impetrationis. Attamen adhuc ex opere operato, scil., ut aiunt Salmanticenses, non intuitu meriti operantis, sed ex meritis Christi qui instituit hoc sacrificium.

Ex hoc sequitur etiam quod quamvis Eucharistia ut sacramentum non possit dari nisi iis qui iam sunt in statu gratiæ, sacrificium Missæ potest offerri pro peccatoribus etiam obduratis et impænitentibus et eis obtinere saltem gratias sufficientes. Imo potest offerri, ut sacrificium crucis, pro omnibus hominibus viventibus, etiam infidelibus, hæreticis, schismaticis et excommunicatis, modo pro his non offeratur tanquam pro membris Ecclesiæ, ut recte ait Billuart loc. cit. Sicut enim licet pro omnibus orare, ita et sacrificium offerre. Ita plures missionarii in Africa celebrant Missam pro conversione mahometanorum, quos nondum possunt evangelizare, ut paulatim mens eorum aperiatur verbo divino et ut removeantur falsa Islamismi præjudicia. Item sæpe celebrantur Missæ ad obtinendam conversionem, saltem in articulo mortis, peccatorum etiam obduratorum, speciatim eorum qui, regnum Dei impediendo, ad perditionem animarum laborant.

3) *Pœna temporalis pro peccatis jam remissis, per sacrificium missæ ex opere operato immediate et infallibiliter remittitur.*

Hoc constat ex Trid. a quo definitur Missam offerri « *pro vivis atque defunctis*, pro pœnis et satisfactionibus ». Atqui pœnæ nequeunt nisi ex opere operato remitti defunctis qui jam sunt incapaces meriti et satisfactionis activæ [1]. Item applicatur missa vivis, quos nulla ratio prohibet his defunctis saltem æquiparare. Insuper vivis ac defunctis pœna temporalis remittitur *immediate*, scil. per meram condonationem extrinsecam propter Christi merita et satisfactiones, quia agitur de poena pro peccatis jam remissis. Denique eis remittitur *infallibiliter*, cum nulla alia conditio prærequiratur præter remissionem culpæ. Attamen non remittitur semper ex integro, sed juxta divinæ Providentiæ

1 In purgatorio animæ non sunt capaces satisfactionis activæ. Alioquin possent seipsas a purgatorio liberare; in purgatorio sunt solum capaces satispassionis seu satisfactionis passivæ.

dispositionem: Sic verificantur verba: « Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem ».

Billuart recte notat ibidem per respectum ad defunctos: « Non tamen sequitur quod ditiores pro quibus offeruntur plura sacrificia citius liberentur a purgatorio quam pauperes; quia pauperes vel forte habent minores pœnas luendas, vel forte fuerunt sanctiores in vita sicque plus participant de sacrificiis oblatis generaliter pro omnibus defunctis, vel de portione Ecclesiæ in quolibet sacrificio. Participant enim de hoc sacrificio defuncti « *qui,* ut ait Aug. Enchir. c. 110, *cum viverent meruerunt ut hæc sibi postea prodesse possent* ». Probabiliter igitur defuncti accipiunt hos fructos secundum dispositionem plus minusve perfectam quam habuerunt in morte et quæ perseverat in illis.

4° *Bona spiritualia et temporalia obtinentur quidem ex opere operato, sed per modum impetrationis et non infallibiliter.*

Agitur de bonis temporalibus ad salutem spectantibus.

Quod obtineantur ex opere operato satis clare constat ex C. Trid. dum declarat Missam offerri non solum pro peccatis, pœnis et satisfactionibus, sed etiam pro « aliis necessitatibus ». Ratio est quia Christus, seipsum offerendo, rogat Patrem, ut propter merita sua, gratiæ nobis tribuantur, et preces ejus non possunt non exaudiri.

Attamen hæ gratiæ de facto non recipiuntur nisi adsint requisitæ conditiones. Saltem requiritur ex parte objecti quod bonum postulatum expediat ad salutem vel sit secundum dispositiones Providentiæ. Et insuper propter obicem deest effectus, si peccator assistens vult remanere in peccato, ut pharisæi quibus non profuit sacrificium Crucis. Cf. Card. Bona: *De Sacrificio Missæ tractatus asceticus,* c. I, 3.

ART. III. — DE VALORE MISSÆ

Status quæstionis: Valor sacrificii distinguendus est ab effectibus seu fructibus ejus. Valor enim est *dignitas* quam habet sacrificium tam ex parte rei oblatæ, quam ex parte offerentis principalis. Fructus autem seu effectus est id quod *de facto* confertur intuitu hujus dignitatis.

Unde sunt duæ conclusiones communiter receptæ et theologice certæ.

1ª Conclusio: *Sacrificium missæ quantum est ex se et quoad sufficentiam habet valorem infinitum intensive et extensive, id est producere potest effectus semper magis extensos et magis intensos.*

2ª Conclusio: *Attamen effectus impetratorius et propitiatorius ex parte nostra est semper finitus.*

Modo magis explicito enuntiantur sic hæ conclusiones:

Valor cuiuslibet Missæ
- *In se in actu primo est infinitus quoad sufficientiam*
  - *Intensive:* propter infinitam dignitatem victimæ oblatæ et principalis offerentis.
  - *Extensive:* scil. sufficiens ad expianda omnia peccata et impetranda omnia bona ad salutem spectantia.
- *Quoad efficaciam in actu secundo et effectum est*
  - *Infinitus* quoad
    - *Adorationem reparatricem.*
    - *Gratiarum actionem.*
  - *Finitus* quoad
    - *Impetrationem:* non nisi bona finita impetrantur.
    - *Satisfactionem:* Remittitur pœna non infinita, iuxta mensuram devotionis et dispositionis Providentiæ.

Ratio primæ conclusionis clara est:

Nam sacrificium Missæ est numerice *idem quoad substantiam* ac sacrificium Crucis, quod in se fuit valoris infiniti intensive et extensive ratione infinitæ dignitatis victimæ et offerentis. Et ideo sicut sacrificium Crucis fuit valoris infiniti quoad *acquisitionem* meriti et satisfactionis, ita sacrificium Missæ est valoris infiniti quoad eorum *applicationem* diversis generationibus hominum et in diversis locis. Sic sacrificium Crucis superat sacrificium Missæ in quo applicatur.

Ratio secundæ conclusionis est quia Missa semper habet *effectum finitum ex parte nostra,* pro limitatione creaturæ rationalis et pro limitibus dispositionum nostrarum. Insuper hoc congruit ordini Providentiæ, juxta quam gratiæ successive et non simul tribuuntur, sic convenit quod Missæ multiplicentur et ideo sacerdotes tot celebrant Missas, quot personis se obligaverunt.

Controversia de hac re est ista: sunt duæ quæstiones:

Dubium I. — Utrum *hæc limitatio* effectus sacrificii in nobis *proveniat unice ex dispositionibus nostris,* an etiam *aliunde* scil. a voluntate Christi.

Dubium II. — Utrum *fructus generalis* cujus omnes fideles participes sunt et *fructus specialis* quem sacerdos determinatis personis applicat, *minuantur* ex hoc quod Missa offertur pro numerosioribus personis; an *æquales* remaneant ac si Missa offerretur pro una persona tantum. Non ponitur quæstio de fructu specialissimo, qui proprius est sacerdoti digne celebranti.

Controversia est præsertim *de fructu speciali,* sed indirecte est etiam de fructu generali, nam si fructus Missæ esset limitatus a voluntate Christi, etiam per generalem oblationem aliquid tolleretur ei pro quo specialiter offertur.

Pro prima quæstione, quidam dicunt quod hæc limitatio *provenit ex voluntate Christi,* ac proinde solvunt secundam quæstionem dicendo: Sacrificium oblatum pro decem personis *minus* singulis prodest quam si pro una sola offerretur. Ita Scotus, Paludanus, Soto, ac multi recentiores.

Alii vero theologi inter quos S. Thomas (satis clare IIIª, q. 79, a. 5), multi thomistæ ut Cajetanus, Ioann. a S. Thoma, Gonet, Salmanticenses, ad quos inclinat Billuart, et firmius Hugon, docent: *Hæc limitatio non est ex voluntate Christi, sed pendet solum ex devotione eorum pro quibus offertur.*

Unde ad secundam quæstionem respondent: Sacrificium oblatum pro pluribus etiam numerosissimis *æque* prodest singulis, cœteris paribus, ac si pro uno solo offerretur. Infinitum enim est inexhauribile. Cfr. Hugon, *Tract. Dogmatici* III, 495 et etiam Hervé, *Manuale theol. dogmaticæ,* de valore Missæ, n. 136-143).

Rationes prioris sententiæ, scil. Scoti, sunt sequentes: Si limitatio fructus Missæ non proveniret ex voluntate Christi, *superflua* esset iteratio sacrificii pro eadem persona et pro eodem obiecto.

Resp.: Non, quia persona ista potest carere dispositionibus requisitis ut subito *totum* fructum ab ea desideratum accipiat. Insuper hæc persona debet præsertim desiderare vitam æternam quam non potest nimis postulare.

Addunt secundam rationem, scil. alioquin sacerdos posset uno sacrificio pro pluribus stipendiis satisfacere, quod non licet.

Resp.: Hoc non probat, quia stipendium non est Missæ pretium, sed ad sustentationem ministrorum ab Ecclesia permittitur. Unde quamvis una Missa æqualiter omnibus prosit, potest Ecclesia prohibere ne sacerdos plura stipendia recipiat. Unde rationes pro ista opinione non sunt fortes.

* * *

Validiores et multo altiores sunt rationes pro opposita sententia quæ est communior inter thomistas.

Prima ratio: scil. influxus causæ universalis, v. g. solis illuminantis, non limitatur nisi a capacitate recipientium. Atqui sacrificium Missæ,

prout est numerice idem quoad substantiam ac sacrificium Crucis, est causa universalis quoad propitiationem et impetrationem. Ergo ejus influxus non limitatur nisi a capacitate recipientium, et ideo, sicut sacrificium Crucis, tam prodest unicuique ac si fuisset pro eo solo oblatum, sicut sol tam illuminat et calefacit mille personas in aliquo loco ac unam tantum. Cfr. Billuart, loc. cit.

Generaliter dicunt thomistæ, v. g. Billuart ibid.: « Sacrificium spectat ad genus moris; est enim actio qua Christus ut principalis offerens se offert Patri, se illi ut superiori subiicendo; et ideo *hæc actio est theandrica et valoris intrinsece infiniti...* Sicut ergo sacrificium Crucis fuit intrinsece valoris infiniti ad merendum et satisfaciendum, nunc, cum Christus non possit amplius mereri nec satisfacere, sacrificium altaris, quod est idem quoad substantiam, est *infiniti valoris ad applicanda ista merita et istas satisfactiones* ».

Confirmatur: ut ostendit Caietanus, ex praxi Ecclesiæ quæ offert Missas pro salute totius mundi, pro omnibus fidelibus vivis et defunctis, pro summo Pontifice, rege, episcopo etc. Ergo intelligit nihil per hoc tolli ab eo cui Missa specialiter applicatur. Item Missa parochialis die dominica non minus proficit fidelibus numerosissimis immensæ parœciæ quam paucis fidelibus parvissimæ parœciæ.

Hæc secunda sententia est probabilior; est corollarium definitionis Missæ ut est idem quoad substantiam sacrificium ac sacrificium Crucis.

Satis communiter admittitur fructum specialem, quatenus *impetratorium,* non minui in singulis, sive ad unum tantum, sive ad plures referatur. Vis enim impetrationis fundatur, non in speciali promissione, sed in *intrinseca* sacrificii dignitate. Ita Hervé l. cit. n. 142. Sic reducitur controversia ad fructum specialem propitiatorium.

In praxi celebrans offerat *specialiter* pro quibus tenetur ex iustitia, et deinde offerat quantum potest pro omnibus quibus vult ex caritate, amicitia, pietate, aut alio titulo gratuito. Ita communiter theologi.

* * *

Comparatio motivorum harum duarum sententiarum.

Hæc motiva referuntur a Billuart, Disp. VIII, art. 5. Et ut notat Gonet, valde prævalent motiva quibus defenditur valor infinitus Missæ. Imo hæc propositio est iam certa et communiter docetur, scilicet: « *Sacrificium Missæ quantum est ex se et quoad sufficientiam est valoris infiniti intensive et extensive* », quia quoad substantiam est idem cum sacrificio Crucis, est enim eadem victima et idem principalis offerens, unde, sicut sacrificium Crucis, habet valorem infinitum *extensive* pro quibus offertur sine limitatione, et *intensive* scil. ad fructus in illis semper maiores iuxta eorum dispositiones sine limitatione. Missa hoc producere potest quoad applicationem, sicut sacrificium Crucis quoad acquisitionem meriti et satisfactionis.

Item certa est hæc propositio: Attamen effectus Missæ in his pro quibus offertur est *semper finitus,* proportionatus nempe dispositioni subiecti quæ semper est limitata. Hoc ab omnibus admittitur.

Sic plura sacrificia merito celebrantur pro uno et eodem. Hæc sunt principia communiter admissa ab omnibus retinenda.

Sed quæstio agitata est, ut notavimus, præcise ista: Utrum *limitatio* effectus Missæ proveniat *unice ex dispositione subiectorum,* an etiam aliunde, scil. ex quadam voluntate Christi.

Manifestum est quod *hæc limitatio* non potest provenire ab intentione sacerdotis offerentis, quia licet ab eo pendeat ut illi vel isti sacrificium applicetur, applicatione tamen semel facta, non pendet ab ipso determinatio quantitatis fructus, quia causa semel applicata agit secundum virtutem sibi inditam. Alioquin celebrans foret sicut Summus pontifex determinans certam quantitatem indulgentiarum, modo plenariam, modo quadraginta annorum aut dierum; et hoc a nullo theologo admittitur pro sacrificio Missæ.

Sed quoad *primam sententiam* cf. Caietan. in III^a, q. 79, a. 5 et Opusc. III, tr. 3, q. 2, Ioan. a S. Thoma: III^a, Disp. 32, a. 3, Gonet: Clypeus, Disp. XI, a. 5, n. 99, Manuale tr. IV, *De Euch.,* c. 12, 2. — Salmanticenses, Disp. XIII, Dub. 6, longe hanc quæstionem tractant, integraliter legendi sunt; Hugon: La Sainte Eucharistie, p. 340 et ss. bene hanc doctrinam defendit, firmius quam Billuart, qui dicit: utraque sententia est probabilis. In *Dict. Theol. Cath.* art. « Messe » col. 1927, A. Michel non satis vidit valorem fundamentorum thesis thomisticæ et loquitur ac si utraque sententia esset æque probabilis. E contra Gonet dicit: obiectiones adversariorum sunt levissimæ. Ostendit quod *limitatio effectus Missæ* pendet *unice ex devotione eorum pro quibus offertur aut offerentium;* quia causa universalis quale est sacrificium Missæ, agit secundum dispositionem subiecti; unde sacrificium Missæ quod est ex se valoris infiniti, si pro pluribus offertur, æque prodest singulis, cœteris paribus, ac si pro uno tantum offerretur. Cfr. S. Thom. III^a, q. 79, a. 5, ita sol æque illuminat mille personas, sicut quamlibet in aliquo loco.

Unde fundamentum hujusce sententiæ est dogmaticum et sumitur ex infinita dignitate, non solum rei oblatæ, sed maxime principalis offerentis Christi, quæ limitari non potest ex oblatione finita celebrantis. Hoc fundamentum dogmaticum est *ex se certum.* Manifestum est enim quod valor sacrificii non attenditur secundum conditiones ministri, sed secundum dignitatem principalis agentis, sicut donum regis non secundum conditionem legati. Et sicut sacrificium Missæ oblatum a malo sacerdote non inquinatur ex ejus malitia, ergo nec limitatur ab ejus finitate. Actio autem Christi sacerdotis est theandrica et valoris infiniti olim in Cruce ad merendum et satisfaciendum, nunc ad applicanda Passionis merita.

Ecclesia favet huic sententiæ prout offert Missas pro salute totius mundi, pro omnibus fidelibus vivis et defunctis, et intelligit nihil per hoc tolli ab eo pro quo specialiter offertur.

Si autem fructus Missæ esset limitatus a voluntate Christi, etiam per generalem oblationem aliquid tolleretur ei pro quo specialiter offertur. Hæc fundamenta sunt igitur ordinis dogmatici et sunt ex se certa. E *contrario fundamenta oppositæ sententiæ non sunt dogmatica,* nec sumuntur ex natura sacrificii Missæ, nec ex parte victimæ, nec ex parte sacerdotis principalis, sed ex parte celebrantis et arguunt ex inconvenientibus practicis quæ orirentur ex priori sententia male intellecta. Dicunt enim hi theologi: *limitatio* effectuum Missæ provenit non solum ex dispositionibus nostris, sed *ex voluntate Christi.* Hoc autem nullo modo probant, sed hoc volunt inferre ex sequentibus:

I. — Quia Christus instituit hoc sacrificium ut reiteraretur, ergo effectum ejus limitavit.

Resp.: Christus voluit quod reiteraretur ad applicandos fructus Passionis diversis generationibus et diversis locis, et ut in quolibet loco Christiani haberent jugiter sacrificium offerendum et etiam quia hoc sacrificium habet semper effectum limitatum secundum devotionem recipientis.

II. — Dicunt: Licet res oblata et principalis offerens sint valoris infiniti, oblatio tamen ipsius sacerdotis celebrantis est finita.

Resp.: Hoc nullo modo limitat effectum productum ex opere operato; nam sicut Missa a malo sacerdote celebrata non inquinatur ab ejus malitia, nec limitatur ab ejus finitate.

III. — Dicunt: Alias per unum sacrificium posset satisfieri pluribus stipendiis, quod est damnatum ab Alexandro VII.

Resp.: Per unum sacrificium non potest satisfieri pluribus stipendiis, quia stipendium non est pretium Missæ, sed eleemosyna ad sustentationem vitæ celebrantis, et secundum hunc titulum celebrans non jus habet pro una Missa nisi ad unum stipendium. Hæc ratio igitur nullo modo est dogmatica, sed mere disciplinaris, practica, et prohibitio disciplinaris male intelligitur ac si stipendium esset Missæ pretium. Insuper in Ecclesia græca quilibet ex concelebrantibus, v.g. ex 16 aut 20, accipit stipendium et tamen est unica Missa, nam est una sola hostia consecrata et unus calix.

Remanet etiam quod Missa parœcialis celebrata pro immensa parœcia non minus prodest singulis fidelibus, quam si parœcia parva esset et contineret paucos fideles.

Dicunt adversarii: Non minus prodest pro multis audientibus quam pro paucis, quia isti audientes *offerunt* cum sacerdote et tunc unusquisque illorum offert ac si esset solus. Ita Suarez.

Resp.: Transeat, ita est quoad fructus *ex opere operantis,* non *ex opere operato.* Insuper hæc Missa parœcialis dicitur non solum pro audientibus, sed etiam pro fidelibus parœciæ qui non sunt præsentes,

nec offerunt; et tamen non minus prodest illis si sunt valde numerosi ac si essent pauci. Quoad solutionem aliarum objectionum, cf. Cajetanum, *opusc. cit.* In ejus sententia remanet quod conveniens est applicare fructum specialem uni vel quibusdam determinate, sic in eis suscitatur specialis devotio et proportionaliter ad eam accipiunt diversos effectus Missæ.

Unde fundamenta sententiæ affirmantis valorem infinitum Missæ et quod Missa oblata pro multis, æque prodest unoquoque eorum ac si pro illo solo offerretur, hæc fundamenta valde *prævalent* supra rationes sententiæ negativæ. Sunt enim ordinis dogmatici, derivantur ex ipsa natura Missæ, ex dignitate principalis offerentis, ex dignitate victimæ oblatæ. E contra sententia negativa arguit solum ex inconvenientibus practicis, quæ revera non existunt. Mirum est quod Billuart non firmius defendat sententiam Caietani, Ioannis a S. Thoma, Salmanticensium, Gonet et plurium aliorum thomistarum. Hugon bene eam defendit.

Aliud dubium: Utrum sit magis proficuum pro vivo ut postulet Missam pro seipso celebrandam, *ante mortem suam, an post mortem.*

Respondetur: Magis proficuum est ut Missa celebretur pro vivo ante mortem ejus: 1° quia si vivus sit in bona dispositione, participat *omnibus* fructibus Missæ et sic se disponit ad accipiendam pretiosissimam omnium gratiarum scilicet *perseverantiæ finalis,* quæ non potest esse obiectum meriti, sed obiectum impetrationis et supremæ impetrationis quæ ad sacrificium Missæ pertinet. Melius est autem obtinere gratiam bonæ mortis, quam, remanendo in incertitudine salutis, sperare citius liberari a purgatorio. Illi qui intrant in purgatorium, certo ex eo exeunt; sed ad ingrediendum in purgatorium prærequitur gratia bonæ mortis. Unde dictum est: « En un sens, le principal n'est pas d'en sortir, mais d'y entrer ». II° Celebratio Missæ pro vivis est certior quam pro mortuis, sive propter iniustas dispositiones legis civilis, sive propter incuriam heredum. (Cf. Dict. théol., art. Messe, col. 1297).

Consectaria spiritualia.

Hæc consectaria bene exprimuntur in libro IV *De Imitat. Christi,* c. 9: « Quod nos et omnia nostra Deo debemus offerre et pro omnibus orare » (speciatim celebrando Missam aut ei assistendo): ibi dicitur: « Domine omnia tua sunt quæ in cœlo sunt et quæ in terra. Desidero me ipsum tibi offerre, et tuus perpetuo permanere. Domine, in simplicitate cordis mei offero me ipsum tibi hodie in servum sempiternum, in obsequium et in sacrificium laudis perpetuæ. Suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi corporis, quam tibi hodie in præsentia Angelorum invisibiliter assistentium offero, ut sit pro me et pro cuncto populo tuo in salutem ».

« Domine offero tibi omnia peccata mea... ut tu omnia incendas et comburas igne caritatis tuæ, et deleas universas maculas peccatorum meorum, et conscientiam meam ab omni delicto emundes... ».

« Offerro etiam tibi omnia bona mea, quamvis valde pauca et imperfecta, ut tu ea emendes et sanctifices; ut ea grata habeas et accepta tibi facias et semper ad meliora trahas... ».

« Offerro quoque tibi omnia pia desideria devotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum, omnium carorum meorum... Offero etiam tibi preces et hostias placationis pro illis specialiter qui me in aliquo læserunt, contristaverunt aut vituperaverunt; ... pro his quoque omnibus quos aliquando contristavi, conturbavi, gravavi, et scandalizavi verbis, factis, scienter vel ignoranter: ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra et mutuas offensiones... Aufer, Domine, a cordibus nostris... quidquid potest caritatem lædere et fraternam dilectionem minuere... et fac nos tales existere ut simus digni gratia perfrui et ad vitam proficiamus æternam. Amen ».

Ille qui sic quotidie magis ac magis se uniret Christo principali Sacerdoti et Victimæ sacrificii Missæ, semper intimius participaret vitæ Christi ut est simul sacerdos et hostia, et multum laboraret ad animarum salutem.

FINIS TRACTATUS DE EUCHARISTIA

DE PÆNITENTIA

(Quaestiones dogmaticae)

AUCTORES CONSULENDI

S. THOMAS, III^a P., q. 84 ad 90, et Supplementum, q. 1 ad 28, ed. leonina, 1906.

Commentatores: CAJETANUS, JOANNES A S. THOMA, GONET, SALMANTICENSES, GOTTI, BILLUART ut supra: bibliographia pro Eucharistia.
Tractatu recentiores.

BILLOT, CAPPELLO, COLLET, D'ALÈS, GALTIER, HUGON, PESCH, DIEKAMP, TAUNQEREY, HERVÉ, G. VAN NOORT, BOYER.

Dictionnaire Apologétique, art. Pénitence (Galtier).

Dictionnaire de Théol. cath, art. Pénitence (E. Amann, A. Michel), art. Confession (E. Vacandard, P. Bernard), art. Attrition (A. Beugnet).

Opera theologiæ positivae.

G. RAUSCHEN, *Eucharistie und Bussokrament in den sechs ersten Iahrh.* Ed. 2^a, Freiburg, 1910.

TIXERONT, *Le Sacrement de Pénitence dans l'antiquité chretienne* (Science et Religion), Paris, Bloud, 1914. *Histoire des dogmes*, 3 vol., Paris, 10e éd., 1924.

E. VACANDARD, *Essais de critique et d'histoire religieuse*, 2e série, Paris, 1908; *La Pénitence publique dans l'Eglise primitive*, Paris, 1902; *La confession sacramentelle dans la primitive Eglise*, 2e éd., Paris, 1903.

A. D'ALÈS, *L'édit de Calliste. Etude sur les origines de la pénitence chrétienne*, Paris, 1914.

F. CAVALLERA, *Le décret du Concile de Trente sur la pénitence*, Bull. de litterature eccl., 1923, 277 sqq.; 1924, 56 sqq.; 1932, 73 sqq.; 144 sqq., 224 sqq.; 1933, 62 sqq.

J. PERINELLE, O.P. *L'attrition d'après le Concile de Trente et d'après S. Thomas d'Aquin* (Bibliothèque Thomiste), 1934.

DIVISIO MATERIÆ

PRÆNOTAMINA DE VIRTUTE PÆNITENTIÆ

CAPUT I: DE EXISTENTIA SACRAMENTI PÆNITENTIÆ.

Art. 1: *De ipsa potestate clavium Ecclesiæ a Christo concessa* ut constat ex Sacra Scriptura et Traditione - q. 84 et Suppl. q. 17-20.

Art. 2: *De existentia et denominatione sacramenti pænitentiæ*, de ejus necessitate et iterabilitate.

Art. 3: *De ministro potestatis clavium*, de potestate ordinis et de potestate jurisdictionis. Suppl. 19, 20.

CAPUT II: DE ESSENTIA SACRAMENTI PÆNITENTIÆ.

Art. 1: *An essentia sacramenti vere salvetur in pænitentia*, q. 84.
Art. 2: *De ejus materia.*
Art. 3: *De forma hujusce sacramenti.*

CAPUT III: DE CONTRITIONE. Suppl. q. 1-5.

qu. 1: quid sit.
qu. 2: de ejus objecto.
qu. 3: de ejus quantitate.

CAPUT IV: DE CONFESSIONE. Suppl. q. 6, 11.

CAPUT V: DE SATISFACTIONE. Suppl. q. 12, 15.

CAPUT VI: DE EFFECTIBUS HUJUS SACRAMENTI: III^a, q. 86-89.

Art. 1: *De remissione peccatorum* mortalium: q. 86; venialium: q. 87.

Art. 2: *De remissione pœnæ* peccato debitæ: q. 86, a. 4 et 5.
Art. 3: *De meritorum reviviscentia*, q. 89.

Notandum est quod S. Thomas, procedendo secundum id quod jam declaraverat Ecclesia suo tempore, incepit agere de pænitentia ut est *sacramentum* antequam *de potestate clavium* de qua volebat tractare agendo de ministro (Suppl. 19). E contrario plerique theologi moderni contra protestantes merito incipiunt tractare *de potestate clavium*, quia ex ipso Evangelio constat quod Christus contulit Ecclesiæ potestatem clavium ad remissionem peccatorum, dum pænitentia non *generaliter* nominatur sacramentum nisi sæculo XI, quamvis pluries S. Augustinus

et S. Gregorius Magnus vocent eam sacramentum [1]. Ipsa definitio sacramenti per genus et differentiam nondum erat præcise determinata in duobus prioribus sæculis; erant *res* sine titulo præcise determinato.

Sic apparet evolutio theologiæ, sicut pro quæstione de sacrificio Missæ.

Duo attente notanda sunt in his quæstionibus:

1° Aliquod sacramentum potest etiam longo tempore existere ut *ritus externus productivus gratiæ* a Christo institutus, antequam communiter vocetur *sacramentum* in universali Ecclesia, sed potest aliis nominibus vocari, ut vg. nomine confessionis. Sic est *res* sine dubio existens, sed sine titulo præciso universaliter recepto.

2° Ut aliquod sacramentum instituatur ab ipso Christo, sufficit quod Christus dixerit se velle *effectum proprium hujusce sacramenti*, etiamsi non determinaverit explicite nec formulam sacramentalem, nec materiam propriam. Ratio est quia *actus specificantur ab objecto formali et actio practica ab effectu producendo*, ut ars constructionis ab ædificio construendo.

In sacramento autem id quod est principale est ipsa actio sacramentalis, quæ exprimitur his verbis; « ego te baptizo; te absolvo; signo te, et confirmo te »; hæc actio sacramentalis fuit volita et instituta a Christo, si dixit se velle effectum proprium hujusce actionis.

DIVISIO TRACTATUS S. THOMÆ DE PÆNITENTIA

Tractatus S. Thomæ de pænitentia dividitur in sex partes:

1ª *Pars est: De ipsa pænitentia ut est sacramentum* et ut est *virtus*.

Sic q. 84 agitur *de institutione* hujusce sacramenti, de ejus *materia et forma*.

q. 85 agitur *de virtute pænitentiæ* quæ est pars potentialis justitiæ, ut religio, sed infra religionem prout pænitentia supponit peccatum.

2ª *Pars est: De effectu pænitentiæ*, ubi sunt quatuor quæstiones.

q. 86: *de remissione peccatorum mortalium;* q. 87: venialium.

q. 88: *de peccatorum dimissorum reditu* per sequens peccatum, ubi S. Thomas ostendit quod non redeunt formaliter et in se, sed virtualiter quia tunc est aggravatio per ingratitudinem contra beneficium remissionis.

q. 89: *de recuperatione gratiæ virtutum et meritorum,* ubi ostendit quod quandoque homo tepidius resurgit per pænitentiam, quam fuerat antea dispositus. Ibid. ostenditur quod bona opera per peccatum mortificata reviviscunt, non vero opera mortua, scil. opera ethice bona facta extra statum gratiæ, et ad vitam æternam non ordinata.

[1] Patres etiam antiquiores agnoverunt *ritum pænitentiæ esse productivum gratiæ* a baptismo distinctum.

3ª *Pars est: De partibus pænitentiæ, quæ sunt contritio, confessio et satisfactio;* scil. actus pænitentis qui sunt materia vel quasi materia hujus sacramenti. S. Thomas non potuit dictare nisi primam quæstionem hujusce sectionis, morte felicissima præventus opus suum non terminavit. Sed Supplementum Summæ compositum est secundum ordinem ab eo præpositum, et ex suo libro IV Sententiarum ad litteram excerptum est.

q. 90 est *de partibus pænitentiæ in genere,* est ultima quæstio dictata a S. Thoma.

Supplementum agit: 1° *de contritione* per quinque quæstiones.
2° *de confessione* per sex quæstiones.
3° *de satisfactione* per quatuor quæstiones.

4ª *Pars est: de suscipientibus sacramentum pænitentiæ,* q. 16 Suppl.

5ª *Pars est: de potestate clavium,* seu de ministro, per quatuor quæstiones et de annexis potestati clavium, scil. de excommunicatione et de indulgentiis, q. 17-27.

6ª *Pars est: de pænitentia publica,* q. 28 propter peccatum publicum gravissimum, per modum exempli. Hæc scripta sunt juxta disciplinam quæ adhuc tempore S. Thomæ vigebat, sed hodie non amplius sunt in usu.

Sic in isto tractatu de pænitentia sunt 36 quæstiones. Sola principalia explicari possunt et non considerando articulum per articulum.

DE PRINCIPALIBUS DEFINITIONIBUS ET DECLARATIONIBUS ECCLESIÆ CIRCA SACRAMENTUM PÆNITENTIÆ

Principales definitiones sunt in Concilio Tridentino, contra Protestantes, Denz. 911-925. Sunt sequentes:

1° *Pænitentia* est *verum Novæ Legis sacramentum,* a baptismo diversum et iterabile, *a Christo institutum* secundum illud Joan. XX, 23 dictum Apostolis a Domino post resurrectionem: « Accipite Spiritum Sanctum, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* et quorum retinueritis, retenta sunt ». Cf. Concilium Tridentinum, 913 et 894. Secundum Concilium Tridentinum tunc concessa est potestas non tantum declarandi peccata esse remissa, ut volunt Protestantes, sed *vere remittendi peccata,* et hoc per modum judicii, ut infra explicabitur. Trid. 902.

2° Definitum est in C. Tridentino, 896: « *formam sacramenti pænitentiæ,* in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo* etc. ».

3° C. Flor. et Trid., 896, 914, declarant: *quasi materiam esse actus pænitentis,* scil. *contritionem, confessionem, satisfactionem,* quæ etiam partes pænitentiæ appellantur.

Et plura definita vel declarata sunt de his actibus pænitentis in particulari.

4° In C. Trid. 897-898 definiuntur contritio et attritio: « *Contritio* est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cœtero ». Debet esse supernaturalis. *Alia est perfecta (seu contritio proprie dicta)* quæ procedit ex caritate, quæque cum voto (saltem implicito) sacramenti semper justificat, sed non reddit confessionem superfluam (587).

Alia est imperfecta (scil. attritio) procedens « ex consideratione turpitudinis peccati vel ex gehennæ et pænarum metu » 898, 1305; hæc etiam debet esse supernaturalis Denz. 699, 751, sq. 897, 1536.

In Decr. S. Off. 1667, n. 1146, dicitur quod Ecclesia noluit judicare utrum attritio includat necessario aliqualem dilectionem Dei; sententia negans est communior inter theologos ut refert hoc documentum.

Id quod est definitum est quod attritio sine sacramento non justificat, sed cum sacramento disponit ad justificationem Denz. Trid. 838.

5° *Circa confessionem* definitum est quod complecti debet peccata gravia post baptismum commissa, quæ manifestari debent integre, secundum speciem infimam et circumstantias speciem mutantes. Cf. Trid. 900, 917. Requiritur *integritas saltem formalis,* sed non semper materialis, scil. necessarium est confiteri omnia et singula peccata mortalia post baptismum commissa, quorum memoria, post diligens examen, habetur; « alia inclusa esse in confessione intelliguntur » Trid. 900 et 1111.

6° *Circa satisfactionem* definitum est quod satisfactio salutaris et conveniens imponenda est (Denz. Trid. 904, 925). Consistit in bonis operibus, quibus Deus vere colitur, quæque vim sacramentalem habent ex meritis Christi (904, 1535).

7° *Quoad effectus sacramenti,* sunt plures definitiones et declarationes. Hi effectus sunt: 1° remissio peccatorum post baptismum commissorum (896); 2° remissio pœnæ imprimis æternæ (806, 840); non vero semper totius pænæ temporalis (535); 3° reviviscentia gratiæ amissæ et meritorum mortificatorum (2193); 4ª liberatio a censuris 1144. Codex 2247.

8° *De ministro pœnitentiæ* definitum est quod est, non homo laïcus, sed solus sacerdos, qui debet habere jurisdictionem (902, 903, 921). Sigillum sacramentale stricte servandum esse, et nomen complicis minime exquirendum. (Cf. Codicem 888 sq.).

9° Denique *quoad subjectum* definitum est quod est homo baptizatus lapsus (807), qui præsens esse debet, non deneganda est pænitentibus etiam relapsis et recidivis; sed consuetudinariis et occasionariis *indispositis* est neganda vel differenda quia nullo modo apparet quod sint vere attriti (cf. Denz. 1210 sq.; 1538).

Tandem confessio facienda est saltem semel in anno (cf. IV Concilium Lateranense 437 et Tridentinum 900, 918).

Item de Indulgentis plura declarata sunt, præsertim in Concilio Tridentino 989; scil. indulgentiæ non sunt piæ fraudes fidelium, sed *applicatio thesauri meritorum Christi et Sanctorum, vivis* per modum absolutionis, *defunctis* per modum suffragii, facta per Romanum Pontificem, præsertim tempore jubilæi, vel per episcopos pro suis subditis, ex causis rationalibus. Per ipsas delentur pœnæ temporales etiam pro peccatis occultis debitæ. Effectus pendet a recta dispositione, a statu gratiæ et ab impletione operis præscripti (cf. Codicem 925).

Quænam sunt sub aspectu dogmatico, principales quæstiones considerandæ?

Distinguenda est *pars dogmatica* et *pars practica* tractatus.

Doctrina practica de pænitentia respicit præsentim dispositiones subjecti seu officia pænitentis quoad attritionem, confessionem et satisfactionem et officia confessarii erga varias classes pænitentium ut sunt occasionarii, consuetudinarii, recidivi, necnon rationem agendi erga moribundos.

In parte dogmatica tractatus de Pænitentia, post quædam prænotanda de pænitentia ut virtute (q. 85 s. Th.), principales quæstiones sunt sequentes:

1° de existentia sacramenti Pænitentiæ, 2° de ejus essentia, quoad formam et materiam, 3° de actibus pænitentis: contritio, confessio, satisfactio, 4° de effectibus hujusce sacramenti.

PRÆNOTAMINA

DE VIRTUTE PÆNITENTIÆ

Cf. III^a, q. 85.

Recolligenda sunt principalia ex articulis S. Thomæ, simul ostendendo eorum fundamentum in sacra Scriptura. Virtus infusa pænitentiæ existebat in justis Veteris Testamenti antequam institueretur sacramentum pænitentiæ.

Sæpe in Sacra Scriptura commendatur pænitentia; præsertim prædicatio S. Joannis Baptistæ est prædicatio pænitentiæ [1], et post ipsum Jesus ait, Marc., I., 15: « Impletum est tempus et appropinquavit regnum Dei, pænitemini et credite evangelio » - Sæpius Christus locutus est de pænitentia, v. g. « Non veni vocare justos sed peccatores ad pænitentiam » Luc., V, 32. - « Si pænitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis » Luc., XIII, 5. - « Væ tibi Corozaïn, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pæniterent » Luc. X, 13.

ART. I. — PÆNITENTIA EST VIRTUS

Ex prædictis textibus constat, ut dicit S. Thomas, q. 85, a. 1, quod pænitentia est virtus vel actus ejus, non est passio, importat enim in suo actu dolorem voluntatis de peccato commisso et rectam electionem emendationis. Est igitur habitus electivus secundum rectam rationem. Ut omnis virtus, cognoscitur ex suis actibus.

De actibus hujusce virtutis. Inductive constat quod sunt plures actus pænitentiæ, nam secundum Evangelium, homo vere pænitens propria peccata commissa detestatur, retractat, ad ea per satisfactionem expianda paratus est, et insuper quælibet peccata in futurum devitare proponit. Jam ex hoc apparet quod sunt tres præcipui actus pænitentiæ, scil. 1° *contritio cordis;* prius cor erat plus minusve obduratum in mala intentione, nunc frangitur hæc mala intentio quæ avertebat a Deo, cor attritum et contritum venit ad detestationem peccati et sese convertit ad Deum (metanoia est conversio ejus qui prius erat aversus); 2° secundus actus est *firmum* propositum pro futuro, et 3° tertius actus est *satisfactio* pro præterito.

1 Matth. III 2 « Pænitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum ». Pænitentia, metanoia, est conversio cordis, quod prius erat aversus a Deo.

Ut autem hi actus sint salutares, pænitentia debet respicere peccatum in ordine ad Deum et ex supernaturali gratia ac motivo illud retractare. Alioquin pænitentia esset solum quid ethice bonum sicut in ordine humano aliquis pænitet de malo quod dixit de suo amico. Ut pænitentia sit salutaris debet esse apta ad reconciliandam animam cum Deo auctore gratiæ et salutis, sic debet esse ex motivo supernaturali.

ART. II. — PÆNITENTIA EST VIRTUS SPECIALIS

Ut ostendit S. Thomas *pœnitentia est virtus specialis,* nam species habituum distinguuntur secundum species actuum; et ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Sic « *pœnitentia est virtus specialis quæ operatur ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa,* quod non pertinet ad rationem alterius virtutis ». Ad 3um « quælibet virtus specialis formaliter expellit habitum vitii oppositi (ut temperantia intemperantiam) sed pænitentia expellit omne peccatum effective, in quantum operatur ad destructionem peccati prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante ».

Sic pænitentia est virtus specialis, nam habet materiam generalem, sub ratione speciali, scil. omnia peccata, ut emundabilia per actus hominis. Agitur de virtute infusa quia respicit Deum auctorem gratiæ et salutis.

Hæc virtus non est theologica (art. 3 ad 1um) quia objectum ejus non est Deus, sed est peccatum destruendum ad Deum placandum; sic Deus est finis hujusce virtutis, non vero ejus objectum nec materiale nec formale.

Unde pænitentia est virtus moralis, cujus *objectum materiale* est peccatum, *objectum formale quod* est peccatum ut reparandum, offensa Dei expiabilis, seu ipsa reparatio, et *objectum formale quo* seu motivum est honestas hujus reparationis.

Ad intelligentiam hujusce reparationis, dicendum est quod importat detestationem propriorum peccatorum commissorum, ut clarius infra dicetur, et non solum ut contendit Lutherus et plerique Protestantes propositum novæ vitæ (cf. Billuart).

Ad 1um. — Quomodo pœnitentia distinguitur a caritate.

Difficultas est quia eadem virtute gaudemus de bonis et dolemus de malis perpetratis; atqui caritas gaudet de bono propter Deum facto ergo dolet de peccatis.

Respondetur ad 1um in fine: « Si in actu pænitentis consideratur sola *displicentia peccati* præteriti, hoc immediate *ad caritatem pertinet,* sicut et gaudere de bonis præteritis; sed *intentio operandi ad deletionem*

peccati præteriti requirit specialem virtutem sub caritate ». Et in justo actus pænitentiæ imperatur a caritate.

Objectio. Actus contritionis est præcipuus pænitentiæ actus. Atqui contritio est a caritate. Ergo pænitentia non est virtus distincta a caritate.

Responsio. Distinguo minorem. Actus contritionis est a caritate imperative, concedo; elicitive, nego. Nam contritio formaliter est, non solum displicentia peccati quæ remanet in Christo etiam glorioso, sed est de peccato proprio propter jus divinum læsum, ac reparabili per satisfactionem. Unde contritio importat propositum reparationis faciendæ.

Instantia: Sed contritio differt ab attritione, prout procedit a caritate, ergo remanet difficultas.

Responsio: Contritio differt ab attritione prout procedit imperative a caritate, seu ab amore efficaci Dei super omnia, concedo; prout procedit elicitive ab ea, nego.

Revera objectum pænitentiæ non est Deus, sed satisfactio determinanda secundum regulas prudentiæ christianæ. Sic pænitentia non est virtus theologica, sed est infra eas, ut religio.

Dubium. An virtus pænitentiæ specie distinguatur a religione.

Respondetur communiter *affirmative,* quia habent distincta objecta formalia, Religio enim respicit cultum debitum Deo tanquam excellenti Domino et benefactori. Pænitentia respicit id quod est reddendum Deo ut offenso. Sic, ut docet S. Thomas, religio fuit in Christo, non vero pænitentia, quia nunquam peccavit. Cajetanus autem vult reducere pænitentiam ad religionem.

Art. III. — AD QUAMNAM VIRTUTEM CARDINALEM ANNECTITUR PÆNITENTIA

Ut ostendit S. Thomas, q. 85, art. 3, annectitur *ad justitiam commutativam,* quia pænitentia est *ad alterum per reparationem pro peccato,* quæ *in justitia debetur Deo offenso.* Sed quia pænitentia, ut religio, non potest reddere Deo ad æqualitatem, est imperfecta justitia, quamvis sit perfectior quam justitia perfecta quæ reddit hominibus ad æqualitatem id quod eis debetur. Ita filius prodigus fecit actum justitiæ erga Patrem suum dicens ei, revertendo ad ipsum « Pater, peccavi in cælum et coram te. Jam non sum dignus vocari filius tuus ». Luc. XV, 19-21. Pænitentia venit infra religionem, quæ non præsupponit proprium peccatum, sic religio fuit in Christo non pænitentia. Sic pænitentia definitur: *virtus moralis inclinans ad reparandam injuriam Deo illatam per peccatum.*

Ad 4um: Actus pænitentiæ ad cæteras virtutes refertur prout supponit fidem de valore Passionis Domini, spem beatitudinis credentibus repromissæ, saltem tendit ad caritatem recuperandam aut in justo ab ea imperatur. Est etiam sub directione prudentiæ christianæ, sub influxu religionis et potest ipsa imperare actus fortitudinis, patientiæ vel temperantiæ in mortificationibus ordinatis ad reparationem peccati et ad tollendas peccati reliquias.

Ad 2um: Pænitentia ponit medium, in quantum infert debitam pænam proportionatam pro qualibet culpa, secundum acceptationem Dei. - Videbimus quod quamvis virtus pænitentiæ esset necessaria etiamsi non esset sacramentum, tamen pro hoc statu novæ legis non est virtus nisi includat votum sacramenti.

Art. IV. — QUODNAM EST PROPRIUM SUBJECTUM PÆNITENTIÆ?

Ut ostendit S. Thomas, art. 4, *est voluntas,* nam proprius ejus actus est voluntatis propositum emendandi; sed est redundantia in sensibilitate, quæ quandoque manifestatur lacrimis, minus tamen in iis qui sunt duri sensus, aut temperamenti hilaris.

Quodnam est subjectum remotum pænitentiæ? Est *quilibet homo peccati reus* aut *saltem peccati capax*; nam etiam ille qui non commisit peccatum sed potest committere, potest esse promptus ad dolendum de peccato, casu quo committat illud.

Proinde pænitentia quoad habitum fuit in Adamo innocenti, est in parvulis baptizatis, infunditur simul cum gratia, remanet in beatis, non solum quoad ornatum, sed etiam quoad actum, non quidem doloris, sed displicentiæ de peccato et gaudii de satisfactione olim peracta. Ita Billuart. Non fuit vero pænitentia in Christo impeccabili, nec probabilius in Beata Maria Virgine.

Art. V. — QUÆNAM EST RELATIO ACTUS PÆNITENTIÆ CUM TIMORE DEI

Quæstio est tum de timore servili seu pænæ, tum de timore filiali seu peccati, et timor filialis est donum Spiritus Sancti. Insuper agitur non de virtute infusa pænitentiæ quæ infunditur cum gratia habituali et caritate, sed de actu pænitentiæ.

S. Thomas respondet: actus pænitentiæ procedit *a timore servili sicut a principio remoto,* saltem communius, *et a timore filiali sicut a principio proximo.*

Hoc potest male intelligi, Contenson putavit ex hoc quod pro S. Thoma virtus infusa pænitentiæ non distinguitur a dono timoris. Hoc autem non verum est, quia in tota hac quæstione loquitur de pænitentia ut est virtus specialis, ut religio, et S. Thomas distinguit virtutes a donis, v. g. religionem a dono pietatis.

Insuper pænitentia et donum timoris distinguuntur secundum objectum formale, nam objectum timoris etiam filialis est Deus, ut potens infligere privationem sui, seu saltem est *peccatum imminens propter Dei reverentiam evitandum,* dum objectum pænitentiæ est *reparatio pro peccato commisso.* Sic actus doni timoris potest esse ante quodlibet peccatum, ut in Christo, non vero actus pænitentiæ.

Unde Thomistæ generaliter tenent quod S. Thomas in præsenti articulo, non vult dicere quod donum timoris sit principium elicitivum actus pænitentiæ. Sed vult dicere quod ut in pluribus peccatores moventur ad pænitentiam ex metu pænarum, tanquam a principio remoto; et *justus, ex hoc quod revereatur Deum ut Patrem et timeat ipsum offendere, movetur ut pro peccatis commissis ipsi offerat aliquam satisfactionem. Sic inspiratio doni timoris adjuvat* inter tentationes, *virtutem pœnitentiæ,* secundum illud: « Configе timore tuo, Domine, carnes meas », sicut inspiratio doni pietatis adjuvat, inter ariditates, virtutem religionis.

Imo *in ipso instanti justificationis* sunt, saltem virtualiter, plures actus enumerati in hoc art. 5, scil. sub influxu Dei convertentis cor peccatoris sunt *actus fidei* in Salvatorem, *actus timoris* pœnæ a Deo infligendæ, *actus spei* veniæ consequendæ, *actus caritatis* (initialis), seu displicentiæ peccati, prout displicet Deo summe dilecto, denique *actus timoris filialis,* quo propter reverentiam Dei aliquis satisfactionem Deo vult offerre. Et hic actus timoris filialis movet ad actum pænitentiæ, qui elicitur a virtute infusa pænitentiæ. Sic magnæ mortificationes sanctorum, quæ medium, prudentiæ superant, inspirantur a dono timoris.

Hoc explicaverat S. Thomas supra in Tractatu de gratia, I-II, q. 113, a. 8, ubi dicitur, in ipso instanti justificationis, secundum ordinem naturæ, *primum* est *gratiæ infusio, secundum* est motus liberi arbitrii *in Deum* (actus caritatis initialis); *tertium* vero est motus liberi arbitrii *in peccatum;* propter hoc enim ille, qui justificatur, detestatur peccatum, quia est contra Deum; *quartum* est; remissio culpæ. Hoc est secundum ordinem causæ efficientis et etiam causæ formalis.

Sed ut ibidem dicitur *ad* 1um ex parte hominis justificati, in hoc eodem instanti est e converso secundum ordinem causæ materialis, scil. prius est *liberatio a culpa* quam *consecutio gratiæ justificantis* quamvis ex parte agentis prior sit gratiæ infusio, quam culpæ remissio.

Causæ enim ad invicem sunt causæ sed in diverso genere, sic est mutua prioritas absque circulo vitioso. Ita S. Thomas nunc loquitur, art. 6 ad 2um.

Notandum est quod Concilium Tridentinum sess. 6, cap. 6 (Denz. 798) pariter enumeravit actus qui concurrunt ad justificationem adulti; scil. actus fidei, spei, caritatis (initialis), timoris filialis et pænitentiæ.

Licet hi actus non semper producantur explicite, saltem implicite habentur, ita ut nulla sit vera pænitentia quæ non procedat saltem virtualiter a fide, timore, spe, et Dei dilectione. Difficultates quæ fieri

possunt de timore servili discutientur infra agendo de attritione, ut est actus pænitentiæ antecedens infusionem virtutis pænitentiæ quæ datur simul cum caritate. Manifestum est quod in his omnibus articulis agitur de virtute infusa pænitentiæ ut clare dicitur initio corporis art. 5. Ratio est quia hæc virtus, de qua est sermo, respicit ut finem Deum non solum ut auctorem naturæ, sed ut auctorem gratiæ et salutis.

Attamen aliqua pænitentia de peccato potest ex naturæ viribus elici, et ex pluribus hujusmodi actibus potest generari habitus, sed hæc pænitentia acquisita non est ea de qua nos Christiani loquimur.

ART. VI. — UTRUM PÆNITENTIA SIT PRIMA VIRTUTUM

Respondet S. Thomas per plures conclusiones; principales sunt duæ priores.

1° — *Secundum ordinem naturæ simpliciter præcedunt ipsam virtutes theologicæ,* quia immediate respiciunt Deum.

2° — *Sed quantum ad aliquid pænitentia ordine temporis est prima inter cæteras virtutes,* quantum *ad ejus actum,* qui primo occurrit in justificatione impii.

Hic actus est contritio perfecta nam attritio, ut infra dicetur, Suppl., q. 1, art. 2 ad 2um et a. 3, non est actus virtutis pænitentiæ quæ nondum infunditur. Sic continentia non est actus virtutis castitatis.

3° — Etiam aliæ virtutes, ut prudentia, religio, humilitas, quæ fuerunt in Christo, sunt altiores quam pænitentia quæ non fuit in eo.

4° — *Virtus infusa pænitentiæ simul infunditur cum caritate in instanti justificationis,* et in justificatione adulti actus et habitus caritatis simul sunt tempore cum actu et habitu pænitentiæ. Ratio est quia virtutes sunt connexæ (I-II, q. 65, art. 1 et 3) et sic omnes simul incipiunt esse in anima.

5° — Secundum prioritatem temporis quidam actus laudabiles possunt præcedere actum pænitentiæ, scil. actus fidei et spei informium et actus timoris servilis. Legendus est hic pulcher articulus, difficile erat eum tam clare et exacte scribere (cf. ad 3um).

Billuart instituit digressionem historicam de pænitentia Salomonis: Utrum Salomon egerit pænitentiam. Respondet: Incertum est, inter Patres quidam negant ut Augustinus, alii affirmant, ut Hieronymus.

DE NECESSITATE PÆNITENTIÆ aliquid addendum est, ex q. 86, a. 2, per modum introductionis ad quæstionem de institutione sacramenti pænitentiæ, ut fecit Concilium Tridentinum sess. 14, c. 1: de necessitate et institutione sacramenti pænitentiæ. (Denz. 894).

Dicit ibi Concilium: « *Fuit quidem pœnitentia* universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore *ad gratiam*

et justitiam assequendam necessaria » illis etiam qui post baptismum peccatum mortale commiserunt.

Comuniter tenetur hunc actum pænitentiæ, supposito peccato mortali, necessarium esse tum necessitate medii, tum necessitate præcepti. (Cf. S. Th., q. 86, art. 2: Utrum sine pænitentia peccatum remitti possit?).

Necessitas medii constat ex *locis Sacræ Scripturæ,* ibidem a Concilio Tridentino citatis scil.: Ezech. XVIII, 30: « Convertimini et agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas ». Item Luc. XIII, 3: « Nisi pænitentiam egeretis, omnes similiter peribitis ». (cf. infra, p. 341 sq.).

Ratione theologica etiam constat hæc necessitas medii; nam sine pænitentia Deus peccata remittere nequit; Hoc esset contra diversa Dei attributa: 1° *justitia* enim prohibet ne offensa remittatur sine aliqua reparatione, saltem imperfecta; unde etiam si non fuisset Incarnatio ad peccatum adæquate reparandum, Deus postulasset saltem imperfectam reparationem, cujus homo capax est cum gratiæ auxilio, id est pænitentiam. 2° *Hoc esset contra efficaciam amoris Dei* erga nos, nam ut ostendit S. Thomas IIIª, q. 86, art. 2, Deus remittit offensam peccatori prout efficaciter *diligit eum,* et *hæc dilectio Dei* non præsupponit sed ponit *amabilitatem* in homine, et eum *gratum facit* per gratiam qua homo convertitur ad Deum, cum aversione a peccato et detestatione peccati. 3° *Contra Dei sapientiam* esset remittere offensam impænitenti. 4° *Contra Dei sanctitatem* esset sibi unire peccatorem pertinacem.

OBJICITUR: Major est misericordia Dei quam miseria hominis. Sed homo interdum remittit offensam homini etiam non pænitenti, secundum illud: « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. » Matth. V, 44. Ergo multo magis Deus dimittit offensam hominibus non pænitentibus.

Respondet profunde S. Thomas (q. 86, art. 2, ad 3um): « Misericordia Dei est majoris virtutis quam misericordia hominis in hoc quod *immutat voluntatem hominis ad pœnitendum,* quod misericordia hominis facere non potest ». Et ibidem in corp. art. S. Thomas dicit: « Potest contingere quod homo remittat offensam, qua offensus est, alicui, absque aliqua immutatione voluntatis ejus; *non autem contingere potest quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis ejus.* (Nam) requiritur ad remissionem divinæ offensæ quod *voluntas hominis* (a Deo aversa) *immutetur ut convertatur ad Deum* cum detestationem peccati et proposito emendandi; quod pertinet ad rationem pænitentiæ, secundum quod est virtus ». Hoc jam verum erat in Veteri Testamento ante institutionem sacramenti pænitentiæ. Et communiter admittitur a catholis contra protestantes. Cf. infra, p. 341.

CONTROVERSIA tamen est inter theologos catholicos de aliquo puncto secundario, scil. utrum ad peccati remissionem requiratur *for-*

malis actus pænitentiæ an sufficiat *virtualis,* qualis continetur in actu caritatis seu dilectionis efficacis Dei super omnia.

Scotistæ tenent *virtualem* actum pænitentiæ sufficere. *Multi thomistæ* dicunt requiri actum formalem pænitentiæ, saltem per se loquendo. Billuart videtur recte concludere dicendo: *Per se* requiritur formalis actus pænitentiæ; sed per *accidens* sufficit actus virtualis contentus in actu caritatis, quando scil. aliquis, ex oblivione, de peccatis suis non cogitat.

Denique *necessitas præcepti* pænitentiæ apparet ex ipsis primis verbis Domini, secundum Matth. IV, 17: « Cœpit Jesus prædicare et dicere: Pænitentiam agite ». Insuper pænitentia est specialis virtus, ergo sub præcepto cadit; item quisque tenetur, vi justitiæ, reparare injuriam alteri illatam; et tandem cuique præcipitur, vi caritatis erga seipsum, suam salutem per pænitentiam curare. Unde *incuria salutis* est via quæ perducit ad damnationem. Unde communiter dicunt prædicatores præsertim tempore Quadragesimæ: Pænitentia quæ ad mortem differtur est rarissima et difficilissima, propter longam resistentiam gratiæ sufficienti.

Complementum: *De errore protestantium circa virtutem et actum pænitentiæ.*

Secundum priores Protestantes, natura hominis nunc est essentialiter corrupta et mala, et justificatio impii fit per imputationem extrinsecam meritorum Christi, sine infusione gratiæ. Proinde, juxta eos, pænitentia nequit esse detestatio de peccato, quod semper et necessario committitur. Quid sit igitur pro illis? Pro Luthero pænitentia est « *mutatio mentis et consilii* » qua aliquis, agnito peccato, fidit in Deo. (Sermo de pœnit. 1518). Pro Calvino pænitentia est *vita nova* ex fiducia in Deum orta. (Institutiones L. III, c. 3, n. 4). Quidam moderni protestantes ut Bovon (Morale chrétienne, Lausanne, 1917, t. I, p. 224) concedunt pænitentiam amplecti confessionem delicti coram Deo cum vitæ emendatione, sed *nulla satisfactio Deo debetur,* quia jam abundantius satisfecit Christus.

E contrario Concilium Tridentinum (Denz. 897) definit: « *Contritio,* quæ primum locum inter dictos pænitentiæ actus habet, animi dolor ac *detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero* » scil. cum gratiæ Dei auxilio, quod non denegatur nisi propter obicem. Item Concilium Tridentinum (807) definit necessitatem *satisfactionis* ab ipso pænitente implendæ pro pœna temporali peccato debitæ, ut nobis fiat *applicatio satisfactionis Christi* et cooperemur ad nostram salutem, et non mere passive eam recipiamus, secundum illud Domini: « Pænitentiam agite », « Facite fructus dignos pænitentiæ ». Mt. III, 2, 8, IV, 17.

Ex his omnibus pertinentibus ad virtutem pænitentiæ et ad actus ejus, qui necessarii fuerunt ante institutionem sacramenti, paratur

via ad intelligentiam hujusce institutionis. Jamquidem S. Thomas ostendit convenientiam hujus sacramenti IIIª, q. 65, a. 1. Utrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiæ: « Sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad duo, scil. *ad perficiendum hominem in his quæ pertinent ad cultum Dei* secundum religionem Christianæ vitæ, et etiam in *remedium contra defectum peccati* ».

Sic habetur spiritualis regeneratio per baptismum, augmentum et robur per confirmationem, nutritio per Eucharistiam. « Sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem et spiritualem scil. *peccatum*, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate, quæ quidem est duplex. Una quidem sanatio, quæ sanitatem restituit, et loco ejus in spirituali vita et *pœnitentia*. Alia est ad removendas peccati reliquas, scil. Extrema unctio ».

In ordine vero ad totam communitatem habetur Ordo et Matrimonium.

Et sicut fuit matrimonium ante sacramentum matrimonii, ita fuit pænitentia ante sacramentum pænitentiæ. Sed sicut valde convenit sacramentum matrimonii ad conferendam gratiam pro actibus matrimonii christiane implendis, ita sacramentum pænitentiæ ad conferendam gratiam pænitentiæ ut homo ex attrito fiat contritus. Brevius *ad deletionem peccati mortalis requiritur infusio gratiæ*, et maxime conveniens est quod existat *signum practicum* hujus *infusionis*, valide suscipiendæ, cum debita conditione attritionis. Cf. IIIª, q. 65, a. 1, 2, 3, 4. - IIIª, q. 84, a. 5 utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis; art. 6, utrum sit secunda tabula post naufragium; art. 7 alioquin homo dubitaret an esset non solum attritus, sed contritus, et cum Deo reconciliatus. E contra, dicendum est protestantibus, magna fiducia habetur si peccator audiat sacerdotem in nomini Christi dicentem « *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis* », et si credat hæc absolutionis verba producere id quod significant, scil. gratiam contritionis qua homo attritus fiat contritus.

CAPUT I

DE EXISTENTIA SACRAMENTI PÆNITENTIÆ

Art. I. De ipsa potestate clavium. Art. II. De existentia hujusce sacramenti. Art. III. De ejus ministro.

ART. I. — DE IPSA POTESTATE CLAVIUM ECCLESIÆ A CHRISTO CONCESSA

Cf. S. Thomam, IIIª q. 84, a. 7, et Suppl., q. 17-20.

1° Status quæstionis: *Quid intelligitur per potestatem clavium?*

Intelligitur potestas aperiendi et claudendi regnum cœlorum. Ut explicatur in Suppl., q. 17, a. 1, clausio enim cælorum duplex est, quoad totam naturam per peccatum originale et quoad personam per peccatum actuale (cf. IIIª, q. 49, a. 5, c.; q. 52, a. 5). Ipse autem Christus habuit certo claves regni cælorum, scil. potestatem aperiendi et claudendi regnum cælorum; et ut dicit S. Thomas IIIª, q. 49, a. 5, *Christus sua passione aperuit nobis januam cœli, sufficienter pro omnibus, efficaciter pro his quibus applicatur Passio,* v. g. per baptismum et alia sacramenta. Pro adultis autem cælum aperitur aut clauditur, juxta eorum dignitatem vel indignitatem, et sic clavis dicitur potestas ligandi (seu claudendi) et solvendi (seu aperiendi) cf. Suppl., q. 17, a. 2. Sic Christus aperuit regnum cælorum bono latroni, non alteri. Quæstio est igitur an Christus, qui certo *claves regni cœlorum* habuerit, dederit eas Ecclesiæ, et quomodo.

Hæc potestas clavium, si sumitur in sua plenitudine, significat igitur potestatem a Christo concessam ad regendos fideles in ordine ad vitam æternam. Et est *triplex:*

1° *potestas ferendi leges*, 2° *potestas judicandi* ad normam legum, 3° *potestas exsequendi* judicia per coactionem seu coercitionem.

Ita in rebus humanis distinguitur triplex potestas: legislativa, judiciaria, et exsecutiva.

Denique potestas judicandi exerceri potest tum in *foro externo* seu directe ad utilitatem *societatis* fidelium, tum *in foro interno,* seu directe ad utilitatem *singulorum* fidelium, et hæc ultima est proprie potestas remittendi et retinendi peccata.

Potestas clavium { leges ferendi
judicandi secundum leges
in foro et interno et externo
exequendi per coercitionem.

2° Quinam negaverunt hanc potestatem clavium Ecclesiæ a Christo concessam fuisse?

Omnes qui negant hierarchiam Ecclesiæ a Christo institutam esse. Ita olim aliqualiter saltem *Montanistæ,* qui saltem restringebant hanc potestatem ad certa peccata, dicendo alia graviora non ab Ecclesia sed solum a Deo remitti posse in altera vita, ita quodammodo Tertullianus. Item *Novatiani* volebant « lapsos » tempore persecutionis, excludi *pro semper* ab omni communione ecclesiastica, nec veniam sperare posse *nisi a Deo* post mortem. Ita adhuc loquuntur plures hodierni acatholici, dicentes potestatem, si qua fuerit Ecclesiæ concessa, ad peccata *pauca,* et leviora omnino restringi.

Waldenses et præsertim *Protestantes,* secundum eorum placita de justificatione per solam fidem seu fiduciam, contenderunt Ecclesiam non habere potestatim judicandi nec ligandi ac solvendi, sed solum potestatem *declarandi* peccata fuisse remissa per fidem fiducialem, ita Lutherus. - Juxta Calvinum; pænitentia non vere a baptismo vel baptismi memoria distinguitur, qua renovatur peccati displicentia, novæque vitæ propositum. *Anglicani* admittunt utilitatem potestatis clavium, non vero ejus necessitatem. *Ritualistæ* agnoscunt Pænitentiam esse unum e minoribus sacramentis.

Plures acatholici hodierni dicunt: initio spirituales seu charismatici omnia regebant in Ecclesia, et si opus erat, nomine Dei sub impulsu Spiritus Sancti, non remittebant sed declarabant peccata esse a Deo remissa. Postea vero, crescente numero peccatorum, et crescente auctoritate episcoporum, paulatim episcopi disciplinam ecclesiasticam instituerunt, qua peccata a solis sacerdotibus absolverentur.

3° Quid definitum est ab Ecclesia circa potestatem remittendi et retinendi peccata.

In concilium Tridentinum quatuor principalia de hac re definiuntur, scil.:

1° *Pænitentiam esse vere et proprie sacramentum a Christo institutum, a baptismo distinctum.*

Denz. 911. — « Si quis dixerit, in catholica Ecclesia pænitentiam non esse *vere et proprie sacramentum* pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: anathema sit ».

Denz. 912. — « Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum pænitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo pænitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: A. S. ».

2° *Verba Domini apud. Jo. XX, 22, esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata:*

Denz. 913. — « Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: « Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt » (Jo. XX, 22) non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento pænitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem *prædicandi* Evangelium: A. S. » (cf. caput correlativum n. 894).

3° *Hæc potestas clavium se extendit ad omnia peccata.*

Denz. 911. — « Si quis dixerit in catholica Ecclesia pænitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, *quoties* post Baptismum *in peccatum labuntur,* ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, A. S. ».

4° Haec potestas exercetur per actum judicialem.

Denz. 919. — « Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse *actum judicialem,* sed nudum ministerium pronuntiandi et *declarandi,* remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut (etiamsi) sacerdos non serio sed joco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem pænitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit, A. S. ».

Hoc autem sic explicatur in capite correlativo. Denz. 899: « Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cælos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit (Mt. XVI, 19, XVIII, 18; Jo. XX, 23) tanquam præsides et *judices,* ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sentenntiam pronuntient. Constat enim, *sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non posse...* Ex his colligitur, oportere a pænitentibus *omnia peccata mortalia* quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri » (cf. 902).

Concilium igitur docet potestatem remittendi et retinendi peccata actu judiciali fuisse collatam Apostolis eorumque successoribus et nullum peccatum esse irremissibile.

Inquirendum est an hoc dogma inveniatur saltem implicite in deposito Revelationis scil. in Sacra Scriptura et Traditione.

Jam certum est secundum fidem ex ipso Concilio Tridentino quod in eo continetur. Videamus an hoc etiam constet secundum regulas theologiæ positivæ, quæ utitur historiâ, sed altior est quam historia nam procedit non solum secundum methodum hermeneuticæ rationalis, sed hermeneuticæ christianæ et catholicæ quæ considerat Scripturam non

solum ut librum historicum, sed ut librum inspiratum et Ecclesiæ traditum secundum Traditionem interpretandum.

Quid de potestate clavium doceat Sacra Scriptura.

Progressive procedendum est exponendo testimonium Christi secundum ordinem chronologicum.

1ª — In primis notandum est quod *Christus,* dum in terris viveret exercuit potestatem remittendi peccata, v. g. paralytico, mulieri adulteræ et Magdalenæ. Insuper certum est quod *contulit Apostolis omnem potestatem necessariam et convenientem ad salutem animarum promovendam.* Improbabile est autem ab hac generali delegatione exceptam fuisse potestatem remittendi peccata, quæ maxime obstant saluti.

2° — De facto secundum Sacram Scripturam, *Christus prius promisit Petro claves regni cælorum* cf. Matth. XVI, 18-19: « Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram *ædificabo* ecclesiam meam, et tibi *dabo* claves regni cælorum, *et quodcumque ligaveris* super terram erit ligatum et in cælis, et *quodcumque solveris* super terram erit solutum et in cælis ». Sic Christus nondum dat sed promittit soli Petro et successoribus ejus *claves regni cælorum,* seu supremam auctoritatem in Ecclesia, scil. primatum jurisdictionis ita ut omnia facere possit quæ requiruntur ad salutem animarum promovendam in Ecclesia, sive universe, sive in singulis fidelibus spectata.

Et simul Christus explicat sensum metaphoræ clavium per verba « quodcumque ligaveris etc, et quodcumque solveris etc. ». Principale autem obstaculum ad salutem est peccatum, quod satis jam clare designatur per verbum *solvere,* scil. vinculum peccati [1].

3° — *Aliis Apostolis Christus promisit aliquid simile,* cum subordinatione tamen supremæ auctoritati vicarii sui, cf. Matth. XVIII, 18: « Amen dico vobis, quæcumque *alligaveritis* super terram erunt ligata et in cælo, et quæcumque *solveritis* super terram erunt soluta et in cælo ». In hoc textu non amplius agitur de suprema auctoritate in Ecclesia, sed sub ea proprie adhuc est sermo de potestate clavium; sunt enim eadem verba « alligaveritis » « solveritis ».

Hæc potestas manifeste ordinatur ad finem vitæ Ecclesiæ obtinendum, scil. ad salutem animarum, cujus præcipuum obstaculum est peccatum, quo animæ a Deo avertuntur. Ergo Apostolis, sub Petro, inter alia munia, promissa est *potestas solvendi vincula* quæ salutem seu ingressum in regnum cælorum impediunt, præsertim peccata.

Imo in hoc utroque textu agitur de potestate in ipsam Ecclesiam exercenda, non autem in eos qui foris sunt: « Ædificabo Ecclesiam et

1 Cf. Eccli. III, 17: « Sicut glacies *solventur peccata tua* ». Ibid. XXVIII, 2: « Relinque proximo tuo nocenti te: et tunc, deprecanti tibi, *peccata solventur* ». — II Mac. XII, 46: « Sancta... salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a *peccatis solvantur* » seu a reatu pœnæ, qui ex peccato sequitur.

tibi dabo claves ». Unde hæc potestas non improbabiliter distinguitur a potestate baptizandi, quæ exercetur in eos qui foris sunt, ut in Ecclesiam introducantur. De fidelibus peccatoribus qui nolunt Ecclesiam audire dicitur Matth. XVIII, 17, statim ante promissionem factam Apostolis: « Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ».

4° — *Deinde, scil. post resurrectionem, Christus contulit Apostolis hanc potestatem quam prius promiserat.* Cf. Jo, XX, 21-23, est textus citatus a Concilio Tridentino, sess. XIV, can. 3, Denz. 913 et 894. « Dixit ergo eis iterum (Christus redivivus): Pax vobis. Sicut misit me Pater et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit: et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* ».

Hæc verba non sunt solum promissio sed communicant actualiter Apostolis potestatem clavium, quæ nunc adhuc clarius exprimitur ut potestas *remittendi peccata,* quæ impediunt ingressum in regnum cælorum.

Potestas hic concessa non est solum potestas *declarandi* peccata esse remissa, ut volunt Protestantes, sed *vere remittendi peccata. Hoc tripliciter* constat: 1° Verbum *remiseritis* (ἀφῆτε) est activum et talem remissionem significat, quæ fiat per actionem positivam, et efficacem, sine qua peccatum non remitteretur, nam dicitur statim postea « quorum, retinueritis (κρατῆτε) retenta sunt »; non agitur ergo de simplici declaratione remissionis jam factæ [1].

2° — Protestantes concedunt quod in hoc textu, verba « *remittuntur* eis » significant *vere remittuntur,* item verba « retenta sunt » scil. vere retenta sunt. Ergo pariter, vi parallelismi, priora verba « remiseritis et retinueritis » significant vere remiseritis, vere retinueritis, scil. plus quam simplicem declarationem remissionis jam adimpletæ.

3° — Christus statim antea dixit: « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* », scil. *sicut me misit Pater* ad remissionem peccatorum et non solum ad declarationem hujusce remissionis jam factæ, *et ego mitto vos* ad veram remissionem peccatorum, quæ salutem impediunt et claudunt januam regni cælorum. Venerat enim Christus in mundum ut peccatum destrueret (Matth. IX, 2-8, Luc. V, 20, VII, 47, Apoc. 1, 5) [2].

1 Sic Christus dixit paralytico: « Remittuntur tibi peccata tua » Mt. IX, 23; et mulieri peccatrici: « Remittuntur ei peccata multa » Luc. VII, 47. — « Dimitte ἀφὲς nobis debita nostra sicut et nos dimittimus (αφῆκαμεν) debitoribus nostris ».

2 Christus aperte affirmavit curando paralyticum (Luc. V, 20) se vere habere potestatem remittendi peccata, Deo propriam. Nam ut ibidem dicitur dum pharisæi dixerunt: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Respondit Jesus: « Ut autem sciatis quia *Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata,* ait paralytico: Tibi dico surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat et abiit in domum suam, magnificans Deum ».

Nec solum agitur de remissione *pœnæ*, nam Christus dicit « quorum remiseritis peccata » ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας ; his verbis antea usus erat ad significandam remissionem peccatorum quoad culpam. (Mc. II, 17, Mt. XVIII, 11, Luc. XIX, 10. cf. Rom. V, 10, 18, 19) [1].

Deinde in hoc textu *hæc potestas se extendit ad omnia peccata*, nam nulla limitatio apponitur « quorum remiseritis peccata, remittuntur eis »; sicut in promissione dictum fuerat: « *quæcumque* solveritis super terram, erunt soluta et in cælis ».

Denique hæc potestas exerceri debet *actu judiciali*, quia est *duplex potestas*, scil. tam peccata *remittendi* quam *retinendi;* judicandum est igitur secundum dispositiones pænitentis, an ejus peccata sint remittenda aut retinenda. Sic solum exerceri potest aut potestas ligandi, aut potestas solvendi. Nec potest dici hæc verba intelligenda esse de peccatis per baptismum remittendis quia alibi Christus contulit Apostolis potestatem baptizandi Mt. XXVIII, 19. Insuper tunc sola peccata præcedentia baptismum essent remissibilia.

Confirmatur. ex ratione agendi Apostolorum. Videmus enim Apostolos exercuisse potestatem ligandi seu pænas imponendi ad correptionem et emendationem peccatorum, v. g. in casu incestuosi Corinthii, cf. I Cor. V, 3-5, et in casibus similibus de quibus agitur in II Thess. III, 14-15, Tit. III, 10.

Si autem Apostoli exercuerunt potestatem *ligandi* seu pænas medicinales imponendi, ita etiam potestatem solvendi, nam ut dicitur pro incestuoso Corinthii « Spiritus (ejus) salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi », I Cor. V, 5.

Unde Concilium Tridentinum (Denz. 894) potuit definire: « Dominus sacramentum pænitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: « Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt ». Jo. XX, 22. seq. Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit ».

Item *in decreto « Lamentabili »* damnatæ sunt hæ modernistarum propositiones, 46ª (Denz. 2046). « Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiæ reconciliato sed Ecclesia nonnisi admodum lente hujusmodi conceptui assuevit. Immo

[1] Hæc expressio *remissio peccati* significat non solum quod Deus condonat offensam, sed ipsam *peccati maculam tollit* per infusionem gratiæ. Nam aliunde revelatum est quod non datur, *in præsenti ordine medium inter statum peccati et statum gratiæ*. « De plenitudine ejus omnes nos accepimus et gratiam pro gratia » Jo. I, 16. — « Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi » Eph. IV, 7. — « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis » Rom. V, 5.

etiam postquam pænitentia tanquam Ecclesiæ institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum ». Item damnata est propositio 47 (Denz. 2047): « Verba Domini: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt ». Jo. XX, 23, minime referuntur ad sacramentum pænitentiæ, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit ».

In hoc igitur modernistæ fuerunt hæretici, scil. loquendo contra canonem 3 Trid. de sacramento Pænitentiæ. Olim damnata est hæc propositio Abælardi: « Potestas ligandi et solvendi Apostolis tantum data est, non successoribus ». Denz. 379.

Principalis objectio facta a Montanistis et a Novatianis est ea quæ sumitur ex hoc loco. Mt. XII, 31: « Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur ». Ergo, ut aiunt, non omnia peccata sunt remissibilia.

S. Thomas examinavit hanc objectionem agendo de peccato contra Spiritum Sanctum II-II, q. 14, a. 3 fine. Respondet: « Peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile sec. suam naturam, in quantum excludit ea per quæ fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non præcluditur via remittendi et sanandi omnipotentiæ et misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur ».

Est sicut morbus qui dicitur de se incurabilis prout v. g. inducit fastidium cibi et medicinæ, licet talem morbum Deus possit curare.

Unde peccatum contra Spiritum Sanctum, ut impugnatio veritatis agnitæ, ut fuit in pharisæis, dicitur irremissibile non quia nunquam dimittitur nec dimitti potest, sed quia *ex se* nullam excusationem habet, et quia *manente voluntate* sic obstinata contra veritatem et gratiam, nulla datur via ad remissionem obtinendam.

Eodem modo solvuntur similes objectiones dessumptæ ex Ep. ad Hebr. VI, 4-6, X, 26-27, I Jo. V, 16, ubi agitur de peccatis quæ difficillime remittuntur, quia sunt velut directe contra gratiam remissionis. (Cf. Billuart).

De Sacramento pœnitentiæ secundum Traditionem.

De hac re recenter scripserunt P. Galtier s. j. *de Pœnitentia* (Tractatus dogmatico-historicus, Paris, Beauchesne, 1923) et ejusdem auctoris art. *Pénitence, Dictionnaire Apologétique*. Item A. D'Alès, « *De sacramento Pœnitentiæ*, 1926, nec non « *La Théologie de Tertullien* », « *L'édit de Calliste* », « *Novatien* ». - Cf. etiam Rouet de Journel, « *Enchiridion patristicum* », Index theol. p. 867. Tixeront, « *Le sacrement de la pénitence dans l'antiquité chrétienne* », Paris, Bloud, 1914 et *Histoire des dogmes*. - Vacandard, « *La confession sacramentelle dans la primitive Eglise* », Paris, Bloud, 1903 et *Dict. de Théol. cath.* art. *Confession*

et *Absolution, Pénitence.* - Rauschen, « *L'Eucharistie et la Pénitence durant les six premiers siècles* », 1910.

Status et difficultas quæstionis. Hæc quæstio, cum pertineat proprie ad historiam dogmatum seu ad Theologiam positivam, non potest hic exponi nisi quoad capitalia nunc considerata ut certa.

Difficultas est triplex: 1° An Ecclesia *semper* sibi *attribuerit* hanc potestatem remittendi peccata? — 2° An semper hac potestate *usa fuerit* et circa *omnia* peccata etiam graviora. — 3° An haec potestas etiam in primis sæculis *actu judiciali* (et non solum declarativo) exercita fuerit, cum confessione peccatorum sine qua non potest esse.

Ex recentioribus laboribus, quibus corroboratæ sunt positiones theologiæ positivæ S. R. Bellarmini et aliorum, habentur sequentes conclusiones.

* * *

1° Ex testimoniis finis sæculi primi et Patrum secundi sæculi satis clare apparet Ecclesiam habere *potestatem imponendi pænitentiam* et *peccatores coram Deo reconciliandi remittendo omnia peccata.*

Hoc in quibusdam textibus dixerunt Patres Apostolici, contra quosdam rigoristas, docendo peccata post baptismum commissa per pænitentiam deleri posse. — In *Didaché* seu Doctrina Duodecim Apostolorum 90-100 (R. de Journel, n. 3) legitur: « In eccelsia confiteberis peccata tua, neque accedes ad orationem tuam in conscientia mala ». — Ibid. (Journel, n. 8): « Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam peccata vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum ». In his textibus confessio peccatorum seu exomologesis exhibetur ut medium quo peccata tolluntur.

Item Epistola Barnabæ, 96-8 (Journel, n. 37): « Non facies dissidium, sed pacem conciliabis contendentes associans. Confiteberis peccata tua. Non accedes ad orationem in conscientia mala ».

Ita *S. Ignatius* martyr ad Philadelphios n. 3, ante an. 107, Journel n. 59 scribit: « Omnibus pænitentibus remittit Deus, si se convertant ad unionem cum Deo et ad communionem cum episcopo ».

Ita *S. Polycarpus* Ep. ad Philippenses, an. 107 (Journel, n. 73): « Presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos,... non severi nimium in judicio, scientes nos omnes debitores esse peccati ». Ex hoc apparet jam quod minister sacramenti pænitentiæ est sacerdos.

Item *Hermas* in suo libro *Pastoris,* 140-155 (Journel, n. 90): « Quotquot ex toto corde suo, pænitentiam egerint et se purificaverint ab iniquitatibus suis prædictis neque amplius quidquam adjecerint peccatis suis, remedium peccatorum priorum a Domino accipient, si non

dubitaverint de mandatis istis, et vivent Deo ». Sic Hermas agnoscit post baptismus pænitentiam esse qua omnia peccata, etiam apostasia et adulterium, remittuntur, hanc autem pænitentiam fieri duce et auspice Ecclesia, et per eam vitam haberi. In quibusdam tamen textibus Hermas videtur dicere quod hæc pænitentia semel tantum in vita concedebatur (cf. Journel, n. 87), sed etiam in his textibus videtur loqui solum de difficultate conversionis post primam pænitentiam, nam dicit ibid.: « sin autem subinde peccat et pænitentiam agit, non prodest homini ejusmodi; difficile enim vivet ».

Unde ex his testimoniis finis sæculi primi et sæculi secundi satis apparet quod Ecclesia jam sibi attribuebat potestatem remittendi *peccata omnia,* et sic reconciliandi peccatores cum Deo; imo jam apparet quod hæc potestas exercebatur *actu judiciali,* præsertim ex hoc quod S. Polycarpus paulo post annum 107 dicit: « Presbyteri sint ad commiserationem proni... etc. ».

2° Ex testimoniis Patrum sæculi tertii, hoc clarius apparet. Præsertim citatur *Tertullianus,* tractatus *De pœnitentia,* quem adhuc catholicus composuit (an. 202-206), commendat secundam pœnitentiam, et eam expresse dicit constare tum *confessione* qua determinatur satisfactio (unde per modum judicii) tum *satisfactione* quæ tunc valde rigorosa erat. Confessio autem peccatorum supponit dolorem, detestationem de illis et propositum emendationis. Pariter in hoc libro Tertullianus longanimem indulgentiam ostendit erga quoslibet pænitentes (cf. A. d'Alès, *La théologie de Tertullien,* p. 345 et Journel, n. 312, 313, 314 initio).

Postea vero Tertullianus jam factus Montanista scripsit tractatus *de Pudicitia* (an. 217-222) in quo quædam peccata dicit esse *irremissibilia;* sed simul agnoscit, cum Montanistis, Ecclesiam habere potestatem remittendi omnia peccata, hujus tamen potestatis exercitium non expedire. Nunquam vero in Ecclesia universali invaluit usus denegandi absolutionem pro peccatis capitalibus, unde in hoc Tertullianus traditionem ecclesiasticam pervertebat.

S. Callistus I (217-222) cf. Denz. 43, contra Tertullianum declarat « Ego et mæchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto ». (Cf. d'Alès, l'*Edit de Calliste,* 1914, p. 137-171).

Confirmatur: *Origenes, De Oratione* n. 28 P. G. t. IX, 527, clare agnoscit episcopis et sacerdotibus inesse potestatem dimittendi peccata etiam graviora, et quidem coram Deo; sed exercitium hujus potestatis videtur limitare quoad graviora iterum commissa post primam pœnitentiam, scribit enim in Levitic. XV, 2 (Journel, n. 497): « In gravioribus criminibus semel tantum pœnitentiæ conceditur locus; ista vero communia, quæ frequenter incurrimus, semper pænitentiam recipiunt, et sine intermissione redimuntur ».

Alia confirmatio habetur ex *liturgicis libris* hujus temporis, ex quibus constat potestatem dimittendi peccata episcopis in ipsa ordinatione fuisse concessam (cf. Dom Cabrol, *Monumenta Ecclesiæ liturgica* I, p. XXXI).

Item confirmatur ex damnatione Novatianorum cf. Denz. 55, 88, 94, 97, scil. declaratur quod etiam lapsi in apostasiam tempore persecutionis Decianæ absolvi possunt. Cf. Concilium Carthaginense an. 251.

Hoc clarius apparet postea apud *S. Ambrosium,* in lib. *de Pœnitentia* ubi probat Christum contulisse Ecclesiæ potestatem dimittendi omnia peccata et quidem coram Deo; nulla autem peccata esse irremissibilia (Journel 1292-1300). Item S. Pacianus, Epist. I et III, Journel, 1244).

Denique multi alii Patres sæculi quarti hanc absolvendi potestatem tanquam veritatem inconcussam tradunt, ut *S. Chrysostomus, S. Gregorius Naz., S. Ephrem, S. Hilarius.* Et protestantes agnoscunt quod jam a sæculo quinto potestas clavium ab Ecclesia exercita fuerit.

Cf. *S. Chrysostomus* de Sacerdotio, L. III, c. 5 (Journel, 1119): « Sacerdotes... ad ea quæ in cælis sunt dispensanda commissi sunt, potestatem acceperunt quam neque angelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: Quæcumque ligaveritis in terra erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis in terra erunt soluta.... Servorum sententiam ipse Dominus *ratam facit* ».

S. Hieronymus, Ep. 14, c. 8 (Journel, 1345): Sacerdotes « claves regni cælorum habentes quodammodo ante diem judicii *judicant* ».

S. Augustinus, Sermo 351, 4, 9 (Journel, 1530): « Nec eos audiamus qui negant Ecclesiam Dei *omnia peccata posse dimittere.* Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt, et nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cælorum, ipsi eas de manibus amiserunt ».

Conclusio: Ex factis et testimoniis allatis historice constat contra Protestantes, Ecclesiam per priora sæcula non solum in foro ecclesiastico *reconciliasse peccatores,* sed *coram Deo (cum infusione gratiæ).* Hoc explicite affirmatur in textibus Patrum quarti et tertii sæculi.

Insuper hoc implicite constat ex modo quo progressive nata est hæresis contraria: primum enim Tertullianus cum Montanistis negat solum opportunitatem exercendi prædictam potestatem; postea Novatiani eam coarctant ad peccata quæ non sunt ad mortem, denique Protestantes sæculi XVI primi sunt qui potestatem clavium penitus rejiciunt. Ideoque doctrina catholica non est nova, sed id quod novum est est negatio Protestantium, antiquis Patribus penitus ignota.

Sic sufficienter apparet quod potestas clavium ad remissionem omnium peccatorum post baptismum commissorum concessa est Ecclesiæ a Christo.

Restat quæstio de existentia ipsius sacramenti, ut sacramentum est.

ART. II. — DE EXISTENTIA ET DENOMINATIONE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ, UT SACRAMENTUM EST

1° An ritus quo in Ecclesia remittuntur peccata post baptismum commissa sit verum Novæ Legis sacramentum, a baptismo realiter distinctum.

Cf. S. Thomam III^a^, q. 84, art. 1 Gonet, Gotti, Billuart.

Responsio affirmativa est *de fide,* secundum Concilium Tridentinum 911, 912, contra priores protestantes, qui dicebant hunc ritum non esse sacramentum sed baptismi memoriam.

Explicatur autem hæc doctrina fidei, prout in hoc ritu invenitur quidquid requiritur ad sacramentum proprie dictum.

Revera nihil deest huic ritui ut sit sacramentum, ut ostendit S. Thomas III^a^, q. 84, art. 1. Etenim sacramentum novæ legis est *signum sensibile a Christo institutum ad productionem gratiæ.*

Atqui potestas clavium Ecclesiæ tradita debet *sensibiliter exerceri,* ut exigit natura hominum, *per externam judicis sententiam* remissivam peccati, quæ supponit confessionem peccatorum. Quod autem hoc fuit a Christo institutum constat, ut dicit Concilium Tridentinum, ex verbis Domini ad Apostolos supra explicatis (Jo. XX, 21).

Insuper peccata mortalia remitti nequeunt sine *infusione gratiæ* ut exponitur in tractatu de Gratia, c. de Justificatione. Pænitens denique non posset scire se esse solutum, si sacerdos id exterius non *significaret;* sicut judex non posset ferre sententiam nisi pænitens accusaret sua peccata.

Ergo nihil deest absolutioni peccatorum ut sit sacramentum.

* * *

Constat etiam quod est sacramentum a baptismo distinctum.

Nam ritus, minister, subjectum et significatio manifeste sunt diversa. Etenim in baptismo, *ritus* non habet formam judicii; *minister* baptismi non est judex, imo potest esse quilibet de populo, etiam infidelis; *subjectum* baptismi nondum ad Ecclesiam pertinet; baptismus *significat* et producit gratiam regenerativam, non autem remissivam peccati post baptismum commissi.

1^a^ *Confirmatio*: Baptismus fit per ablutionem aquæ, non per verba absolutionis, et insuper semel tantum confertur, dum pænitentia pluries repeti potest et debet.

2^a^ *Confirmatio*: Ecclesia certo habet potestatem remittendi peccata fidelibus, ut supra ostensum est; si autem pænitentia non est vere sacramentum et sacramentum gratiæ productivum, hæc potestas vere deest in Ecclesia, cum fideles rursus baptizari non possint. Hæc inadmissibilis consequentia admittitur a protestantibus, qui simul duas theses negant, prout connectuntur.

Dubium: *An Patres etiam antiquiores admiserint Pœnitentiam esse sacramentum?*

Respondetur: Vox « sacramentum » de Pænitentia apud Augustinum sæpe legitur, cf. Galtier *de Pœnitentia,* n. 321, quamvis Pourrat « *La Théologie sacramentaire* », p. 239, 3, dicat quod S. Gregorius Magnus († 604) primus applicavit Pænitentiæ nomen *sacramenti,* sed hæc appellatio non fit generalis nisi tempore Sancti Petri Damiani, sæc. XI; in primis enim sæculis nondum erat præcise determinata definitio sacramenti. Erat res sine titulo præcise determinato.

Attamen certum est quod Patres etiam antiquiores agnoverunt *ritum pœnitentiæ esse productivum gratiæ* et a baptismo distinctum. Hoc apparet ex textibus Tertulliani supra citatis, *de Pœnitentia,* c. 8 et 9 (Journel, 325) ubi loquitur de peccatorum confessione (exomologesi) facienda præsbyteris, et de absolutione pænitentis. Item in suo Tractatu *de Pudicitia,* c. 2 et c. 18. Item Origenes *in Levit. hom. 2,* n. 4 (Journel, 493) et clara sunt testimonia S. Cypriani, S. Athanasii, S. Hilarii, S. Ambrosii, S. Chrysostomi et S. Augustini (Journel, 1295, 1864). Item loquitur S. Aphraates (Journel, 685). Hi Patres sæpe æquiparant Pænitentiam Baptismo, quoad remissionem peccatorum et infusionem gratiæ.

Ex his satis clare constat Ecclesiam considerasse sæculo III pænitentiam ut verum sacramentum novæ legis. Atqui consensus totius Ecclesiæ in re dogmatica tanti momenti est argumentum seu signum certum divinæ veritatis (trac. de locis theol.); ergo hoc erat in deposito fidei. Denique si talis innovatio facta fuisset initio sæculi III, non deessent signa novitatis in vivis controversiis hujusce temporis.

Antequam nomen *sacramentum pœnitentiæ* esset generaliter in usu, pænitentia variis nominibus vocabatur ut refert S. Hieronymus in Isaïam c. 13, et Trid. sess. 6, can. 29, sess. 14, c. 2; item S. Thomas III^{a}, 84, a. 6. Vocabatur enim *secunda post naufragium tabula,* respectu baptismi, qui habetur ut integra navis, prout remittit integre omnia peccata quoad culpam et pœnam. Vocabatur *manus impositio* a quadam exteriori cæremonia quæ olim observabatur et quæ nunc etiam aliquatenus observatur, dum sacerdos dando absolutionem manum extendit versus pœnitentem. Vocabatur *baptimus laboriosus,* propter dolorem et rigorem satisfactionis, *mysterium reconciliationis* propter remissionem peccatorum quam confert. Apud Græcos vocatur *exomologesis* id est latine *confessio* et *metanoia,* id est latine *Resipiscentia.*

Ex omnibus ritualibus novis et antiquis omnium ecclesiarum tam orientalium quam occidentalium, constat pænitentiam quæ in Ecclesia agitur esse verum sacramentum, etiamsi sub alio nomine designetur. Nec potest assignari primus qui hoc sacramentum in Ecclesia invexerit. Ipse Lutherus in l. de Civit. Babylonica et in Parvo Catechismo recenset pænitentiam inter sacramenta.

Confirmatur ex rationibus convenientiæ. Cf. S. Thomam III, 84, a. 1, 6, 7. Principalis ratio convenientiæ sumitur ex misericordia divina, scil.: Decebat divinam misericordiam instituere sacramentum in remedium non tantum peccati originalis, sed etiam peccati actualis post baptismum commissi; nam homo etiam regeneratus remanet multis tentationibus obnoxius et facile labitur.

Addenda est ratio *ex utilitate tribunalis pro foro interno.*

Christus enim concessit Ecclesiæ potestatem judicandi in foro externo; atqui ad salutem *immediatius* et *efficacius* utilis est potestas judicandi *in foro interno,* ut pænitens attritus audiat etiam sensibiliter hanc absolutionem gratiæ productivam. Hanc magnam consolationem animæ pœnitentis abstulerunt Protestantes, negando Pænitentiam esse sacramentum, ac si verba absolutionis essent solum *declarativa* conversionis jam factæ per fidem fiducialem, et non essent gratiæ sanctificantis productiva.

Codex Juris, can. 870, continet pulchram et brevem definitionem hujusce sacramenti: scil.: « In pænitentiæ sacramento, per judicialem absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideli rite disposito *remittuntur peccata* post baptismum commissa ».

Hæ rationes convenientiæ adhuc valde confirmantur agendo de necessitate hujus sacramenti.

2° De necessitate sacramenti pœnitentiæ.

Jam supra locuti sumus de necessitate pænitentiæ ut est actus virtutis, nunc agendo de necessitate hujus sacramenti, quæritur: estne necessarium necessitate medii (cf. S. Th. III^{a}, 84, a. 5).

Videtur quod non, quia sufficit ad salutem habere contritionem ex caritate. - Insuper hoc sacramentum non existebat in V. T. in quo tamen salus possibilis erat.

Responsio de fide enuntiatur in Trid. (Denz. 895) « *Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ lapsis post baptismum, ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptimus* ». Secundum hæc verba, agitur non solum de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate medii, præsertim propter comparationem cum Baptismo.

Sed paulo postea Conc. Trid. (Dens. 897) explicat quod agitur *de necessitate medii in voto saltem implicito si non in re:* « Reconciliatio (peccatoris cum Deo) ipsi contritioni, *sine sacramenti voto,* quod in illa includitur, non est adscribenda ».

Unde ipsum sacramentum Pænitentiæ est *medium in re vel in voto necessarium* pro fidelibus lapsis, sicut baptismus pro nondum regeneratis. Sufficit *votum implicitum,* dum aliquis elicit actum perfectæ contritionis, absque eo quod cogitet de confessione, sive ex inadvertentia, aut oblivione aut ex invincibili ignorantia.

Hoc confirmatur ex praxi Ecclesiæ, sec. quam post contritionem perfectam obligatur fidelis graviter lapsus ad se subjiciendum clavibus Ecclesiæ, sicut post baptismum flaminis (contritionem) manet obligatio suscipiendi baptismum aquæ.

Ratio theologica:

— Salus haberi nequit sine remissione peccatorum.

— Atqui peccata remitti non possunt nisi medio a Christo instituto, quod est sacramentum pænitentiæ.

— Ergo.

S. Thomas dicit IIIª, 84, a. 5 c. (Pro fidelibus post baptismum lapsis) « necessarium est ad salutem quod peccatum removeatur ab eis, quod quidem non potest fieri sine pænitentiæ sacramento, in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem sacerdotis, cum opere pænitentis, qui cooperatur gratiæ ad destructionem peccati ».

Confirmatur: Alia sacramenta, ut Eucharistia, quamvis per accidens remittant peccata post baptismum commissa, ad id tamen non sunt per se instituta.

Objectio: Sed in V. T. non existebat hoc sacramentum, et tamen salus possibilis erat, ergo non videtur necessarium ad salutem necessitate medii, sed solum præcepti.

Resp. Sacramentum pænitentiæ non est necessarium necessitate medii *ex ipsa natura rei,* ut gratia sanctificans, ut contritio post peccatum, sed *ex libera institutione Dei auctoris novæ legis,* sicut baptimus accipiendus vel in re vel in voto.

Et ut explicat S. Thomas, IIIª, q. 84, art. 7 ad 2um, in Veteri Testamento erat signum imperfectum pænitentiæ. Pluries prophetæ dixerunt quod pænitentia magis debet esse in corde quam in exterioribus signis: « Scindite corda vestra et non vestimenta vestra » (Joel, II, 13). Sed aliquando fideles peccata sua saltem in generali confitebantur ministris Dei, *offerendo oblationem pro peccato* (cf. Levit. V, 17, Prov. XXVIII, 13). Nondum vero erat instituta potestas clavium, quæ a passione Christi derivatur. Ad 4um Ipse Christus in vita sua præbebat effectum hujus sacramenti sine sacramento (vg. paralytico).

Corollarium. Pro statu novæ legis, pænitentia non est virtus nisi includat votum sacramenti. Et ideo S. Thomas de ea tractavit in tractatu de sacramento pænitentiæ.

3° Utrum sacramentum pœnitentiæ sit pluries iterabile?
S. Thomas q. 84, a. 10.

Fuerunt hæretici qui dixerunt post baptismum esse utilem pænitentiam; sed semel tantum, ac si peccatum post veniam reiteratum esset irremissibile!

E contrario Concilium Tridentinum (Denz. 911) definit quod « *quoties post baptismum in peccata labuntur fideles, ipsi Deo reconciliari possunt* ».

1° (argum. sed contra) Hoc fundatur in verbis Domini: Luc. VI, 31 « *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est* » - et Matth. XVIII, 22: « *Non dico tibi usque septies* (dimittere fratri tuo) *sed usque septuagies septies* ». Ergo etiam Deus sæpius per pænitentiam veniam peccantibus præbet, præsertim cum doceat nos petere: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ».

2° (in corpore articuli). Hoc probatur, evertendo fundamentum hæreticorum; falsum est quod peccatum post veniam reiteratum sit irremissibile. Peccatum quidem est gravius in relapso ratione ingratitudinis, sed potest ante impetratam veniam alia ratione esse gravius, sic primum peccatum homicidii est gravius quam secundum peccatum furti. Insuper et præsertim *infinita Dei misericordia superat omnem numerum et magnitudinem peccatorum,* secundum illud Ps. 50 « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam ». Rex David, qui sic veniam postulabat, post magnas gratias commiserat duplex grave peccatum adulterii et homicidii, quia ordinaverat occisionem Uriae cujus uxor erat Betsabe. Item reprobatur verbum Caïn dicentis. (Gen. IV, 13) « Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear ».

Passio Domini ratione amoris Christi patientis *plus placet Deo quam ei displicent omnia peccata simul sumpta.*

Sunt quidam textus obscuri S. Ambrosii qui videntur dicere pænitentiam non posse iterari, sed ex contextu apparet, ut dicitur ad 2um quod hic agitur de pænitentia publica et solemni quæ non iterabatur.

Ad 4um: Quod homo postquam pœnituit relabatur, non excludit quin pænitentia præterita fuit vera. Potest vere pœnituisse qui postea peccat, veritas prioris actus non excluditur per sequentem contrarium.

Attamen frequens relapsus est quoddam indicium propositum non fuisse verum et firmum.

Ad terminandam quæstionem de potestate clavium convenit tractare de ministro hujus potestatis.

Art. III. — DE MINISTRO POTESTATIS CLAVIUM
Cf. Suppl. q. XIX-XX.

In q. 19 Supplementi, quæritur progressive de sacerdote legali veteris Testamenti, de Christo, de sacerdote novæ legis sive sit bonus, sive sit malus. Q. 20 agitur de potestate jurisdictionis.

Art. 1. - **Sacerdotes Veteris Testamenti non habebant claves, sed in eis figura clavium præcessit.**

Ratio est qui sacramenta veteris legis gratiam non conferebant ex opere operato active, et potestas hujus sacerdotii non se extendebat ad cælestia, sed ad figuras cælestium. Christus post Passionem descendendo

in inferos aperuit januam regni cælestis. Attamen figura clavium erat in sacerdotio levitico prout imponebat pœnam pro delictis et præbebat purificationes legales.

Art. 2. - **Christus habuit claves eminentissime,** per auctoritatem ut Deus, et per meritum ut homo.

Art. 3. - **Utrum soli sacerdotes claves habeant?**

Montanistæ potestatem clavium tribuebant solis pneumaticis seu spiritualibus, id est iis qui Spiritui Sancto inspirabantur (hunc errorem quasi renoverunt Protestantes liberales). *Waldenses* et *Wicleffitæ* bonis sive laicis sive sacerdotibus potestatem clavium concedebant.

Contra hos de fide est *definita in Concilio Tridentino* (Denz. 920) quod *soli sacerdotes* (id est episcopi et presbyteri), *sunt ministri clavium, seu valide possunt a peccatis absolvere.* Dicit Concilium Tridentinum, loc. cit.: « Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut *non solos sacerdotes esse ministros absolutionis,* sed omnibus et singulis Christifidelibus esse dictum: « quæcumque... solveritis super terram erunt soluta et in cælis... ». An. sit.

Hæc veritas fidei enuntiatur saltem implicite in verbis Domini (Jo. XX, 21-23) citatis a Concilio ibid. n. 920.

Ratio est quia hæc potestas clavium, seu ligandi ac solvendi, est modo judiciali exercenda. Atqui *auctoritate judiciali non gaudent omnes fideles,* sed solum ii qui Ecclesiæ præsunt; ut Christi instrumenta (cf. Suppl. q. 19, art. 3 et 4).

Confirmatur. Alioquin confunderetur sacerdotium proprie dictum cum sacerdotio late dicto, et proinde sacrificium proprie dictum cum sacrificio late dicto.

Hæc fidei doctrina satis clare exprimitur in Traditione. Cf. S. Ignatium martyrem (Journel 56); scripsit ad Philadelphios 3, 2, quod peccatores non recipiunt remissionem peccatorum nisi *redeant ad episcopum.* Item Tertullianus (Journel, 315) adhuc catholicus exomologesim describens, dicit peccatores « *presbyteris absolvi* » de Pænitentia, n. 9.

Item *S. Cyprianus* (Journel, 553) « *de lapsis* » c. 28, peccatores ad pænitentiam hortatur « dum satisfactio et remissio facta *per sacerdotes* apud Dominum grata est ».

Item *S. Ambrosius* (Journel, 1297) dicit apostolis et sacerdotibus in esse potestatem remittendi peccata.

Notandum est quod per quatuor priora sæcula potestas clavium fere exclusive *ab episcopis exercebatur;* quarto autem sæculo, potestas clavium a presbyteris quibusdam, nempe pænitentiariis exercebatur, a V sæculo ad VIII exercitium hujusce facultatis extensum est ad plures alios, et a sæculo VIII communiter ad omnes.

De potestate jurisdictionis.

In Suppl., q. 19, in corpore art. 3 distinguitur duplex clavis seu potestas scil.; *ordinis* et *jurisdictionis.*

Potestas ordinis immediate se extendit ad *remissionem peccati,* et hanc soli sacerdotes et omnes sacerdotes habent.

Potestas jurisdictionis immediate se extendit non ad remissionem peccati sed *ad admittendum vel excludendum ad consortium Ecclesiæ militantis.*

Et hanc potestatem habent *episcopi* et eam habere possunt archidiaconi qui non sunt sacerdotes. Imo, ut dicitur in art. 4, et q. 20, art. 1, sacerdos non potest exercere potestatem ordinis per absolutionem *nisi in subditum* ex commissione *superioris* hujusce subditi, scil. Episcopi, aut Ordinarii [1] (cf. art. 4, a. 5, a. 6 conclusiones et q. 20, art. 1, 2, 3).

Ergo omnis sacerdos habet potestatem ordinis, sed non habet potestatem jurisdictionis vi solius ordinationis, sed *superiorum ecclesiasticorum concessione,* (cf. Concilium Tridentinum 903 et Decretum ad Armenos Den. 699 et 1537).

Quid sit potestas jurisdictionis.

Prius definenda est jurisdictio ecclesiastica in genere. Est potestas regendi subditos ad finem supernaturalem. Est triplex

jurisdictio seu potestas regendi
- *legislativa* ad leges ferendas
- *judiciaria* ad sententias auctoritative ferendas
  - *in foro interno* ad utilitatem cujuslibet fidelis
    - *pœnitentialis:* solum in confessione sacramentali
    - *extrapœnitentialis,* quæ extra confessionem sacramentalem exerceri potest, v. g. dispensando in voto, tollendo censuram
  - *in foro externo:* ad utilitatem societatis ecclesiasticæ
- *coactiva:* ad pænas infligendas

Unde *juridictio confessarii* definiri potest, secundum Concilium Tridentinum 903, explicando ejus verba: *potestas supernaturalis, externo*

[1] Cod. 873, 2: Superiores religiosi exempti jurisdictione ordinaria gaudent pro suis subditis.

superioris actu collata, qua sacerdos judicium exercere potest erga subditos in foro interno ac pœnitentiali.

Cf. Conc. Flor. Decr. ad Armenos, Denz. 699: « Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris » id est jurisdictionem ordinariam aut delegatam. Item C. Trid. Denz. 903; et errores Synodi Pistoriensis, Denz. 1537.

Ratio theologica hujus assertionis datur in Supplemento, q. 19, a. 6: « Usus potestatis clavium impeditur ex defectu materiæ, et propria materia in quam exercetur est homo *subditus* ». Sic potestas clavium quoad essentiam remanet in sacerdote malo, etiam in sacerdote hæretico vel schismatico, et Ecclesia secundum suam hierarchiam potest subtrahere subditos his sacerdotibus, ita ut eorum absolutio sit invalida. Unde absolutio non est valida sine jurisdictione aut ordinaria aut delegata. Ita Trid. Denz. 903. Brevius: Potestas remittendi vel retinendi peccata est potestas judicialis. Atqui potestas judicialis valida exerceri nequit nisi in *subditum,* qui scil. subjicitur jurisdictioni legitimi superioris.

1um *Corollarium:* Jurisdictio ad confessiones audiendas *confertur* non vi solius ordinationis, sed *superiorium concessione.* Alioquim C. Trid. 903 non declararet absolutionem sacerdotis jurisdictione carentis esse invalidam, seu nullis valoris. Si jurisdictio vi solium ordinationis haberetur, amitti non posset.

2um *Corollarium: Jurisdictio variis modis limitari potest a superioribus præsertim a R. Pontifice.* Qui enim concedere possunt jurisdictionem, possunt pariter eam limitare quoad homines, quoad locum, tempus, et quoad peccata. Sic sunt peccata reservata, cf. Trid. 903: « Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur » (cf. Codicem juris n. 872, 873).

1um *Dubium: An jurisdictio requiratur etiam ad absolutionem peccatorum venialum.* Respondetur nunc affirmative. Hoc negaverunt multi antiqui theologi, etiam S. Thomas in IV, dist. 18, q. 2, a. 3, sol. I ad 3 et Scotus, quia venialia remittuntur etiam ab aliis sacramentis, in quibus non requiritur jurisdictio. Sed Innocentus XI (Denz. 1150) injunxit episcopis non permittere « ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut ordinario ». Hæc sufficiunt quoad potestatem jurisdictionis; nam sub aspectu practico hoc traditur sive in theol. morali practica sive in jure canonico.

Quoad jurisdictionem delegatam dicitur in Codice juris can. n. 874 n. 1: « Jurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive sæcularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum sæcularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur: sacerdotes autem religiosi eadem ne utantur sine licentia saltem præsumpta sui Superioris, firmo tamen præscripto can. 519 ».

Ibidem can. 875: « In religione clericali *exempta* ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve de quibus in can. 514 n. 1, jurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorumdem Superior, ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero sæculari aut alius religionis ».

CAPUT II

DE ESSENTIA SACRAMENTI PÆNITENTIÆ

Post considerationem existentiæ hujusce sacramenti seu potestatis clavium, cum jurisdictione necessaria ad ejus validum exercitium, agendum est de essentia hujus sacramenti, scil. de ejus materia et forma (cf. S. Thomam, IIIª, q. 84, art. 1, 2, 3).

ART. I. — ESSENTIA SACRAMENTI VERE SALVATUR IN PÆNITENTIA

S. Thomas in hac q. 84 art. 1 ostendit prius quod pænitentia vere est sacramentum, quia in ea aliquid sanctum *significatur* tam ex parte peccatoris pænitentis, quam ex parte sacerdotis absolventis: « nam peccator pænitens per ea quæ facit et dicit, ostendit cor suum a peccato recessisse; similiter etiam sacerdos per ea quæ agit et dicit circa pænitentem, significat opus Dei remittentis peccata. Unde manifestum est quod pænitentia quæ in Ecclesia agitur, est sacramentum ».

Objectio: Sed in pænitentia non est materia, ut est aqua in baptismo, chrisma in confirmatione, species sacramentales in eucharistia.

Respondet S. Thomas ad 1um quod *in pœnitentia et in matrimonio actus humani* qui tunc eliciuntur et manifestantur, non solum *dispositive* se habent ad hæc duo sacramenta, sicut in aliis sacramentis, *sed sunt de essentia horum duorum sacramentorum.* Ratio est quia hæc sacramenta habent effectum correspondentem *humanis actibus* hoc momento *exercendis.* Legere ad 1um. Ita in ordine naturali ad sanitatem corporalem medici præscribunt quandoque remedia, ut potiones, et quandoque exercitium quodam, ut ambulationem.

Instantia: Sed interna pænitentia inspiratur a Deo et non adhibetur a ministris Christi, ut alia sacramenta.

Responsio ad 2um Hi actus humani, qui sunt materia pænitentiæ, proveniunt *ex inspiratione divina,* sed complementum sacramenti exhibet minister, dum pænitentem absolvit.

3ª *difficultas:* In pænitentia non invenitur sicut in aliis sacramentis: 1° id quod est sacramentum tantum, 2° id quod est res tantum, et 3° id quod est res et sacramentum.

Ad 3um *respondetur:* In pænitentia id quod est *signum tantum,* sunt actus exteriores tum pænitentis, tum absolventis; *res et sacramentum* est interior pænitentia peccatoris; *res tantum* est remissio peccati.

Insuper prædicta distinctio inter hæc tria non videtur esse ita necessaria, ut salvari debeat in omnibus sacramentis, scil. etiam in iis qui characterem non imprimunt. Est præsertim character qui vocatur res et sacramentum.

ART. II. — DE MATERIA SACRAMENTI PÆNITENTIÆ

S. Thomas q. 84, a. 2 respondet: *peccata* sunt *remota materia* hujus sacramenti, ut materia non acceptanda, sed detestanda et destruenda.

Materia autem *proxima* sunt *actus pœnitentis* quorum materia sunt peccata de quibus dolet, quæ confitetur, et pro quibus satisfacit.

Hæc terminologia sumitur analogice ex rebus physicis in quibus v. g. dicitur materia proxima statuæ est metallum, et materia remota est elementum ex quo componitur metallum.

Ad 1um *materia remota principalis et necessaria* sunt peccata mortalia post baptismum commissa et nondum accusata et absoluta; secundario peccatum veniale ad materiam remotam pænitentiæ pertinet. - Sic venialia et mortalia jam accusata sunt *materia sufficiens et libera,* id est quæ potest, sed non necessario debet potestati clavium subjici.

Conclusio principalis hujusce articuli S. Thomæ est igitur: *Tres pœnitentis actus, contritio, confessio et satisfactio sunt materia proxima sacramenti pœnitentiæ.* Est sententia communius admissa, quæ corroborata est declaratione Concilii Tridentini (Denz. 896) dicentis: « Sunt autem *quasi materia* hujus sacramenti *ipsius pœnitentis actus,* nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui (actus) quatenus in pænitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem *ex Dei institutione requiruntur,* hac ratione *Pœnitentiæ partes* dicuntur ». Item antea Concilium Florentinum in Decreto ad Armenos, Denz. 699.

Ratio theologica est quod Christus hoc sacramentum instituit per modum judicii (necessarii ad solvendum vel ligandum). *Judicium autem judicis,* ut recte feratur sententia, *necessario supponit materiam de qua judicetur.*

Insuper judicium quod fertur in hoc sacramento est judicium tum misericordiæ erga peccatorem, tum justitiæ quoad reparationem Deo debitam pro peccatis commissis. Ergo hoc judicium supponit *peccatorum confessionem,* quam sincera *contritio* comitatur et *satisfactio* sequatur. Proinde hujusmodi actus sunt vera proxima materia sacramenti. Confirmatur ex q. 90, art. 1. Ad pænitentiam ut est pars justitiæ requiritur quod offendens recompenset secundum voluntatem ejus quem offendit. Et hoc fit per tres actus prædictos (cf. de hac re Billuart).

Olim nonnulli antiquiores aliam opinionem proposuerunt, cf. art. 4. Alexander Halensis putavit cum Gullielmo Antissiodor. materiam proximam sitam esse *in impositione manus* a sacerdote facta, dum pœnitentem absolvit. Sed hæc opinio communiter a theologis rejicitur.

Scotistæ quibus assentiunt Ballerini et Berardi, dicunt *totam* essentiam sacramenti consistere *in sola absolutione,* quæ, quatenus est cæremonia externa, est materia, quoad autem significationem, est forma. Juxta Scotum et veteres ejus discipulos tres actus pænitentis sunt *dispositiones* prærequisitæ ad validam receptionem sacramenti, et *conditio sine qua non* judicii a confessario ferendi. Juxta recentiores Scotistas, hi tres actus pænitentis sunt tantum *dispositiones,* quas non necesse est ad validitatem manifestare.

Ad hanc sententiam probandam, Scotistæ tres afferunt rationes:

1ª *Ratio Scotistarum:* In textu Concilii Tridentini, actus pænitentis vocantur *quasi materia* et dicuntur requiri *ad integritatem* sacramenti. Ergo, ut aiunt, non ad essentiam.

Responsio: Concilium Tridentinum sicut Concilium Florentinum, quæ distincte commemoraverunt materiam et formam aliorum sacramentorum, nullam aliam materiam pænitentiæ designarunt nisi tres actus pænitentis. Ergo illi actus sunt materia proxima hujus sacramenti. Insuper Catechismus Concilii Tridentini, de pænitentia, n. 12, explicat quare hæc Concilia dixerint « quasi materia »; dicit: « Neque vero hi actus *quasi materia* a Sancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materiæ non sunt, quæ *extrinsecus* adhibeatur, ut aqua in baptismo, et chrisma in confirmatione ».

2ª *Ratio Scotistarum* est quod *sola absolutio* sacerdotis significat gratiam, et ideo sola eam producit.

Respondetur: In hoc sacramento, sicut in aliis, forma est quidem principalis causa gratiæ, sed non unica. Materia enim vi formæ est etiam efficax. Sic pænitens aliquo modo cooperatur ad suam justificationem.

3ª *Ratio Scotistarum* est quod in Ecclesia absolutio datur iis etiam qui in articulo mortis nullum *exterius signum* contritionis præbent.

Respondetur: Tunc quidem, in casu extremæ necessitatis, etiamsi externa attritionis signa desint, absolutio danda est, sed *sub conditione.* Et tunc supponitur ad validitatem absolutionis confessio virtualis et implicita. Ita Billuart.

Instantia: Saltem satisfactio non potest esse materia hujus sacramenti, nam materia præsupponitur formæ et satisfactio non præsupponitur formæ, scil. absolutioni, sed eam sequitur.

Respondetur: Satisfactio actualis est materia pænitentiæ, non ut pars essentialis quæ præsupponitur formæ, sed ut *pars integrantis,* virtualiter tamen contenta in confessione et contritione. Suoque modo enim informatur ab absolutione, prout ex ea recipit, ut infra dicetur, vim remittendi pænas *ex opere operato.* Ita analogia in ordine physico v. g. in nutritione, partes integrantes corporis humani, ut dentes, capilli, crescunt et informantur eadem anima quæ illis præsupponitur.

Ultima objectio: Omnes partes totius constitutivæ debent esse simul. Atqui contritio aliquando præcedit confessionem, confessio absolutionem et satisfactio aliquando diu postea adimpletur. Ergo non sunt partes constitutivæ alicujus totius.

Resp.: Non sunt partes constitutivæ alicujus totius permanentis et physici, concedo; sed alicujus totius successivi et moralis, ut est processus judicialis ad quem requiruntur successive accusatio rei, ejus defensio, sententia judicis et sententiæ executio, ex quibus integratur actus moraliter unus.

De his tribus partibus pænitentiæ tractabimus seorsim infra quæstionem de forma.

ART. III. — DE FORMA SACRAMENTI PÆNITENTIÆ

Cf. S. Thomas, q. 84, a. 3.

Status quæstionis. Hæc forma est « *Ego te absolvo, etc...* ». Difficultas est quod non legitur Christum hanc formam instituisse. Imo in Ecclesia orientali et etiam in Ecclesia latina, per decem priora sæcula, forma absolutionis fuit *deprecativa,* nempe: « Deus ei condona, eum absolve », non autem indicativa: « Ego te absolvo ». Nunc etiam apud quasdam ecclesias orientales remanet forma deprecativa. Vestigium ejus remanet etiam in officio secundum ritum romanum, dum in Prima et in Completorio, sacerdos dicit: « Absolutionem et remissionem tribuat vobis omnipotens Deus », ut notat S. Thomas ibid. in prima difficultate. Dicit etiam in 3ª difficultate: videretur magis conveniens forma deprecativa, quia solus Deus peccatum remittit, non minister ejus. Imo Apostoli sanando infirmos in nomine Domini, non dicebant: « Ego te sano », sed « sanet te Dominus Jesus Christus » sicut Petrus dixit paralytico. (Act. Apost. IX, 34). Attamen, ut dicitur ad 4um Petrus dicit claudo: « In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula » (Act. Apost. III, 6). Denique sacerdos deberet habere revelationem specialem ad cognoscendum quod peccatum est vere pænitenti remissum, ut cum veritate et certitudine dicat « *Ego te absolvo* ». Hæc est quinta difficultas posita a S. Thomas initio art. 3.

Responsio data est a Concilio Tridentino (Denz. 896): « Sacramenti pænitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo* etc. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius

tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ ».

Item in Conc. Flor. (Denz. 699), cf. Denz. 807, 914, 1088 sq.

Revera hæc forma indicativa adhibetur in Ecclesia latina a sæculo XII°. Et Sanctus Thomas in argumento « sed contra » ostendit quod fundatur in verbis Domini ad Petrum: « *Quodcumque solveris super terram, etc.* ». Sacerdos enim, auctoritate illorum verborum Christi fretus, dicit: *Ego te absolvo;* sicut dicit: *Ego te baptizo,* secundum alia verba Domini: « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, etc. ».

Historice tamen certum est quod in Ecclesia latina et græca per decem priora sæcula, forma absolutionis fuit *deprecativa:* « Deus, eum absolve, etc ». Hoc constat ex sacramentariis et Pænitentialibus, v. g. ex Sacramentario Gelasiano (Migne, P. L. t. 74, p. 1097) et ex Pænitentiali Halitgari (P. L. t. 105, p. 697, 704) ubi nonnisi formulæ deprecativæ inveniuntur. Attamen sæculis octavo et nono, inveniuntur etiam formulæ *imperativæ* deprecativis conjunctæ: v. g. « Sis absolutus a Deo, etc. ». A sæculo XI in Ecclesia latina incipit transitus a formulis deprecativis ad indicativas. Et sæculo XII forma *indicativa* communiter in Ecclesia latina recepta est. Attamen, antequam pronuntietur, recitantur preces « Misereatur, Indulgentiam, Dominus noster Jesus Christus te absolvat » quæ sunt quasi vestigium antiquæ disciplinæ. In Ecclesia orientali forma deprecativa apud quosdam manet.

Dubium. An forma *deprecativa* fuerit olim valida, et esset nunc valida in Ecclesia latina. Cf. Billuart.

Respondetur affirmative ad primam partem [1]; hæc forma deprecativa fuit valida saltem ubicumque modo generali prævaluit; non enim putandum est absolutiones datas per plura sæcula fuisse invalidas. Insuper hæc forma deprecativa, cum intentione absolvendi et attentis circumstanstiis, ostendit sacerdotem esse Dei *ministrum* et absolvere, quamvis minus clare ostendatur sacerdotem esse *judicem* ministerialiter absolventem.

Ad secundam partem dubii, respondendum est quod hodie si quis in Ecclesia latina uteretur hac formula *deprecativa,* merito dubitaretur de validitate absolutionis, nam a pluribus sæculis Ecclesia latina usum formulæ indicativæ præscripsit [2]. Cf. ad 1um. Billuart dicit: « Probabilius est formam simpliciter deprecatoriam in sacramento pænitentiæ

1 Ita Hurter, Tanquerey, alii.

2 Attamen, ut videtur, fieri potest distinctio. Etenim si quis uteretur hac formula deprecativa cum bona fide, aliam obliviscens, et præsertim per respectum ad moribundum, tunc ut videtur *absolutio esset valida, ut olim,* tanquam *æquivalens* formulæ indicativæ. Si vero aliquis scienter contra præceptum Ecclesiæ hodie uteretur formula deprecativa, nolens indicativa uti, tunc, ut diximus, valor absolutionis esset dubius, nam non clare constat an *forma deprecativa* satis *æquivaleat* formæ indicativæ, imo ille qui sic scienter et voluntarie ea utitur potius quam alia, videtur aliter judicare quam Ecclesia de vero sensu formulæ adhibendæ et videtur non admittere quod absolutio fieri debeat per *modum judicii.* HERVÉ dicit, n. 418 ss.: « Est theologice certum quod absolutio debet esse quoad sensum *indicativa,* ut sit in forma judicii, sed potest esse materialiter deprecativa ut in vetustissimis Ritualibus. Hinc, *nisi obstet Ecclesiæ præceptum,* forma deprecativa potest aliquando æquipollere sententiæ indicativæ. At *in praxi* omnino sequenda est forma ab Ecclesia præscripta, quæ apud Latinos est sola forma indicativa ».

Cf. HERVÉ, p. 374-379, de forma indicativa et de forma materialiter deprecativa.

non posse esse validam ». Sed Billuart non satis agnoscit hanc formam olim fuisse sufficientem ad absolutionem, quamvis minus clare ostendat sacerdotem esse judicem ministerialiter absolventem. Non necesse est quod forma sacramenti, quæ non fuerit data explicite a Christo, semper omnino invariabilis maneat. Sufficit quod eadem maneat quoad sensum; Ecclesia potest ad majorem claritatem adjungere aliquod verbum, sic in ipsa consecratione calicis adjunxit: « Mysterium fidei ». Cf. S. Thomam *opusc. 22 de forma absolutionis, et Dictionnaire de Théol. cath.* art. Absolution, col. 224 sq.; *Galtier « de Pœnitentia »,* th. 35. *Hervé,* p. 377.

In corpore nostri articuli 3, S. Thomas ostendit convenientiam formulæ indicativæ, sic:

Forma sacramenti debet significare id quod per illud efficitur proportionaliter ad materiam.

Atqui hæc forma: *Absolvo te* etc. significat id quod efficitur per hoc sacramentum, proportionaliter ad materiam: nam tunc removentur peccata quæ sunt materia remota et destruenda hujus sacramenti, seu vincula solvenda.

Ergo convenit hæc forma « ad instar actus judicialis, quo pronuntiatur sententia » ut dicitur in Concilio Tridentino 902, 919.

Major constat ex hoc quod sacramenta novæ legis efficiunt id quod significant; et manifestum est quod forma debet habere significationem determinatam proportionaliter ad materiam. Sic forma baptismi est *Ego te baptizo* et forma confirmationis est: *Consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis,* eo quod hujusmodi sacramenta perficiuntur in usu materiæ. In sacramento Eucharistiæ, quod consistit in consecratione materiæ, exprimitur veritas consecrationis, cum dicitur: *Hoc est corpus meum.*

Sacramentum autem pænitentiæ non consistit in consecratione alicujus materiæ, nec in usu alicujus materiæ sanctificatæ, sed magis in remotione cujusdam materiæ, scil. peccati, seu vinculi (cf. S. Thomam ibidem).

Ad 3um. Solus Deus auctoritative absolvit a peccato, sed hoc facit etiam sacerdos ministerialiter, « in quantum verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operantur in virtute divina, sicut etiam in aliis sacramentis ».

S. Thomas dicit in fine hujusce responsionis ad 3um et in hoc communiter conveniunt theologi, quod verba *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen,* non sunt necessaria, quia hoc non eruitur nec ex Sacra Scriptura, nec ex Traditione, nec ex sensu communi Ecclesiæ. A fortiori pronomen *ego* non est essentiale, sufficienter enim exprimitur in voce *absolvo.*

Dubium 1um. An hæc *sola* verba *Absolvo te,* omissis *a peccatis,* sint *essentialia.*

Respondetur affirmative (cf. Billuart) quia significant effectum principalem sacramenti, scil. absolutionem a peccatis; et hoc ipso quod proferuntur super pænitentem qui peccata sua confessus est, satis constat quod agitur de absolutione a peccatis et non a censuris. Attamen esset graviter illicitum omittere *a peccatis tuis.*

Valida sed illicita esset forma æquivalens: « Remitto, condono tibi peccata tua, vel absolvatur talis a peccatis ». - Debet forma exprimi *verbis,* non solum *nutu* aut alio signo, secundum unanimem sensum Ecclesiæ. Nec absolutio dari potest *scripto* et a sacerdote *absente.* Clemens VIII declaravit non licere absolutionem absenti dare (cf. Denz. 1088) [1].

Ad 5um: Quisnam est sensu exactus verborum: *Ego te absolvo.*

Respondetur: Sacerdos per hæc verba *non solum* declarat seu *ostendit peccata esse remissa, sed ea vere remittit.* Ad quod non requiritur revelatio specialis, sed revelatio communis efficaciæ hujus sacramenti pro sufficienter dispositis.

Dubium 2um. An impositio manus sit materia sacramenti pænitentiæ.

S. Thomas respondet negative IIIa, q. 84, a. 4. Nunquam reputata est ut materia hujus sacramenti, sed ut mera cæremonia. Et Concilium Tridentinum post acuratum examen partium pænitentiæ, de manus impositione silet.

1 Ut dicit Hervé, p. 379: « Nisi aliud judicaverit Ecclesia, absolutio per telephonium data videtur illicita simul et invalida ».

CAPUT III

DE CONTRITIONE ET ATTRITIONE

Nunc agitur de actibus pænitentis, scilicet.

1. — De contritione imperfecta et de perfecta, Suppl., q. 1 ad 5am.
2. — De confessione, Suppl., q. 6 ad 11.
3. — De satisfactione, Suppl., q. 12 ad 15.

S. Thomas in ultima q. 90 quam dictavit, art. 3 ostendit quod sunt *partes integrales* pænitentiæ, quia totum est *in omnibus simul* et non singulis.

Quinque priores quæstiones Supplementi, quæ sunt de contritione sic dividuntur:

1. q. — *Quid sit contritio* tum imperfecta seu attritio, tum perfecta.

2a q. — *De ejus objecto:* an debeat esse de omni peccato et de singulis mortalibus.

3a q. — *De quantitate contritionis,* utrum sit major dolor qui possit esse in natura; utrum possit esse nimis magnus, et debeat esse major de uno peccato quam de alio.

4a q. — *De tempore seu duratione contritionis,* utrum tota ista vita sit tempus contritionis, et expediat continue conteri de peccato, ac utrum animæ separatæ contristentur de peccatis.

5a q. — *De effectu contritionis,* utrum remissio peccatorum sit effectus contritionis, utrum possit totaliter auferre reatum pænæ; utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum, et respondetur affirmative, dummodo ad rationem contritionis perfectæ pertingat id est ex caritate procedat; sed attritio sine sacramento non sufficeret.

Quæstio I. — QUID SIT CONTRITIO

Præsertim explicanda est prima quæstio, scil. *Quid sit contritio.* Hæc prima quæstio continet tres articulos: 1° Utrum convenienter definiatur: dolor de peccatis cum proposito confitendi et satisfaciendi; 2° Utrum contritio sit actus virtutis; 3° Utrum attritio possit fieri contritio, et responsio erit negativa, sed attritus potest fieri contritus.

Ordo procedendi: In hac quæstione melius est procedere secundum *ordinem chronologicum* ipsius progressus dogmatici: considerando: 1° doctrinam S. Thomæ; 2° distinctionem Concilii Tridentini inter contritionem perfectam et attritionem; 3° controversiam de hac re ortam post Concilium Tridentinum.

ART. I. — UTRUM CONTRITIO SIT DOLOR PRO PECCATIS CUM PROPOSITO CONFITENDI ET SATISFACIENDI

Status quæstionis: Hæc definitio proposita erat a pluribus theologis ante S. Thomam et ab eo admissa est et explicata. In hac explicatione secundum suam consuetam methodum S. Thomas transit a definitione nominali ex etymologia manifestata ad definitionem realem, et, ut statim videbimus, omnino eadem requirit ad definitionem contritionis quæ requisita sunt postea a Concilio Tridentino (Denz. 897), a quo contritio definitur: « *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero* ». Agitur de contritione ut ubstrahit a perfecta et ab imperfecta contritione, quæ est attritio.

Cf. *Suppl.*, q. 1, a. 1.

In corpore articuli, 1° *explicatur origo nominis contritio*. « Initium omnis peccati est superbia » Eccli. X, 15 per quam homo sensui suo inhærens a mandatis divinis recedit... Ille autem qui in suo sensu perseverat, *rigidus* et *durus* per similitudinem vocatur...; unde et *frangi* dicitur aliquis quando a suo sensu divellitur;.... et aliquid non solum frangitur sed *conteritur* quando non solum dividitur in magnas partes, sed reducitur ad minimas ». Sic in Sacra Scriptura dicitur quod cor peccatoris, quod prius erat durum, postea contritum est: v. g. Ps. L, 19. « Cor contritum et humiliatum, Deus non despicies ». Isai., LXI, 1: « Misit me, ut mederer contritis corde ». Ps. CXLVI, 3: « Qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum ». (Seu vulnera eorum). Luc. IV, 18: « Spiritus Domini... misit me, sanare contritos corde ».

2° Post originem nominis S. Thomas considerat substantiam actus, modum agendi, principium et effectum, nam secundum hæc quatuor inveniuntur diversæ definitiones traditæ.

Quoad substantiam actus dicitur: « *Dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi* ». Sic enim contritio apparet ut actus virtutis pænitentiæ, et simul ut pars sacramenti, prout ordinatur ad alias partes.

Aliæ datæ sunt definitiones, prout contritio procedit ex humilitate, ex timore et ex spe, et prout destruit peccatum. Sic Augustinus, super psalmos 46 dicit: « Contritio est dolor remittens peccatum » et Gregorius Magnus, Hom. 22 in Ezech. « Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum, inter spem et timorem ».

Ad 2um notatur quod contritio est a Deo inspirante, sed etiam a libero arbitrio cooperante.

Melius apparet quod S. Thomas eadem omnino requirit ad contritionem quæ requiruntur a Concilio Tridentino, breviter recoligendo ea quæ dixit de dolore et detestatione peccati in IIIa, q. 85 et 90; - q. 85, a. 3 dicit: « Pænitentia est virtus specialis ex eo quod pænitens *dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito* ». Ibid. art. 4: « proprius pænitentiæ virtutis actus est propositum emendandi illud quod contra Deum commissum est ». q. 90, a. 4: « Pertinet ad pænitentiam *ut detestentur peccata præterita, cum proposito mutandi vitam in melius* ». Item in opusc. 5.

Ex his manifestum est S. Thomam omnino eadem requirere ac Concilium Tridentinum a quo definita est contritio « *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso* cum *proposito non peccandi de cetero* ». Sic definitur contritio ut *abstrahit* a statu veteris et novæ legis, nec non a perfecta et imperfecta contritione.

1° Dicitur *animi dolor*, prout peccator, sincere ad Deum revertens, non potest non tristari de delictis quibus aversus fuit a Deo. Agitur de dolore voluntatis non partis sensitivæ.

2° Dicitur *detestatio*, seu odium peccati, procedens ex cognitione ejus malitiæ, malorumque effectuum, et hoc odium conjungitur cum retractatione pravæ voluntatis, ita ut peccator sincere dicat: Si res non esset peracta, non facerem, vellem non peccasse. Detestatio peccati non est omnimo idem ac dolor, prius enuntiatus, sic in Deo est detestatio peccati quod ei displicet, sed in Deo non est dolor. Dolor nascitur ex odio in subjecto doloris capaci.

3° Dicitur *de peccato* non de pæna peccati et de peccato ut offensa Dei.

4° Dicitur: *Cum proposito non peccandi de cetero*, subintelligitur cum Dei auxilio; nemo enim vere peccata commissa detestatur quin eo ipso velit hæc peccata saltem mortalia vitare in futurum. Hæc omnia requiruntur ad contritionem prout importat conversionem voluntatis.

Notandum est quod Concilium Tridentinum sic voluit definire contritionem prout fuit omni tempore necessaria etiam ante institutionem hujusce sacramenti, dum S. Thomas in nostro art. 1 explicat definitionem contritionis in ordine ad confessionem sacramentalem, propterea dicit: « cum proposito confitendi ».

Et hoc æquivalenter dicitur in Concilio Tridentino (Denz. 897) subito post prædictam definitionem dum dicit: « Fuit autem *quovis tempore* ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus *necessarius*, et in homine (nunc) post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ *et voto præstandi* reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur ».

Dubium: Utrum contritio consistat essentialiter in tribus prædictis, scil. dolore, detestatione et proposito, an in aliquo tantum.

Respondet *Billuart* cum pluribus aliis: Essentia contritionis est formaliter in solo dolore (voluntatis) de peccato, sed præsuppositive in odio seu detestatione peccati, et consecutive in proposito. Hoc videtur verum, prout actus primarius virtutis specialis debet esse unus et non aggregatum ex pluribus actibus. Contritio sic est formaliter dolor de peccatis commissis, ut dicit S. Thomas art. 1. Si e contra formaliter esset in odio peccati, inveniretur etiam in beatis. Et ad dolorem de peccato sequitur, ut proprietas, propositum non peccandi in futurum saltem mortaliter.

Addendum est quod *contritio debet esse supernaturalis*. Cf. Concilium Tridentinum N. 813 et antea Concilium Arausicanum (Denz. 177) Concilium Tridentinum definit: « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque adjutorio, hominem credere, sperare, et diligere aut pænitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, an. sit. ». Item n. 797.

Unde Innocentius XI (Denz. 1207) *damnavit* hanc: « *Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam* » scil. ethice bonam. Item Denz. 699, 751, seq. 897, 1536. Ratio est quia nulla est relatio seu connexio ordinis naturalis cum supernaturali, ad quem spectat justificatio.

Corollarium. Insufficienter attritus est qui dolet de peccato quia repugnat rationi, vel convictui humano, vel quia ex eo sequitur dispendium famæ aut bonorum temporalium.

E contra jam vere attritus est qui dolet de peccato ut est contra legem divinam, vel ut est inductivum pænarum purgatorii, inferni, amissionis gratiæ, gloriæ, etc. hæc enim pertinent ad ordinem supernaturalem nec nisi fide supernaturali cognosci possunt. Attamen plures ut Billuart tenent quod talis attritio quæ disponit ad justificationem, non sufficit ad justificationem etiam cum sacramento nisi interveniat aliquis amor Dei benevolus (cf. de hoc infra).

Necessitas contritionis sic enuntiatæ a Concilio Tridentino pluries expressa est in Sacra Scriptura v. g. Act. Apost. III, 19: « Pænitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra » ait S. Petrus ad Judæos. Cf. IIIª, q. 84, a. 7 ad 1um. Ratio est: quia *homo etiam jure naturali tenetur compensare injuriam Deo illatam, et hoc nequit esse sine contritione.*

Subito post prædictam definitionem contritionis explicari posset *divisio contritionis* in perfectam et imperfectam, ut datur in Concilio Tridentino cf. Denz. n. 897. Sed melius est hoc dicere in explicatione art. 2 et 3 ubi S. Thomas ex professo distinguit attritionem a contritione. Melius est, ut diximus, sequi ordinem chronologicum scil. progressus dogmatici. Unde primo videamus textum S. Thomæ, postea distinctionem Concilii Tridentini inter contritionem et attritionem, et denique controversias de hac re ortas post Concilium Tridentinum.

Art. II. — UTRUM CONTRITIO SIT ACTUS VIRTUTIS

Status quæstionis. Hæc quæstio ponitur ad majorem explicationem prædictæ definitionis et etiam ad recte distinguendum inter contritionem et attritionem. Hoc constat ex duabus difficultatibus initio articuli positis. 1ª est: videtur quod contritio non sit actus virtutis, quia definita est *dolor;* dolor autem est passio, non actus virtutis. 2ª: attritio quæ antecedit justificationem non est actus virtutis, virtus enim infusa pænitentiæ non infunditur nisi cum caritate; imo sine caritate virtutes morales acquisitæ non sunt in statu virtutis, scil. difficile mobilis.

Attamen S. Thomas (Suppl. q. 1, a. 2) respondet: *contritio est actus virtutis pœnitentiæ*. Agitur hic de contritione perfecta, quæ procedit ex caritate et ex pænitentia; est actus non solum salutaris, sed meritorius, ut dicitur in arg. « sed contra ».

Ratio propter quam contritio est actus virtutis pænitentiæ, est quia importat aliquam rectitudinem voluntatis, cum detestatione et destructione peccati.

Ad 1um: Dum contritio definitur dolor de peccato, agitur de dolore voluntatis; non raro tamen ex vera contritione oritur in appetitu sensitivo ea passio, quæ dicitur dolor, et est laudabilis, quatenus imperatur a voluntate. Non est tamen quid necessarium ad veram contritionem, nec est proprie in potestate hominis.

Restat 2ª difficultas posita initio articuli, scil. « attritio non est actus virtutis, ut ab omnibus dicitur. Ergo neque contritio ».

Ad 2um: S. Thomas respondet in fine: « Significat attritio in spiritualibus quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; contritio autem perfectam ». Hæc omnia sunt ad litteram in Comm. S. Thomæ in IV Sent., dist. 17, q. 2, a. 1. Unde S. Thomas concedit quod attritio non est actus virtutis, non enim procedit a virtute infusa pænitentiæ quæ infunditur simul cum caritate; attritio producitur ante justificationem etiam secundum prioritatem temporis, id est dum homo adhuc est in statu peccati mortalis. Et non omnis attritus fit contritus. Attritus quandoque habet virtutem acquisitam pænitentiæ in statu dispositionis et quandoque non habet eam. Unde attritio non est secundum se actus virtutis, sed disponit ad justificationem et est actus salutaris quamvis non meritorius, pariter actus fidei informis et spei informis sunt salutares quamvis non meritorii. Hæc sunt certa pro S. Thoma, et generaliter admissa etiam ante Concilium Tridentinum.

Dubium: Utrum contritio differat essentialiter ab attritione, an accidentaliter tantum et ex principio extrinseco.

Responsio: Cf. Gonet, *De Pœnit.*, disp. VII, a. 2, Billuart. *De Pœnit.*, diss. II, a. 1. Quidem negant differentiam essentialem, ita Contenson. Alii et communius thomistæ eam affirmant ut Joannes a S. Thomas, et merito ut magis apparet ex his quæ dicuntur in art. seq.

Sed alia quæstio poni potest scil.: utrum contritio in communi dicatur de attritione et de contritione *univoce* ut genus, an *analogice*.

Certo *per prius* dicitur de contritione perfecta, quæ retinet nomen contritionis, prout est contritio proprie dicta. Ex hac parte satis clare constat quod potius analogice dicitur.

In memoriam revocandum est quod peccatum dicitur analogice de mortali et de veniali.

ART. III. — UTRUM ATTRITIO POSSIT FIERI CONTRITIO

Cf. *Suppl.*, q. 1, a. 3.

Status quæstionis: Communiter dicitur quod pænitens, virtute sacramenti pænitentiæ, fit ex attrito contritus. Sed quomodo hoc est intelligendum? Quæritur an ipsa attritio possit fieri contritio, ita scil. ut idem actus perficiatur, ac si dolor qui prius erat informis fiat formata, Hoc quidam dixerunt, in edit. leonina citantur in margine S. Albertus, Halens, S. Bonaventura, B. Innocentius V. Sanctus Thomas respondet: *Nullo modo attritio potest fieri contritio.* Dupliciter probatur, Hæc duo argumenta ad litteram sumuntur ex IV Sent., dist. 17, q. 2, a. 1, sed ibi argumentum « sed contra » scribitur ante solutionem primæ quæstionis et non clare constat quod sit proprie argumentum, potiusquam objectio opposita.

1° *in arg. « sed contra » ex diverso principio;* quia principium attritionis est *timor servilis,* seu pænæ, dum principium contritionis est *timor filialis* seu peccati. S. Thomas non dicit quod principium attritionis sit timor serviliter servilis, qui est malus, prout retinet affectum peccandi ut explicatur II-II, q. 19, art. 4; timor serviliter servilis est malus prout pœna timetur tanquam principale malum, majus quam culpa. E contra timor servilis, prout de eo nunc loquimur, est timor pænæ a Deo infligendæ, ob quam evitandam homo ad Deum convertitur et non retinet affectum peccandi. Attamen hic timor servilis seu pœnæ realiter distinguitur a timore filiali seu culpæ (cf. II-II, q. 19, a. 5). Si ergo aliquis convertatur ad Deum propter timorem pœnæ, erit timor servilis; si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis, nam filiorum est timere offensam Patris. Sunt duo principia distincta, et timor filialis est donum Spiritus Sancti cum caritate connexum, non vero timor servilis (II-II, q. 19, a. 9).

Propterea sanctus Thomas ostendit supra II-II, q. 19, a. 10, quod crescente caritate, crescit timor filialis, et minuitur timor servilis. Ibidem a. 8: Timor autem initialis non differt secundum substantiam a timore filiali, sed habet timorem servilem adjunctum.

2° Probatur conclusio in corpore articuli, magis directe; sic:

Quamvis idem habitus prius informis fiat formatus, *nunquam actus informis fit formatus, nam ille actus informis transit et non manet, veniente caritate. Atqui attritio et contritio non dicunt habitum, sed actum tantum. Ergo.*

Imo virtutes morales infusæ inter quas est pænitentia, non possunt esse informes, ut fides et spes, quia non antecedunt caritatem, sed eam consequuntur (III Sent., d. 27, q. 2, art. ult. qca 3ª), prout rectificatio circa media præsupponit rectificationem circa finem.

« Unde antequam gratia infundatur, non est habitus (pænitentiæ infusæ) a quo actus contritionis postea elicitur ». Sic actus attritionis non elicitur a virtute infusa pænitentiæ et proinde nullo modo attritio potest fieri contritio; dum e contra habitus fidei informis fieri potest formatus, quia idem manet. Contenson bene defendit hanc conclusionem contra Soto et Sylvium qui putant eam non esse universaliter veram (cf. Billuart).

Ad 2ᵘᵐ: « Dolor ille qui erat informis, non manet, caritate adveniente, et ideo formari non potest ».

Cajetanus [1] hanc quæstionem longe examinavit et tenet quod 1° *attritio impœnitentium non potest fieri contritio,* quia hæc attritio est displicentia peccati sub ratione non summe odibilis, contritio autem sub ratione summe odibilis.

2° *Attritio imperfectorum non fit contritio,* quia est displicentia confusa quæ distinguitur a displicentia distincta, quæ est contritio. Præeligo rationem S. Thomæ.

3° *Contritio informis* et *acquisita potest fieri contritio formata,* prout est ultima dispositio ad caritatem cf. IIIª, q. 89, a. 1 ad 2. Et in hoc Cajetanus non videtur omnino servare doctrinam S. Thomæ [2].

Quoad hoc ultimum dictum Cajetani notandum est: si contritio de qua est sermo est ultima et non penultima dispositio ad caritatem, tunc elicitur in ipso instanti infusionis caritatis, et igitur est contritio non amplius informis, sed formata, et non acquisita, saltem in hoc sensu

1 Notandum est quod Cajetanus scripsit opusculum *de Contritione,* quod est in editione Leonina operum S. Thomæ in fine IIIæ Partis ante supplementum, p. 341... In hoc opusculo evolvit quæstionem præsentem: an attritio possit fieri contritio (cf. ibidem p. 341, 342 n. IV).

2 Unde GONET, *de Pœnit.*, disp. VII, a. 2, n. 29, dicit: « Ex dictis inferes contra Cajetanum, attritionem nunquam posse fieri contritionem formaliter, quia cum differat essentialiter ... non potest una fieri altera per accessionem novi gradus, aut quid simile, sed opus esset mutatione essentiæ, quæ impossibilis est ».

quod procedit a caritate et a pænitentia infusa in ipso instanti earum infusionis.

Hæc ultima quæstio eadem est ac ea quæ ponitur a thomistis, in tractatu de gratia, ubi est sermo de justificatione impii, scil.: A quonam principio effective procedant *actus contritionis et caritatis, qui ultimo disponunt ad gratiam habitualem.* (Cf. Joannem a S. Thoma, Gonet, Billuart in tractatu de gratia, q. de justificatione: de ultima dispositione ad eam).

Non consentiunt omnino thomistæ:

Quidam dicunt *hi actus sic ultimo disponentes* procedunt effective ab auxilio actuali transeunter communicato, ita Cajetanus loc. cit. n. V fine, Joannes a S. Thoma, Contenson, Sylvius.

Alii ut Gonet, Serra, Goudin, dicunt *hi actus ultimo* disponentes ad justificationem sunt *effective a virtute infusa* caritatis et pænitentiæ, in ipso instanti infusionis.

Hæc secunda opinio videtur probabilior, quia generaliter: *ultima dispositio est in eodem instanti ac forma, eamque præcedit solum in genere causæ materialis,* sed eam sequitur in genere causæ formalis et efficientis, virtute principii: causæ ad invicem sunt causæ (cf. S. Thomam IIIª, q. 7 a. 7, a. 13, ad 2; q. 9, a. 3, ad 2; Iª, q. 76, a. 4, ad 1).

Et insuper S. Thomas dicit quod *contritio* est *meritoria* Iª IIæ, q. 112, a. 2, ad 1; 113, a. 6, 7, 8 et Suppl., q. 1, a. 2, sed contra: si autem est meritoria et non solum salutaris ut attritio, tunc supponit statum gratiæ, et in eodem instanti indivisibili producitur ac gratia habitualis. Hoc non videtur satis considerare Cajetanus in præsenti.

Sic melius apparet quare S. Thomas dixerit simpliciter: « nullo modo attritio potest fieri contritio » scil. *nunquam attritio potest fieri contritio,* sed attritus fit contritus, dum infunditur gratia habitualis et caritas.

Nunc videamus quomodo Concilium Tridentinum distinxit inter attritionem et contritionem, et quænam fuerit de hac re controversia post hoc Concilium.

* * *

De distinctione *inter contritionem perfectam et attritionem secundum Concilium Tridentinum (Denz. 898).*

Cf. J. Périnelle, O. P. *L'attrition d'après le Concile de Trente et d'après S. Thomas d'Aquin.* Bibliothèque thomiste, 1927. - Fr. Diekamp, *Theol. dogm. de Pœnitentia,* 1934, p. 283, 296, 303 sqq., 311 sqq.

Concilium post definitionem contritionis: « animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero », dat divisionem ejus sic: « Docet præterea sancta Synodus, *etsi contritionem hanc (prius definitam) aliquando caritate perfectam esse contingat* hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. *Illam vero contritionem imperfectam* (can. 5) quæ *attritio* dicitur, quoniam vel *ex turpitudinis peccati consideratione* vel *ex gehennæ et pœnarum metu* communiter concipitur, *si voluntatem peccandi excludat* cum *spe veniæ,* declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam *donum Dei* esse et *Spiritus Sancti impulsum,* non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pænitens adjutus *viam sibi ad justitiam parat.* Et quamvis sine sacramento pænitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pænitentiæ impetrandam disponit. (Sic Ninivitæ utiliter timore concussi post prædicationem Jonæ pænitentiam egerunt et misericordiam a Deo impetrarunt). Quamobrem, addit Concilium, falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, sacramentum pænitentiæ *absque bono motu suscipientium* gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit nec sensit ».

Ex isto capite ad minimum habentur hæc sequentia, scil. *contritio perfecta procedit ex caritate,* et cum voto sacramenti justificat ante receptionem ipsius. *Contritio imperfecta* seu *attritio non procedit ex caritate,* nec justificat, sed disponit ad gratiam per sacramentum suscipiendam, disponit in quantum est *motus bonus, actus liber voluntatis* ac *salutaris,* ab impulsu Spiritus Sancti moventis et nondum habitantis procedens.

Insuper quoad motivum objectivum attritionis Concilium Tridentinum clare notat tria:

1° *Attritio « communiter concipitur vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu »;* in quo textu distinguitur peccatum a pæna. Sic sunt gradus in attritione, et altior est ea quæ concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, ut peccatum est scil. ut est Dei offensa seu injuria, quam ea quæ conciperetur *solum* ex metu pœnarum, ex timore servili. Tunc non verificaretur definitio prius data ab ipso Concilio de contritione in communi, quæ debet esse « dolor et detestatio de peccato ». Imo timor pœnæ esset serviliter servilis et malus, si retineretur affectus peccandi, ut ad omnibus conceditur.

2° *Juxta Concilium, attritio debet excludere voluntatem peccandi,* et satis clare constat quod non excluditur voluntas mali *sine desiderio boni.* Hoc apparet præsertim ex definitione prius data a Concilio de contritione in communi scil.: « animi dolor ac detestatio de peccato commisso (non solum de pæna peccati) cum proposito non peccandi de cetero ».

3° *Juxta Concilium attritio debet esse cum spe veniæ*, id est includit actum supernaturalem spei informis, et a fortiori fidei informis. Ad actum autem fidei etiam informis requiritur juxta Concilium Arausicanum (Denz. 178) pius credulitatis affectus, seu appetitus boni credentibus repromissi. Et per actum spei, qui ad amorem concupiscentiæ pertinet, *desidero Deum mihi*, sed jam finaliter *propter Deum*, ut bene ostendit Cajetanus in II-II, q. 17, a. 5, n. VI, id est finis ultimus actus spei etiam informis non potest esse creatura, sic hic actus esset peccatum mortale, sed est Deus auctor gratiæ *inefficaciter dilectus* super omnia. Deus enim non efficaciter diligitur super omnia nisi adveniente caritate, qua diligimus Deum non solum finaliter, sed *formaliter* propter Deum.

Satis clare constat igitur ex Concilio Tridentino quod *attritio* ex una parte non procedit ex caritate, scil. ex amore efficaci Dei super omnia, nec ex altera parte sufficit *timor serviliter servilis,* qui est malus prout retinet affectum peccandi.

Sed *attritio* supponit actum fidei informis et spei informis, procedit ex consideratione turpitudinis peccati vel ex metu gehennæ, ac *excludit voluntatem peccandi.*

Difficultas: Id quod difficile explicatur est quomodo attritio possit *excludere voluntatem peccandi,* dum *homo nondum diligit efficaciter Deum super omnia,* imo dum adhuc est in statu peccati mortalis, et igitur cum voluntate directe aversa a Deo fine ultimo supernaturali et indirecte a fine ultimo naturali. In hoc est mirabilis effectus gratiæ actualis prævenientis. Semper difficile est explicare modum intimum secundum quem fit transitus ab uno statu ad alium vel ab uno ordine ad alium, v. g. ab ordine materiæ brutæ ad vitam vegetativam, ab ista ad vitam sensitivam (quomodo producitur vitalis species impressa sensuum a corporibus externis quæ ad inferiorem ordinem pertinent) vel etiam quomodo fit transitus ab ordine vitæ sensitivæ ad intellectivam. Ibi semper in modo intimo est mysterium jam in ipso ordine naturali, a fortiori in ordine supernaturali gratiæ de quo loquimur nunc.

Dubium: Unde post Concilium Tridentinum orta est quæstio: Utrum attritio concepta *ex solo metu gehennæ* (sine ullo Dei amore benevolo) *sit non solum bona et utilis* (et sic distincta a timore serviliter servili), sed *excludat omnem peccandi voluntatem,* ut ipsum Concilium postulat.

Cf. Billuart, *Curs. theol. de Pœnitentia,* diss. IV, a. 5, 7 et 8.

Insuper posita est quæstio infra solvenda: utrum ad justificationem cum sacramento sufficiat attritio pure formidolosa, an e contra requiratur aliquis Dei amor benevolus inferior caritate.

In hoc dissentiunt theologi, et Ecclesia noluit solvere quæstionem. Denz. 1146.

Ad has difficultates solvendas, videamus alia loca Concilii Tridentini quibus magis illustratur natura intima attritionis.

Dicitur in canone de attritione (Denz. 915) « Si quis dixerit, eam *contritionem,* quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ (Is. XXXVIII, 15) ponderando *peccatorum suorum gravitatem,* multitudinem, fæditatem, *amissionem æternæ beatitudinis et æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ,* non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum et non liberum ac volontarium, an. sit ». Hic fuit error Lutheri, jam damnatus a Leone X (Denz. 746).

Cf. etiam Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 6 (Denz. 798), ubi est sermo de præparatione ad justificationem adulti ante baptismum:

« Disponuntur ad ipsam justitiam (can. 7 et 9) dum excitati divina gratia et adjuti, *fidem ex auditu concipientes,* libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt (can. 12, 14)... *a divinæ justitiæ timore,* quo utiliter concutiuntur (can. 8) *ad considerandam Dei misericordiam* se convertendo, *in spem eriguntur* fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, *illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt* (1) *ac propterea moventur adversus peccata* per odium aliquod et detestationem (can. 9), hoc est, per eam pænitentiam, quam ante baptismum agi oportet (Act. II, 38); denique dum proponunt suscipere baptismum ».

In hoc textu notantur plures actus: 1° *actus fidei,* 2° *actus timoris pœnæ* (est metus gehennæ, ut dicitur, in can. 8 correlativo); 3° *actus spei,* 4° *amor Dei ut est fons omnis justitiæ* (quamvis non omnino constet quod distinguatur a desiderio summi boni incluso in actu spei), 5° *attritio,* et denique susceptio baptismi, quo justificatur hic adultus. Billuart, loc. cit., a. 7, notat: « His verbis Concilium requirit tres conditiones ad pænitentiam quæ agi debet ante baptismum (pro adulto) scil. *fidem,* cui conjungitur timor, *spem et inchoatam dilectionem;* atqui non minor, imo major requiritur pænitentia ad sacramentum pænitentiæ quam ad baptismum ».

Sed adversarii dicunt: Concilium esse intelligendum de amore spei seu concupiscentiæ (cf. Billuart, ibid.; de hoc infra).

Ad intelligentiam harum definitionum et declarationum Concilii tridentini de hac re, notandum est quod sunt præsertim contra doctrinam Lutheri, jam damnatam a Leone X (Denz 746), secundum quam « contritio quæ fit... ponderando peccatorum gravitatem... amissionem æternæ beatitudinis ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio (seu

1 In hoc insistunt illi qui tenent ad attritionem necessarium esse amorem Dei benevolum.

attritio) facit hypocritam, immo magis peccatorem ». Ratio est pro Luthero quia justificatio fit per solam fidem fiducialem etiam sine bonis operibus. Unde legitur in sua 11ª propositione. (Denz. 751): « Crede fortiter te absolutum (a Christo) et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione », et in 14° propositione: « Nullus debet sacerdoti respondere, se esse contritum, nec sacerdos requirere ». Hæ propositiones non sunt sine affinitate cum ista: « pecca fortiter et crede fortius » redemptionem per Christum et applicationem ejus ad te, per imputationem externam meritorum Christi.

Notandum est etiam quod *Petrus Lombardus* aliquo modo, sed indirecte, præludit errori Protestantium, prout docuit « absolutione *authentice ostendi* peccata dimissa esse » [1] ac si absolutio esset solum declarativa et non per modum *judicii* instrumentaliter remittentis peccatum. Sed hoc dixit Lombardus, non propter eamdem rationem ac postea protestantes, imo propter rationem oppositam, quia tenebat hominem teneri accedere ad pænitentiam *cum caritate habituali probabiliter existimata*, fere sicut tenemur ad sacram accedere mensam. Pariter S. Bonaventura, IV Sent., dist. XVII, q. 2, a. 3 et dist. XVIII P. I, q. 2, a. 1. Hæc sufficiunt quoad damnationem erroris protestantium de hac re.

De errore jansenistarum *circa attritionem, et de controversia occasione hujus erroris orta.*

Post Protestantismi apparitionem, quæstio de attritione agitata est a *Jansenistis. Vi principii de duplici amore* formulati a Baio, sub influxu protestantismi, omnia quæ facit homo procedunt *aut ex caritate,* et sic bona sunt, *aut ex cupiditate dominante,* et sic mala sunt. - Proinde Baiani [2], Jansenistæ, Pistorienses tenuerunt *timorem gehennæ esse malum* et requiri pro admittendis pænitentibus ad reconciliationem non modo contritionem caritate formatam sed et fervorem caritatis dominantis.

Cf. Errores Jansenistarum. Denz. 1305: Damnatur hæc propositio: « *Attritio, quæ ex gehennæ et pænarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis* ».

Hæc propositio damnatur prout est contra quædam verba Sacræ Scripturæ et contra doctrinam communiter receptam quod *timor servilis non est malus,* nisi sit *serviliter* servilis, scil. nisi retineat affectum peccandi, et timeat pænam ut summum malum, ut dixerat S. Thomas II-II, q. 19, a. 4. Sed Ecclesia damnans hanc propositionem Jansenistarum non affirmat quod attritio procedens ex solo timore servili, sine

1 IV Sent., dist. XVIII, n. 6.
2 Denz. 1023, 1025, 1036.

dilectione benevolentiæ Dei propter se, sufficiat cum sacramento ad justificationem. Ecclesia noluit solvere hanc quæstionem. (Denz. 1146).

Cf. propositiones damnatas Paschasii Quesnel (Denz. 1410): « Si solus supplicii timor animat pænitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem ». - Item inter errores pseudo synodi Pistoriensis (Denz. 1536) est iste: « pastorem animarum debere insistere *signis non æquivocis caritatis dominantis,* antequam admittat suos pænitentes ad sacramenta... Fervor caritatis dominantis debet præcedere absolutionem ». Item Denz. 1523, 1524, 1525.

Contra Jansenistas afferuntur verba Evangelii ex quibus apparet timorem etiam servilem esse utilem ad salutem: Matth. III, 7: prædicatio S. Joannis Baptistæ: « Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere *a ventura ira*? Facite ergo fructum dignum pænitentiæ ». Et ipse Christus dixit: « Sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam ». Mt. X, 28.

In sensu Jansenistis contrario erraverunt *laxistæ,* dicentes: Denz. 1207, « Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam ». Hæc propositio damnata est, ut minimum tanquam scandalosa et in praxi perniciosa.

Inter hos errores ad invicem oppositos non mirum est quod sæculo XVII et XVIII quæstio de attritione novo modo instaurata sit. Sic quidam augustiniani ut Berti, item Juenin, Morinus, dixerunt: ad attritionem cum sacramento necessariam, requiritur *actus caritatis remissus,* qui vi sui non justificaret. Hoc non videtur satis recedere a Jansenismo et non intelligitur *actus caritatis ita remissus* qui non justificaret. Communior autem sententia etiam illo tempore tenet non requiri *actus caritatis remissæ;* sed aliunde persistit controversia utrum *sufficiat amor Dei initialis qui in actu spei continetur* an requiratur aliquis *amor benevolus* qui tamen nondum est caritas. Billuart et plures alii responderunt affirmative, ita adhuc nostro tempore E. Hugon, Z. Sabo, J. Périnelle [1]. Alii negative.

Ecclesia, ut dicimus, noluit hanc controversiam dirimere (Denz. 1146).

Brevis classificatio errorum et opinionum prædictarum.

Possumus ad inveniendum culmen veritatis, quod debet esse inter ac supra errores ad invicem oppositos, hos errores damnatos classificare, et simul notare opiniones theologorum catholicorum secundum eorum tendentias. Hæ diversæ sententiæ scribi possunt secundum figuram trianguli, cujus extremitates baseos repræsentarent Jansenismum et Laxismum, et cujus culmen figuraret Doctrinam Ecclesiæ.

1 *L'attrition d'après le Concile de Trente et d'après St. Thomas d'Aquin.* Bibliothèque Thomiste, 1927, p. 96-105.

Ad attritionem quæ ad justificationem
cum sacramento sufficit

requiritur pro sequentibus:	*sufficit pro sequentibus:*
amor Dei benevolus a caritate distinctus (Billuart, Hugon, etc.)	*Detestatio peccati, quæ excludit voluntatem peccandi* etiam contra præceptum supremum. (Communius scholastici ante sæc. XVII)
actus caritatis remissus (Juenin, Morinus, Berti)	amor supernaturalis spei et timoris servilis seu attritio formidolosa
caritas habitualis probabilis (P. Lombardus et alii)	
fervor caritatis dominantis (Jansenistæ)	Attritio naturalis. (Laxistæ)

Videamus prius *sententias quæ nimis requirunt ad attritionem* et non satis agnoscunt vim sacramenti.

1° Secundum Jansenistas, ad attritionem requiritur *fervor caritatis dominantis;* 2° Juxta P. Lombardum et S. Bonaventuram requiritur *caritas habitualis* probabiliter existimata et jam justificans; 3° secundum Juenin, Morinum et Berti requiritur *actus caritatis remissus* qui vi sui non justificaret. Sic homo jam justificaretur sine sacramento.

Hæc omnes sententiæ rejiciuntur a Thomistis qui cum Billuart ac recenter Hugon, Perinelle, tenent tamen ad attritionem quæ cum sacramento justificat, requiri *amor Dei benevolus* a caritate distinctus. Cf. Hugon de Pænitentia (de attritione).

Per oppositum sunt sententiæ quæ *non satis requirunt aut videntur requirere ad attritionem* quæ est sufficiens dispositio ad sacramentum. Sic 1° Juxta laxistas probabilius sufficiebat *attritio naturalis, dummodo honesta;* 2° alii dixerunt sufficit ad attritionem *actus supernaturalis spei et timoris servilis,* sed non videntur satis admittere in ea exclusionem voluntatis peccandi; 3° Communius scholastici ante saec. XVII dixerunt: sufficit attritio *dummodo voluntatem peccandi excludat* [1].

Principalis difficultas quæ remanet secundum hanc tendentiam, ista est: quinam amor Dei requiritur ad excludendam voluntatem peccandi. Sufficit ne cum timore pænarum *actus spei informis* qui remanet in peccatore etiam antequam serio cogitet de necessitate conversionis suæ

1 Ita, ut ait P. HUGON loc. cit., ante sæc. XVII communius scholastici, etiam Scotus et Durandus, contra Lombardum et S. Bonaventuram postulantes caritatem habitualem probabiliter existimatam. Cf. SALMANTICENSES, *De pœnit.* disp. VII, n. 50.

hic et nunc. Ut notat Chr. Pesch (*Theol.* t. VII, p. 88) « homo vere attritus detestatur offensam Dei, vult sibi reddere Deum propitium, et *vult servare totam legem divinam, ergo etiam præceptum diligendi Deum super omnia;* et ita habet caritatem in voto ». Hæc autem sententia ut ait P. Hugon, l. c., p. 600, videtur esse quasi eadem ac sententia a Billuart admissa; id est si attritus nondum habet amorem Dei benevolum, saltem firmiter vult illum habere.

Ad ultimam solutionem hujusce quæstionis, sequentes conclusiones statuendæ sunt, 1ª de vi sacramenti; 2ª et 3ª de timore gehennæ; 4ª, 5ª et 6ª de aliquo amore initiali Dei (cf. Billuart et Hugon).

1ª *Conclusio:* Remissio culpæ principaliter producitur a sacramento pænitentiæ, et secundario a virtute pænitentiæ.

2ª *Conclusio:* Attritio ex metu gehennæ concepta, dummodo non sit serviliter servilis, est actus bonus, imo salutaris.

3ª *Conclusio:* Nihil obstat quod metus gehennæ, si sit efficax, ex se solo excludat privative voluntatem peccandi. Billuart, a. 6.

4ª *Conclusio:* Ad attritionem quæ cum sacramento justificat non requiritur amor caritatis quantumvis remissus. Billuart, a. 7.

5ª *Conclusio:* Ad eam requiritur supernaturalis actus spei, qui ad amorem concupiscentiæ pertinet.

6ª *Conclusio:* Probabilius ad eam requiritur aliquis amor Dei benevolus ab actu spei et ab actu caritatis distinctus, et sic non sufficit attritio pure formidolosa.

1ª Conclusio est S. Thomæ, IIIª, a. 6, q. 86: « *Remissio culpæ est effectus pœnitentiæ secundum quod est virtus, principalius tamen secundum quod est sacramentum* ». Ratio est quia omne sacramentum producit effectum suum *principalius virtute formæ* (quæ hic est absolutio), sed etiam virtute materiæ (quæ hic constituitur per actus pænitentis ad virtutem pænitentiæ pertinentes), qui sunt contritio jam perfecta, et satisfactio; confessio, quæ in peccatore antecedit absolutionem, nondum est actus virtutis.

Hoc est notandum ad non minuendum valorem sacramenti et non nimis postulandum pro ipsa attritione, quæ ut dixit S. Thomas, Suppl., q. 1, a. 2, ad 2um non est actus virtutis pænitentiæ quæ nondum infunditur.

In memoriam etiam revocandum est quod pro S. Thoma, Suppl., q. 1, a. 3 « nullo modo attritio potest fieri contritio » contra S. Albertum, Al. Halensem, S. Bonaventuram, B. Innocentium V (ut dicitur in editione leonina Supplementi). Ex hoc apparet quod S. Thomas minus requirebat pro attritione quam isti doctores.

2ª Conclusio (Hugon, l. c., 595): *Attritio ex metu gehennæ concepta, dummodo non sit timor serviliter servilis, est actus bonus et utilis ad salutem.* Non tamen ex hoc affirmatur quod sufficiat cum sacramento ad justificationem.

Hoc est de fide, nam Sacra Scriptura sæpe hortatur homines ad timorem, ut fugiant a ventura ira (cf. verba præcursoris, Mt. III, 7) et ut « timeant eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam » ut ait ipse Dominus, Mt. X, 28. Proinde Patres dicunt: timor pænæ a Deo infligendæ est utilis ad salutem, ducit ad caritatem. Ita Clemens Alex. Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus (cf. Journel, Index theol. 534).

Insuper hoc declaratum est ab Ecclesia in Concilio Tridentino 898, 915 et contra Jansenistas (Denz. 1305, 1410, ss. 1525).

Ratio theologica datur a S. Thoma II-II, q. 19, a. 4; est quæstio speculative difficilis ad vitandam confusionem inter bonum delectabile et bonum honestum, et præsentim subordinationem illicitam boni honesti bono delectabili. Profunde dicit S. Thomas ibid.: « Objectum timoris servilis est pæna, *cui accidit quod bonum* (delectabile) cui contrariatur pæna *ametur tanquam finis ultimis,...* vel *quod ordinetur ad Deum* ». Unde « servilitas non pertinet ad speciem timoris pænæ, sicut nec informitas ad speciem fidei informis », ut ibidem dicit Sanctus Doctor.

Ad hujus intelligentiam, *primo* notanda sunt duo quæ clara seu evidentia sunt, antequam ad punctum obscurum veniamus:

1° Evidens est quod *fugere gehennam*, prout ipsa est homini nociva, est *quid naturaliter bonum*, saltem ut *utile* ad beatitudinem saltem naturalem aut etiam in communi habendam. Et insuper fugere gehennam *non est quid inhonestum*. Imo dicit Dominus: « Timete eum qui potest corpus et animam perdere in gehennam ». Mt. X, 28. Sed hæc fuga gehennæ jam existit in timore serviliter servili illius qui retinet affectum peccati, et peccaret effective si non esset infernus.

2° Evidens etiam est quod *dolor et detestatio peccati* est quid *moraliter bonum*, seu *honestum* et non solum utile. Hæc detestatio peccati non est in timore serviliter servili, in quo retinetur affectus peccati quamvis non actus.

3° Punctus difficilis est: Estne moraliter bonum *ordinare dolorem ac detestationem peccati ad vitandam gehennam?*

Respondetur: Hic laudabile est, imo et salutare, *dummodo non excludatur*, ut in timore serviliter servili, *conversio interior peccatoris ad Deum, et hoc juvet ad hanc conversionem*. Sic non est indebita ordinatio boni honesti ad bonum utile et delectabile.

Ita pariter, non immorale est quod artifex ordinet artem suam ad pecuniam, dummodo non excludatur nobilior finis et hoc juvet ad honestam vitam familiæ.

Hæc quæstio non est absque similitudine cum quæstione de motivo Incarnationis. Secundum S. Thomam et thomistas, non perversum est ordinare nobilius (scil. Incarnationem) ad minus perfectum (nempe ad redemptionem nostram), dum modo non sit tanquam ad finem ultimum, ita ut excludatur altior finis gloriæ Dei, et dummodo Incarnatio ordinetur ad *nos* tanquam ad aliquid *perfectibile* et non tanquam ad aliquid *perfectivum*. Ita in nostra quæstione detestatio peccati ordinatur ad vitandam gehennam, et ad beatitudinem, ita ut sic adjuvetur desiderium beatitudinis non solum naturalis sed etiam supernaturalis (cf. Billuart, l. c., art. 5).

Objectio: Malum est ordinare detestationem peccati ad fugam pænae, quia peccatum est majus malum quam infernus. Ergo.

Responsio: distinguo antecedens: Si excludetur ordinatio ad ultimum finem, seu ad salutem consequendam, quod est desiderium spei, concedo; secus nego. Proinde malum non est pænitenti ordinare detestationem peccati ad fugam pænæ, quia id non impedit ordinationem ad ultimum finem consequendum, sed potius juvat. Brevius: timor servilis, qui non est serviliter servilis, non tendit ad fugam pænæ tanquam ad ultimum finem. E contra timor serviliter servilis sic exprimitur, retinendo affectum peccandi: Peccarem si non esset infernus. Ita artifex non potest ordinare artem suam ad pecuniam summo modo dilectam et hoc est malum; sed non est malum quod ordinet artem ad pecuniam non excludendo finem nobiliorem.

Instantia: Juxta S. Augustinus Enchir., c. 117, non datur medium inter cupiditatem et caritatem; et cupiditas est caritati contraria. Atqui timor gehennæ non procedit ex caritate. Ergo procedit ex cupiditate, sic est malus. Est objectio Baii et Jansenistarum, fundata in principio de duplici amore.

Respondetur: Distinguo majorem: Inter cupiditatem et caritatem non datur medium, *ex parte prævalentiæ in subjecto*, concedo: *ex parte ipsius actus*, nego. Etenim verum est effatum Augustini ex parte subjecti, prout omnis homo est vel injustus vel justus; si justus, in eo regnat caritas; si injustus, in eo regnat cupiditas. Sed *ex parte actus* non est idem, nam justus quandoque venialiter peccat, sic non omne quod facit procedit ex caritate. Et pariter non omne quod facit injustus procedit ex cupiditate inordinata, sed vel ex bono naturæ (ex naturali desiderio beatitudinis in communi) vel ex bono habitu remanente, v. g. ex spe informi (cf. Billuart, l. c., a. 5).

Sed fatemur timorem pænæ, quamvis sit actus bonus, non esse actum virtutis, quia, ut continentia, non facit hominem simpliciter bonum, nec est quid perfectum in suo genere scil. timoris et doloris. Sed *inducit peccatorem ut se convertat ad Deum*.

Dubium: Utrum metus gehennæ inducens peccatorem ut se convertat ad Deum, sit non solum ethice bonus, sed etiam *supernaturalis ac salutaris*, quamvis non meritorius.

Respondetur affirmative, contra Lutherum et Jansenistas (cf. Billuart, l. c., art. 3 et Hugon, l. c., 598). Ratio est quia inducit peccatorem

ut se convertat ad Deum finem ultimum supernaturalem, ac proinde provenire debet a gratia actuali, quia ordo agentium debet correspondere ordini finium. Insuper timor gehennæ non est in nobis nisi per fidem. Unde Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 6, dicit: « *Divinæ justitiæ timor, quo utiliter concutiuntur peccatores* »; scil. utiliter ad salutem. Et pluries in Sacra Scriptura dicitur quod *timor Domini est initium sapientiæ* Prov. 1; Ps. 110; quod verum est et de timore servili et aliter de timore filiali, ut explicat S. Thomas II-II, q. 19, a. 7: « Timor servilis est sicut principium extra disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore pænæ discedit a peccato, et habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum secundum illum Eccli. I: « Timor Domini expellit peccatum ». Timor autem castus, vel filialis, est initium sapientiæ, sicut primus sapientæ effectus... scil. ut homo Deo revereatur et se ei subjiciat ».

Profunde dixerat S. Thomas II-II, q. 19, a. 4: « Objectum timoris servilis est pæna, cui accidit, quod bonum (delectabile) cui contrariatur pæna ametur tanquam finis ultimus... vel quod ordinetur in Deum ».

3ª **Conclusio:** *Nihil obstat quominus metus inferni, si sit efficax, excludat privative ex se solo voluntatem actualem peccandi.* - Billuart, l. c. art. 6.

Agitur de exclusione voluntatis *actualis* non vero habitualis peccandi, quia voluntas habitualis peccandi est status peccati, qui non excluditur ante justificationem. - Agitur insuper de exclusione *privativa* non *contraria*. Exclusio contraria jam esset detestatio peccati ut offensa Dei est, et hoc probabilius supponit amorem Dei benevolum, ut infra dicetur. Exclusio privativa voluntatis actualis peccandi sic exprimi potest: depono omnem voluntatem actualem iterum peccandi.

1) In hoc sensu hæc conclusio probatur 1° ex Concilio Tridentino, sess. 6, can. 8 (Denz. 818): « Si quis dixerit *gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei* de peccatis dolendo confugimus, vel *a peccando abstinemus*, peccatum esse aut peccatores pejores facere, an. sit. ».

Ergo juxta Concilium potest dari metus gehennæ efficax, vi cujus a peccato abstinemus, sic excludit privative voluntatem actualem peccandi antequam sit detestatio de peccato.

Respondent Jansenistæ: Hic metus gehennæ cohibet solum actum exteriorem peccati, non voluntatem actualem internam.

Respondetur: Ecclesia non admisit hanc responsionem, et damnavit hanc 61 prop. Quesnelli: « Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur ». Denz. 1411 (cf. Augustinum, *Enarrationes* in Ps. 127: « cum homines continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ »).

2) Ratione probatur: Timor efficax supplicii temporalis excludit positive omne id quod conducit ad supplicium; ergo a pari timor efficax supplicii æterni. Atqui non solum peccatum exterius, sed omnis actualis affectus aut voluntas peccandi conducit ad supplicium æternum. Ergo.

4ª **Conclusio:** *Ad attritionem quæ cum sacramento justificat non requiritur amor caritatis quantumvis remissus seu debilis.* Contra magistrum Sententiarum et quorumdam antiquorum; quæ opinio est obsoleta.

Probatur. Non potest requiri ad justificationem cum sacramento actus qui jam ante sacramentum infallibiliter annexam habet justificationem, secus sacramentum pænitentiæ non esset sacramentum mortuorum, quod hominem transfert de morte ad vitam et Deo reconciliat, secundum Concilium Tridentinum; sic valde minueretur momentum hujusce sacramenti quoad remissionem peccatorum.

Actus autem caritatis quantumvis remissus est vera cum Deo amicitia, secundum quam homo est Deo gratus, seu in statu gratiæ. Plus et minus enim non diversificant speciem, in casu speciem caritatis. Hæc opinio igitur admitti nequit, et si quidam eam tenuerunt, probabile est quia nescierunt facere distinctionem inter hunc remissum caritatis actum et amorem Dei benevolum, distinctum a caritate et a spe, ut infra dicemus.

Attamen in instanti quo fit justificatio per sacramentum, pænitens elicit verum caritatis actum, et actum perfectæ contritionis, prout in hoc indivisibili instanti infunduntur caritas et pænitentia ut actualiter et libere operantes, non modo quasi mortuo (cf. S. Thomas I-II, q. 113, art. 8) de naturali ordine eorum quæ ad justificationem concurrunt.

Nunc autem loquimur de his quæ antecedunt justificationem prioritate etiam temporis, et si non requiritur actus caritatis quantumvis remissus, nec caritas habitualis probabiliter existimata ut putavit Lombardus.

5ª **Conclusio:** *Ad attritionem quæ cum sacramento justificat, requiritur actus supernaturalis spei, qui ad amorem concupiscentiæ pertinet.*

Hoc probatur ex Concilio Tridentino (Denz. 798): « Disponuntur ad ipsam justitiam (adulti peccatores baptizandi) dum excitati divina gratia et adjuti, *fidem ex auditu* concipientes,... *a divinæ justitiæ timore*, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, *in spem eriguntur*, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore ».

In hoc textu agitur, ut patet, post actum supernaturalem fidei, de actu supernaturali spei. Hoc eo magis intelligitur quod multi peccatores conservant, amissa caritate, fidem infusam informem et spem infusam informem.

Sed speciatim hic notandum est quod « spes pertinet ad amorem concupiscentiæ » ut ait S. Thomas II-II, q. 17, a. 8, « quia ille qui sperat, aliquid *sibi* obtinere intendit ».

Sed amor concupiscentiæ erga Deum obtinendum differt ab amore concupiscentiæ erga res nobis inferiores, nam desidero panem mihi et propter me, prout subordino panem mihi; dum desidero Deum mihi, non tamen propter me, scil. subordinando Deum mihi, sed jam ordinando actum meum spei ad Deum tanquam ad finem ultimum saltem inefficaciter dilectum super omnia; scil. quem vellem super omnia amare. Insuper, ut ait S. Thomas « spes introducit ad caritatem in quantum aliquis sperans remunerari a Deo accenditur ad amandum Deum et servanda ejus præcepta », nam homo tunc considerat quod Deus benefactor non solum bonus est propter beneficia promissa, sed in se ipso.

Attente dixit S. Thomas « spes pertinet ad amorem concupiscentiæ » non dixit: est amor concupiscentiæ; nam amor concupiscentiæ est quid generalius et præsuppositum, sicut, inter passiones spes ut passio præsupponit amorem et desiderium boni, sic non speramus scil. exspectamus nisi id quod amamus et desideramus; spes habendi doctoratum dicit quandam firmam exspectationem, quæ non est in simplici desiderio doctoratus.

In ordine supernaturali amor concupiscentiæ erga Deum, jam includitur initialiter in actu fidei sub forma pii credulitatis affectus, seu appetitus boni credentibus repromissi, secundum hæc verba Petri: « Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes ».

6a **Conclusio:** *Probabilius ad attritionem quæ cum sacramento justificat requiritur amor Dei benevolus ab actu spei et ab actu caritatis distinctus, sic non sufficit attritio pure formidolosa.* Billuart, l. c., art. 7, Hugon, l. c., p. 600 (cf. etiam Joan. a S. Thoma De pænit. d. 33, a. 4).

Probatur ex Concilio Tridentino, sess. 6, Denz. 798: « Disponuntur (adulti ad baptismum) dum excitati divina gratia ... libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt ... in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, *illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea* moventur adversus peccata per detestationem, hoc est, per eam pænitentiam quam ante baptismum agi oportet ».

His verbis Concilium Tridentinum requirit tres conditiones ad pænitentiam quæ esse debet ante baptismum, scil. *fidem* cui conjungitur *timor, spem et inchoatam dilectionem.* Atqui non minor, imo major requiritur pænitentia ad sacramentum pænitentiæ, quam ad baptismum.

Objiciunt adversarii: Concilium intelligendum est de amore spei seu concupiscentiæ.

Respondetur: Concilium requirit *inchoatam Dei dilectionem,* distinctam a spe prius enuntiata et a fortiori ab amore concupiscentiæ præsupposito ab actu spei. Ut dicit enim S. Thomas I-II, q. 62, art. 4, ad 3um: « Semper amor concupiscentiæ præcedit spem, nunquam enim

speratur aliquod bonum nisi desideratum et amatum ». Item I-II, q. 40, art. 7. — Insuper *diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem,* ut ait Concilium, non est ipsum diligere amore concupiscentiæ, sed amore benevolentiæ; nam hoc est non solum desiderare Deum sibi, sed velle Deo regnum justitiæ quod ei convenit. Et hoc fatentur Suarez et Tanner, citati a Billuart, l. c., art. 7, quamvis attritionem formidolosam defendant.

Instant adversarii: Concilium debet intelligi non de actuali amore benevolentiæ, sed de principio extrinseco hujus dilectionis, quod est propositum servandi mandata. Ita hodie Chr. Pesch, t. VII, p. 88.

Respondet bene Billuart, l. c., art. 7: Concilium exigit dilectionem actualem distinctam a proposito, quod eam non præcedit, sed sequitur et enuntiatur a Concilio, dum dicit deinde: « Denique dum *proponunt* suscipere baptismum, inchoare novam vitam et *servare divina mandata* ». Sicut enim, juxta Concilium, *ex initiali amore Dei benevolo* oritur detestatio peccati, ut est Dei offensa, ita ex detestatione peccati nascitur propositum non amplius peccandi, et servandi mandata.

Si autem ageretur de simplici proposito antequam quemlibet amorem Dei benevolum, Concilium improprie dixisset: « Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt », nam habere propositum aliquid faciendi nondum est illud incipere, vg. habere propositum scribendi librum nondum est illum incipere, nisi omnino improprie.

Item simplex propositum servandi mandata Dei in futuro, nondum est ipsum diligere de facto.

Instant adhuc adversarii: Concilium, agendo de amore Dei benevolo, loquitur de dispositione congrua tantum, non necessaria; nam inter prædictas dispositiones loquitur etiam de timore divinæ justitiæ, sine quo obtineri potest justificatio per sacramentum.

Respondetur: negatur antecedens, propter connexionem positam a Concilio inter hunc amorem Dei benevolum et detestationem peccati. Dicit enim: « Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, *ac propterea* moventur adversus peccata per odium seu detestationem, hoc est, per eam pænitentiam quam ante baptismum agi *oportet* ».

Unde amor Dei benevolus est necessarius sicut actus fidei, et spes veniæ. Imo juxta Pallavicinum L. 8, Hist., cap. 23, actus amoris huic capiti 6, sess. VI, insertus est a Patribus Concilii tanquam necessarius; « Visum est, inquit eminentissimus historicus Concilii, cum fide et spe jungere aliquem dilectionis actum, quia si pænitentia tota esset ex *timore sine amore justitiæ,* et dolor esset propter *pœnam* tantum, et *non propter Dei offensam,* infructuosa esset ».

Timor non est absolute necessarius, sed solent peccatores concuti timore divinæ justitiæ antequam veniant ad amorem Dei initialem.

Si autem amor Dei benevolus requiritur in adulto ad susceptionem fructuosam baptismi, non minor, imo major requiritur dispositio ad sa-

cramentum pænitentiæ. Non enim major est efficacia sacramenti pænitentia quam baptismi, imo minor; et est post baptismum major obligatio amandi Deum et ingratitudinem reparandi. Imo Concilium Tridentinum in prooemio sess. XIV de Pænitentia, revocat in memoriam ea quæ prius dixerat sess. VI de dispositione adulti ad justificationem per baptismum, unde nullum discrimen admittit quoad dispositiones utrique necessarias.

Præter prædictum testimonium Concilii Tridentini datur ne ratio theologica in favorem amoris Dei benevoli ad attritionem requisiti?

Ratio theologica principalis sic exponitur (Billuart, l. c., a. 7): Sine dolore et *detestatione peccati, ut est Dei offensa* nulla attritio sufficit ad justificationem cum sacramento. Atqui non potest esse dolor et detestatio peccati, *ut est Dei offensa, sine amore Dei benevolo.* Ergo.

Major: probatur ex Concilio Tridentino sess. 14, cap. 4 (Denz. 897), ubi contritio in communi (ante distinctionem in perfectam et imperfectam) definitur: « Animi dolor et detestatio de peccato »; non dicit Concilium de pœna peccati, sed proprie de peccato ipso. Peccatum autem theologice loquendo definitur *offensa Dei.* Cf. S. Thomam I-II, q. 71, art. 6, ad 5um: « A theologis consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensa contra Deum; a philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi; et ideo S. Augustinus convenientius definit peccatum ex hoc quod est contra legem æternam, quam ex hoc quod est contra rationem ».

Item dicit S. Thomas IIIa, q. 85, art. 2 et 3; q. 86, art. 3, ad rationem pænitentiæ requiri quod sit de peccato ut est *Dei offensa.* Revera hac ratione offensæ sublata, non habetur amplius peccatum theologice, sed habentur tantum ejus proprietates et effectus, ut quod sit contrarium rationi et nocivum peccatori. Cf. Denz. 1290 prop. damnata de peccato philosophico.

Propterea damnata est hæc propositio laxistarum (Denz. 1207): « Probabile est sufficere attritionem naturalem, dummodo honestam » ut esset dolor de peccato ut rationi contrario et peccatori nocivo. Sed hic actus ethice bonus nullam relationem seu proportionem haberet ad supernaturalem justificationem. Attritio, ut diximus, debet esse supernaturalis et salutaris, et igitur est de peccato non solum philosophice concepto, sed de peccato ut est Dei offensa, secundum ejus definitionem.

Minor autem est: non potest esse dolor et detestatio peccati, ut est Dei offensa, sine amore Dei benevolo.

Hoc est certum, nam ut dicit S. Thomas II-II, q. 25, art. 6, ad Ium: « Ejusdem rationis est odire malum alicujus et diligere bonum ejus ». Item I-II, q. 34, art. 4, odium enim alicujus mali nascitur ex amore boni oppositi; sic odio mortem, quia diligo vitam; doleo de malo Petri, quia amo bonum illius.

Proinde doleo de peccato ut est offensa contra Deum, prout, ut dicit Concilium Tridentinum « incipio diligere Deum tanquam fontem omnis justitiæ ». Ideo ibid. dixit Concilium: « propterea movetur (peccator) adversus peccata, per detestationem ». Hoc argumentum videtur etiam non solum probabile, sed certum. Non possum habere *detestationem injustitiæ* quin prius habeam *amorem justitiæ,* nec habere *detestationem injuriæ Deo factæ,* quin prius habeam amorem Dei ut est fons omnis justitiæ; quia inter diversos motus appetitus, primus omnium est amor. Nec amor Dei, ut est fons omnis justitiæ, est amor concupiscentiæ, sed *benevolentiæ.* Nam per amorem concupiscentiæ desidero Deum mihi, dum per hunc amorem diligo fontem justitiæ, in se objective, et volo quod justitia Dei ac jura ejus serventur.

Nondum tamen est caritas, quia nondum est *convivere* cum Deo, in communitate vitæ supernaturalis habitualis.

Confirmatur: Ut quis doleat de peccato sufficienter ad justificationem cum sacramento, debet magis dolere de majori malo scil. de offensa Dei et minus de minori malo, scil. de nocumento proprio, alioquin nequidem esset secundum rectam rationem. Atqui formidolose attritus sine amore Dei benevolo, doleret de peccato solum ut est malum hominis, non ut est offensa Dei.

Objiciunt: Ad attritionem non requiritur actus caritatis nequidem remissus. Atqui amor Dei benevolus jam esset actus caritatis saltem remissus. Ergo non requiritur.

Respondetur: Concedo majorem, distinguo minorem: Si jam Deus diligeretur ut amicus, concedo; secus, nego. Sic possum habere benevolentiam erga multos homines qui non sunt amici mei, nam ut dicit S. Thomas II-II, q. 23, art. 1, « Nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis enim mutua benevolentia *fundatur super aliqua communicatione* », super aliquam vitam communem, quæ exprimitur verbo convivere. Sic habeo benevolentiam erga plures philosophos et theologos qui non sunt amici mei, volo eis bonum, sed non habeo cum illis ipsum *convivere* ad amicitiam requisitum. Pariter peccator dum nondum est justificatus, sed solum dispositus ad justificationem dispositione non ultima, sed tempore prævia (cf. Billuart, l. c., a. 7).

Instantia: Sed non possum habere amorem Dei benevolum, quin ipsum accipiam a gratia actuali Dei, et ideo jam habetur *mutuus amor* inter Deum et hominem, imo Deus ipse prior dilexit me.

Respondetur: Nondum tamen est *convivere* seu communicatio formalis, in eadem *vita supernaturali* a Deo effective communicata, ut principium vitæ æternæ, seu beatitudinis, et ut ostendit S. Thomas II-II, q. 23, art. 1, ad amicitiam requiruntur tria: 1° quod sit amor benevolentiæ, 2° quod sit mutuus, 3° quod amor ille mutuus fundetur in communicatione ejusdem vitæ, ac beatitudinis, scil. in gratia habituali, ut est participatio divinæ naturæ, semen gloriæ, qua scil. constituimur filii Dei atque hæredes beatitudinis cælestis. Peccator autem attritus etiam

cum amore Dei benevolo nondum est filius Dei, sed est solum objectum ejus benevolentiæ, quæ disponit ad amicitiam. Item habeo benevolentiam pro aliquo theologo alterius regionis longinquæ qui scripsit bonum articulum in aliquo periodico, et ille pro me, sed non est alia relatio inter nos, non est amicus meus. Transitoria autem benevolentia disponit ad convictum habitualem praesidentis.

Convivere seu communicatio in bonis est *quid requisitum ad amicitiam ita quod non sit actus caritatis nisi Deus diligatur ut amicus.*

Sic objectum formale caritatis est *Deus* non solum *in se bonus et propter se diligendus, sed ut amicus,* alioquin caritas non esse amicitia. Si non ut amicus diligitur Deus, non amore caritatis diligitur, est quid requisitum, sicut si objectum divinum non est *obscurum,* non est objectum fidei; si aliquod bonum non est *præcognitum* nec dilectum est.

Ultima objectio: Talis conversio ad Deum per amorem benevolum super omnia tolleret in peccatore *aversionem a Deo* et proinde peccatum.

Respondetur: Tolleret aversionem actualem concedo: *habitualem,* nego. Attritus est sicut ille qui ex navicula periclitante insilit versus terram firmam sed adhuc est in navicula.

Ut animadvertit oretenus optimus revisor hujusce libri, facilius admittitur præsens thesis si consideratur id quod dicit S. Thomas II-II, q. 27, a. 2: « *Benevolentia* proprie dicitur actus voluntatis quo alteri bonum volumus. Hic autem voluntatis actus *differt ab actuali amore,* tam secundum quod est in appetitu sensitivo, quam etiam secundum quod est in appetitu intellectivo. Amor enim qui est in appetitu sensitivo, quædam passio est... *Sed amor, qui est in appetitu intellectivo etiam differt a benevolentia:* importat enim quamdam *unionem* secundum affectum amantis ad amatum; in quantum scil. amans æstimat amatum quodammodo ut *unum sibi,* vel ad se pertinens; et sic movetur in ipsum; sed *benevolentia* est simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præsupposita prædicta unione affectus ad ipsum. Sic ergo in dilectione, secundum quod est actus caritatis, includitur quidem benevolentia; sed dilectio sive amor addit unionem affectus. Et propterea Philosophus in l. IX Eth., c. 5, dicit quod *benevolentia est principium amicitiæ* ». Notandum est denique quod *attritio* vel contritio prout est materia sacramenti *debet esse explicita et formalis,* nec sufficit virtualis, quia materia seu pars intrinseca sacramenti non suppletur in alio; ita communiter theologi (cf. Galtier, op. cit., thesis XXVI).

Cf. Joannem a S. Thoma de pænitentia, disp. 33, a. 4, si attritio supernaturalis cum spe veniæ et efficaci proposito emendationis abest, etiam in ignoranti bona fide, fit sacramentum informe. Juxta thomistas gratia *efficax* ad attritionem supernaturalem, est *sufficiens* ad contritionem, et si homo post attritionem non poneret obicem, acciperet gratiam *efficacem* ad contritionem. *Ponere autem obicem* est malum unice proveniens a causa defectibili; *non ponere obicem* jam est aliquod bonum, proveniens a fonte omnium bonorum. Haec quoad attritionem sufficiunt, nunc agendum est de contritione.

Quæstio II. - Supplementi. — **DE OBJECTO CONTRITIONIS**

Art. 1: De malis pœnæ potest esse *dolor, non contritio;* quia durities malæ voluntatis quæ tollitur per contritionem est in malo culpæ, non pœnæ. Imo pœna est justa.

Art. 2: De peccato originali potest esse *displicentia, non contritio,* quia non provenit ex duritia nostræ voluntatis, sed ex vitiatæ naturæ origine contractum est.

Art. 3: De omni peccato actuali seu personali conteri debemus, nam in omni actuali peccato, etiam omissionis, est quædam duritia voluntatis. Unde contritio debet esse de omni peccato actuali.

Art. 4: An debeat esse de peccatis futuris? Non, quia peccatum nondum commissum non est expiabile. Sed qui dolet de peccato præterito, cavet futurum; et de eo non est contritio, sed cautio.

Art. 5: De alienis peccatis non est contritio, sed solum displicentia et dolor, quia peccata aliena non proveniunt ex duritia nostræ voluntatis, nisi sit influxus v. g. per modum exempli, aut ex voluntario indirecto.

Art. 6: An de singulis peccatis mortalibus requiratur contritio? Affirmative dummodo de eis memoriam habeamus, de aliis de quibus non est memoria implicite sic habemus contritionem.

Quæstio III. — **DE QUANTITATE CONTRITIONIS**

Quantitas contritionis potest esse *appretiativa, intensiva et extensiva.*

Appretiativa spectat *objectum plus æstimatum* quam quodvis aliud, etsi non toto animi conatu id fiat.

Intensiva spectat *subjectum* in quo magis radicatur et per gradus augetur.

Exstensiva spectat multitudinem peccatorum, de quibus habetur memoria.

Art. 1: Utrum contritio sit major dolor qui esse possit in natura. Hoc articulo illustrari potest dolor Passionis qui fuit de peccato.

Conclusio Iª: Dolor de peccato mortali, quod a fine ultimo avertit, debet esse omnium dolorum maximus appretiative. Ratio est quia sicut debemus diligere appretiative super omnia Deum, finem ultimum, ita summe dolere de peccato. Et hic fuit præcipuus dolor *Christi in passione,* qui tamen in eo non erat contritio, quia erat dolor de peccatis alienis. Sic communiter dicitur quod peccator debet sic detestari peccata ut pro nulla re mundi velit illa committere. Sic etiam dicitur in Lib. Joelis II: « *Convertimini ad me in toto corde vestro* » quod debet intelligi saltem de contritione appretiativa super omnia.

Confirmatur: De majori malo debet esse secundum rectam rationem major dolor, saltem appretiative. Atqui peccatum, ut Dei offensa et ut nos avertens a fine ultimo, est omnium malorum maximum. Ergo de peccato mortali debet esse maximus dolor saltem appretiative. Attamen, ut notant theologi cum S. Thoma hic ad 4um, collationes malorum in

particulari cum peccato non sunt faciendæ a pænitentibus præsertim ignorantibus, quia nesciunt satis distinguere inter appretiativum dolorem voluntatis et intensivum dolorem sensibilitatis. Unde confessarii non debent ab eis postulare an mallent hic et nunc mortem atrocissimam, jacturam honoris, vel omnium bonorum, etc. pati potius quam Deum offendere. Ut dicit S. Thomas hic ad 4um « affectus suos homo non de facili mensurare potest, et quandoque illud quod minus displicet, videtur magis displicere, quia est propinquius nocumento sensibili, quod magis est nobis notum ». Item dicit in *Quodl., I, art. 9:* « Sicut delectabilia plus movent in particulari considerata, quam in communi, ita terribilia plus terrent si in particulari considerentur... Et ideo descendere in talibus ad singula est inducere hominem in tentationem et præbere occasionem peccandi ».

Ita pariter mater christiana quamvis plus *intensive* diligat parvulum suum quem videt et tenet in manibus suis, quam Deum quem non videt; tamen, si vere est christiana, plus *appretiative* diligit Deum quam parvulum suum.

2a *Conclusio: Dolor de peccatis, qui est in parte sensitiva, non debet necessario esse maximus qui in ea esse potest,* neque ex redundantia, nec ex electione, ut ait S. Thomas. Ratio est quia: « Vires inferiores moventur vehementius ab objectis propriis, quam ex redundantia superiorum virium ». Similter nec requiritur summus dolor sensitivus qui est ex electione voluntarie assumptus, quia « affectus inferior non ad nutum obedit superiori affectui »; et « quia passiones a ratione sumuntur in actibus virtutum, secundum *mensuram quamdam,* quam quandoque dolor qui est sine virtute, non servat, sed excedit ». Sic sine peccato plures *magis sensitive* dolent de jactura bonorum temporalium quam de peccatis suis.

Sic excusandi sunt illi qui amarius et intensius sensibiliter deflent mortem parentum vel amicorum, quam Dei offensam et amissionem, dummodo magis appretiative Deum diligant quam parentes.

Dubia: Sunt plura dubia solvenda, ad ostendendam connexionem hujusce quæstionis de dolore confessionis cum allis de tractatu caritatis et etiam cum dolore passionis Domini N. J. C., in quo non fuit quidem contritio quæ non potest esse de peccatis alienis, sed in quo fuit maxime dolor et displicentia seu detestatio de peccatis nostris. Nunc autem cum Christus non sit amplius Viator non est amplius in eo dolor de peccatis nostris, sed displicentia et detestatio de peccatis, quæ remanet in beatis et etiam est in Deo. Notandum est quod *dolor* seu tristitia addit supra displicentiam et detestationem privationem et molestiam quamdam quæ non potest esse simul cum perfecta beatitudine cælesti.

Dubium 1um: *An dolor ac detestatio ipsius voluntatis de peccato* debeat necessario esse maximus omnium dolorum *intensive,* ut fuit in Christo dolor moralis in voluntate de peccatis nostris?

Respondetur negative: Hoc non est materia præcepti, sed finis ad quem tendere debemus. Nam intentio actus voluntatis provenit ex vehementia objecti ipsam moventis. Atqui peccatum in statu præsenti non est objectum vehementius movens voluntatem ad dolorem, quam quodvis aliud malum; nam objectum sensibile, ut est *propinquius* pro hoc statu, vehementius movet non solum partem sensitivam sed voluntatem nostram quam objectum spirituale. Sensibilia enim sunt immediate proposita sensibus, et volunta nostra in presenti statu operatur, prout ab ipsis aliqualiter dependet sicut cognitio nostra intellectualis. Pariter, ut dicitur II-II, q. 24, art. 8, non requiritur in statu præsenti quod amor caritatis sit in voluntate omnium maximus *intensive,* sed ad hoc tendit sanctitas, et ita est in cælo.

Confirmatur: Si ad contritionem requireretur dolor voluntatis *intensive* maximus omnium, ille qui hunc gradum doloris non haberet non justificaretur, dum alter quandoque cum dolore æque intenso justificaretur, v. g.: non justificaretur ille qui intensius doleret de morte patris quam de peccato, et alter justificaretur qui æque intense doleret de peccato, sed minus intense de morte patris sui. Unde non necesse est quod dolor *ipsius voluntatis* de peccato sit *intensive* omnium maximus. Convenit tamen ut pænitentes saltem conentur intensius dolere de peccatis quam de alia re mundi; sic magna gratia conceditur nobis quando magnum dolorem habemus de peccatis nostris. Imo inordinatum esset et illicitum si *eligeremus intensius dolere* de alio malo quam de peccato, quia hoc esset *judicare* esse aliquod majus malum quam peccatum, ideoque de ipso magis appretiative dolere. Non est idem quando major intentio doloris sequitur ex conditione naturæ.

Objectio: Deus est summum bonum, et peccatum mortale est summum malum. Ergo Deus est summe etiam intensive diligendus, et peccatum summe intensive detestandum.

Respondetur: Concedo antecedens; distinguo consequentiam: et hoc est materia præcepti, attenta conditione status præsentis, nego; et hoc est *finis præcepti,* ad quem tendere debemus et ad quem pertingimus in patria, *concedo.* Sic S. Thomas ostendit II-II, q. 184, art. 3, c. et ad 2um, quod perfectio caritatis etiam patriæ cadit sub præcepto supremo non ut materia (scil. non ut res statim facienda), sed ut finis ad quem omnes tendere debent, unusquisque secundum conditionem et vocationem suam.

2um Dubium: *An gaudium quod pœnitens habet de dolore,* nec non de spe veniæ et de liberatione a peccato *minuat displicentiam de peccato.* Respondetur negative « quia ei non contrariatur, sed eam *auget,* secundum quod omnis operatio augetur per propriam delectationem, ut dicitur in X Ethicorum, c. 5; sicut qui delectatur in addiscendo aliquam scientiam, melius addiscit, et similiter qui *gaudet de displicentia, vehementiorem displicentiam habet.* Sed bene potest esse quod illud gaudium

(spirituale et sanctum) temperet dolorem ex ratione in partem sensitivam resultantem ». Ita S. Th., Suppl., q. 3, a. 1, ad 3um. Hoc tamen ultimum non permittebat Christus durante passione, ut plenius sese dolori traderet.

Hoc melius explicatur IIIª, q. 84, art. 9 ad 2um « utrum pænitentia possit esse continua ». Augustinus dicit: « semper doleat pænitens et de dolore gaudeat ».

3um Dubium: An detestatio et dolor de peccato in Christo durante passione fuerit in voluntate ejus *omnium intensive maximus?*

Respondet S. Thomas IIIª, q. 46, art. 6 ad 4um: « Christus non solum doluit pro amissione vitæ corporalis propriæ, sed etiam pro peccatis omnium aliorum, qui *dolor in Christo excessit omnem dolorem cujuscumque contriti*, tum quia *ex majori sapientia* (seu cognitione gravitatis peccati et multitudinis peccatorum) et *ex majori caritate* processit, ex quibus dolor contritionis augetur (qui enim magis Deum diligit magis dolet de offensa Deo facta), tum etiam quia *pro omnibus peccatis simul doluit Christus*, secundum illud Isaiæ LIII, 4: « Vere dolores nostros ipse portavit ». Insuper ut dicitur ibid. q. 46, art. 8 « dum Christus erat viator non fiebat redundantia gloriæ a superiori parte animæ ad inferiorem » et libere noluit hanc redundantiam fieri ut plenius se dolori traderet ad perfectissimum holocaustum.

4um Dubium: Ad justificationem cum sacramento requiritur ne aliquis *gradus intentionis* in attritione.

Respondetur negative: nullus requiritur intentionis gradus attritionis, dummodo habeat aliunde conditiones requisitas. Hoc constat ex usu et praxi Ecclesiæ, et alioquin esset perpetua occasio scrupuli, nam hic gradus discerni non posset.

In q. 3 Suppl. articuli sequentes sunt sine difficultate.

Art. 2: Dolor spiritualis de peccato non potest esse nimius, bene tamen dolor sensibilis. Ratio primæ partis est, quia amor caritatis non potest esse nimius, et cum eo augetur dolor spiritualis de peccato.

Art. 3: Dolor spiritualis debet esse *major appretiative de peccato graviori* quam de alio; v. g. major de blasphemia quam de furto quamvis furtum magis adversatur humanæ æstimationi. Denique contritio debet esse de omnibus et singulis peccatis, saltem de his mortalibus de quibus habetur, post examen, memoria.

Contritio est necessaria non solum necessitatem medii sed præcepti et præceptum contritionis *per se obligat* in morali periculo mortis. Dicitur in l. Eccli, V. « Ne tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem ». Hoc præceptum obligat *per accidens* toties quoties requiritur status gratiæ ad aliquod aliud præceptum adimplendum.

De effectibus contritionis de quibus est sermo q. 5ª Supplementi agemus infra tractando de effectibus sacramenti postquam de confessione et de satisfactione.

CAPUT IV

DE CONFESSIONE

Breviter de ea solum agendum est notando ea quæ necessaria sunt quoad partem dogmaticam hujusce tractatus (cf. Suppl., q. 6, art. 11, Concilium Tridentinum, Denz. 899, 901, 916 sq.).

Confessio sacramentalis definitur (ex Concilio Tridentino 916, 917) accusatio propriorum peccatorum, post baptismum commissorum, legitimo sacerdoti facta, ad veniam per potestatem clavium consequendam.

Necessitatem confessionis negaverunt Wicleff (Denz. 587) et Protestantes. Lutherus tamen quandoque scripsit confessionem esse « afflictis conscientiis optimum remedium », sed alibi dixit: « Est cruentissima carnificina ». Calvinus contendit auriculam confessionem fuisse institutam ab Innocentio III in Concilio Lateranensi. Plures protestantes moderni, ut Ritualistæ, ejus utilitatem agnoscunt, sed ejus necessitatem rejiciunt.

Gratia claritatis, melius prius est agere de *ipsa confessione* in se et post ea *de modo confitendi secreto*, seu de confessione auriculari. Hæc distinctio fit *ab ipso Concilio Tridentino* N. 916 ut statim dicendum est.

Art. I. - Utrum confessio sacramentalis omnium et singulorum peccatorum mortalium post baptismum commissorum sit jure divino necessaria.

Cf. Suppl., q. 6, art. 1 et 2.

Responsio affirmativa est de fide. Concilium Tridentinum 916-917. « Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel *institutam* vel *ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi* soli sacerdoti quem Ecclesia Catholica ad initio semper observavit et observat, *alienum esse ab institutione et mandato Christi et inventum esse humanum;* an. sit ». In hoc canone agitur de ipsa confessione; in sequenti de ejus objecto. « Si quis dixerit *in sacramento pænitentiæ* ad remissionem peccatorum necessarium *non esse jure divino* confiteri omnia et *singula peccata mortalia* quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta..., an. sit ».

Explicatur: In his definitionibus 1° *agitur de jure divino positivo* secundum quod confessio sacramentalis est necessaria et quidem *stricte* sub pæna damnationis. Hæc necessitas oritur non jure naturali, sed ex institutione positiva Dei per Christum; ideoque quasdam patitur exce-

ptiones, pro his scil. qui invincibiliter ignorant hanc institutionem divinam; vel non habent copiam confessarii, hi justificari possunt, ut dictum est, per contritionem perfectam prout continet votum implicitum confessionis sacramentalis, seu votum faciendi quidquid est obligatorium ad salutem.

2° Agitur *de peccatis mortalibus* nam venialia possunt absque confessione remitti.

3° Agitur de *omnibus* peccatis mortalibus et de *singulis* distincte; scil. accusari debent, in quantum fieri potest.

Hæc veritas fidei sic definita a Concilio Tridentino antea declarata est pluries, locis indicatis in Denz. 145, 146 a Leone I, an. 459, 430, 437 (IV Conc. Later.), 699 (Conc. Florent.).

In deposito revelationis invenitur ne hæc veritas fidei saltem formaliter implicite.

Affirmative. Sic invenitur et in Sacra Scriptura et in Traditione.

1° in Sacra Scriptura: Ex qua constat quod Christus contulit Apostolis et eorum successoribus potestatem remittendi et retinendi peccata, secundum illud Jo. XX, 21-23: « Pax vobis... sicut misit me Pater, et ego *mitto* vos. Hæc cum dixisset insufflavit et dixit eis: accipite Spiritum Sanctum: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* et *quorum retinueritis retenta sunt* »; agitur de omnibus peccatis quæ salutem impediunt, sine restrictione.

Ut autem peccata possint aut *remitti aut retineri debent cognosci* sigillatim seu distincte, et quidem per confessionem pænitentis, qui solus peccata sua secreta revelare potest, aut externorum peccatorum veram malitiam, quæ ex interno voluntatis actu dependet (1).

Alioquin, causa ignota, *judicium æquum et sapiens* ferri non potest. Notandum est quod hic discursus circa hunc textum Sacræ Scripturæ est solum explicativus, vel ad plus subjective illativus, quia solum explicat quid omnino requiritur ut peccata possint juste et sapienter aut remitti, aut retineri. Non agitur de nova veritate a revelatione deducenda per discursum objective illativum.

Confirmatur: Illusoria esset potestas Apostolis et eorum successoribus concessa si Christus, sacrum tribunal instituendo, non præcepisset peccatoribus ad hoc recurrere, per confessionem qua peccata jurisdictioni pænitentiali subjiciuntur. Unde merito dicit Concilium Tridentinum 916: « Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino, an. sit ».

Sic sufficienter hæc definita veritas fidei invenitur in Sacra Scriptura, scil. plusquam *virtualiter-connexive,* ut esset conclusio theologica tanquam nova veritas deducta ex revelatis, id est *formaliter-implicite.* Hic

1 Hæc propositio, ad modum minoris formulata, est potius major præsupposita a Christo, tanquam veritas sensus communis omnibus nota, scil. non potest ferri judicium de re ignota.

discursus explicativus pulchre enuntiatur a Concilio Tridentino in cap. 5 de Confessione (Denz. 899).

2° In Traditione pariter exprimitur hæc fidei veritas, sed initio modo potius practico ac concreto, quam speculativo et abstracto. Praxis enim et obligatio confitendi peccata mortalia omni tempore in Ecclesia viguit, cum aliqua tamen modificatione accidentali, in modo confitendi sive publice sive privatim.

Etenim quatuor prioribus sæculis *prævaluit pænitentia publica,* cujus pars erat confessio peccatorum sive publica sive occulta. A quinto sæculo ad XII^um^ pænitentia minus rigorosa evadit et confessio *privata fit frequentior;* a sæc. XII denique *sola* remanet privata confessio et sastisfactio.

Cf. de hac re R. de Journel, *Enchir. Patrist.* in fine: index theologicus, p. 867, n. 536 sq. « Confessio aliqua non soli Deo facta sed externa (sacerdoti) requiritur ad remissionem peccatorum nonobstantibus aliquibus Chrysostomi locis et Nectarii historia... Requiritur etiam distincta accusatio peccatorum. Haec confessio potuit esse aut publica aut privata, et in hoc casu sacerdos non debet accusata peccata publicare...» (cf. Galtier, *De Pænitentia,* ubi *de Confessione,* et *Dict. théol.:* Confession, c. 838-894).

In prima periodo:

Per quatuor priora sæcula, existentia confessionis sacramentalis constat 1° ex ipsa pænitentiali disciplina, secundum quam episcopus imponit satisfactionem peccatis proportionatam et deinde prudenter absolutionem confert; hoc supponit necessario aliquam peccatoris confessionem factam episcopo.

Principalia testimonia a R. de Journel citata sunt: II sæc. S. Irenæi, qui loquitur de confessione ut necessaria ad gratiam recuperandam, III sæculo S. Cypriani qui agit de Confessione sacramentali facta sacerdotibus, Origenis, S. Petri Alexandrini; IV sæc. S. Ambrosii qui hortatur ad confessionem et repræsentat sacerdotes ut judices, S. Paciani. Item citatur ibid. N. 685, Aphraates, sapiens Persa dictus.

In secunda periodo (scil. a sæc. V ad XII).

Mitigatur disciplina pænitentialis et frequentior fit confessio. Hoc constat ex pluribus locis citatis a R. de Journel præsertim S. Augustini, qui prædicat duplicem pænitentiam, unam strictiorem, alteram mitiorem pro peccatis occultis (cf. Journel 1434, 1435. Cf. etiam Denz., n. 95, 145).

Ex hac immutatione disciplinæ pænitentialis, inter IX^um^ XII^um^ sæc. orta sunt quædam dubia in mente fidelium saltem in quibusdam regionibus, *circa necessitatem confessionis* sacerdotibus factam; cum enim haec esset veluti præparatio ad opera satisfactoria, quibusdam videbatur *ejus obligationem cessare,* jam abolita publica pænitentia. Prop-

terea Ecclesia non desiit prædicare necessitatem confessionis certis temporibus faciendæ, v. g. ante communionem paschalem; hoc constat ex libris pænitentialibus.

Jam quidem a sæc. V, S. Leo I (Denz. 145, 146) declaraverat: « Sufficit solis sacerdotibus indicari (singula peccata) confessione secreta ».

Concludendum est igitur: Ecclesia *tota sua agendi ratione profitetur* a primis sæculis, confessionem sacramentalem esse *medium divinitus* institutum, et quidem *necessarium,* iis omnibus qui post baptismum graviter peccaverunt. Hoc apparet prius *indirecte* ex eo quod confessio habetur ut conditio prævia ad *publicam satisfactionem et absolutionem* peccatorum necessaria; et postea magis *directe,* quando, mitigata pænitentiali disciplina, Ecclesia confessionem habet tanquam conditionem necessariam ad privatam pænitentiam et absolutionem. Imo habetur aliquod argumentum a fortiori ex hoc quod quatuor prioribus sæculis prævaluit pænitentia *publica;* quis enim humili confessione, cum hac pænitentia publica annexa, se submisisset, si aliud fuit medium minus laboriosum præter confessionem? Unde possumus dicere non solum Ecclesia prioribus sæculis admisit confessionem sacramentalem episcopo factam, sed etiam prævaluit hoc tempore pænitentia publica.

Sic necessitas juris divini confessionis sacramentalis est veritas fidei quæ sufficienter continetur in deposito revelationis, simul in Scriptura et in Traditione, dum absolute loquendo sufficeret Traditio ex praxi Ecclesiæ expressa.

Remanet specialis quaestio de *modo secreto confitendi.* An confessio secreta seu auricularis quæ hodie sola prævalet, etiam ab initio in usu fuerit.

Responsio est affirmativa et certa secundum Concilium Tridentinum (Denz. 916): « Si quis dixerit *modum secrete confitendi soli sacerdoti* quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, *alienum esse ab institutione et mandato Christi et inventum esse humanum,* an. sit ».

Hoc etiam historice constat, methodo regressiva, nam a sæculo V res est historice certa, et ab hoc sæculo ad tempora apostolica regredimur secundum diversa testimonia, quæ referuntur a R. de Journel præsertim n. 685, 553.

Sæculo V: S. Leo magnus (Denz. 145) declarat: « Reatus conscientiarum sufficit solis sacerdotibus indicari *confessione secreta* ».

Sæculo IV: S. Aphraates (Journel 685) inter alios testatur secretam viguisse confessionem, nam loquendo ad sacerdotes, eis præcipit ne aliis manifestent peccata in confessione revelata. Item S. Ambrosius (*Vita,* P. L., XIV, 40).

III sæc., idem constat ex variis testimoniis. Ita Origenes testatur suo tempore *publicam et privatam* confessionem fuisse in usu (Kirch, 216) Pariter S. Cyprianus (Journel 553).

II sæc. non invenitur quidem explicitum testimonium, sed cum jam III sæculo privata confessio in usu esset apud Græcos et Latinos legitime infertur eam usque ad apostolica tempora ascendere, prout revera docet S. Leo (Denz. 145) et Concilium Tridentinum (Denz. 916).

Concludendum est igitur quod privata confessio ab initio fuit in usu, sed propter impositionem publicæ pænitentiæ, plures peccatores a frequentatione sacramenti deterrebantur. Unde Ecclesia eam abolevit. Cf. Fr. Diekamp, *Theol. dogm., de Pœnit.* 1934, p. 321 ss., 327 sqq.; J. M. Hervé, *Manuale theol. dogm., de Pœnit.* 1926, p. 342-354.

Art. II. - **De convenientia et utilitate confessionis.**

Supplem., q. 7, art. 3, q. 9, art. 3 et 4.

Convenientia confessionis manifestatur tum ex parte Dei tum ex parte hominis.

1° *Ex parte Dei:* Confessio valde convenit prout est actus pænitentiæ, quae est quædam justitia erga Deum offensum. Etenim pro offensa *debetur Deo reparatio;* atqui in omni peccato est inobedientia et superbia, initium omnis peccati. Ergo convenientissime reparatio fit per humilem confessionem.

Objiciunt Protestantes: sufficit quod hæc humilis confessio fiat soli Deo, non sacerdoti.

Respondetur: conveniens reparatio multo magis fit per humilem confessionem et obedientiam erga confessarium cui revelantur peccata, ab eo prius ignota. Multi faciliter sese humiliarent coram solo Deo, cui jam omnia cognita sunt, et nolunt se humiliare coram Dei ministro; hæc humilis contritio esset vera reparatio peccati superbiæ et inobedientiæ.

2° *Ex parte hominis* convenit pariter confessio et hoc tripliciter.

1° Ad securitatem habendam de remissione peccatorum, nam absolutio sacramentalis est authenticum pignus divinæ condonationis invisibilis, post rectum judicium æqui judicis, qui est Dei minister.

2° Confessio utilis est *ad nos avertendos a peccato,* nam obligatio omnia peccata etiam secretissima aperiendi facit hominem vigilantiorem ut occasiones peccandi fugiat.

3° Confessio valde utilis est ut incitamentum *seu stimulus ad virtutem* sub directione confessarii, qui simul est dux spiritualis modo non solum generali sed particulari, amicus et adjutor nos impellens ad vitia expellenda et ad virtutes colendas.

Ex his omnibus sequitur utilitas confessionis pro ipsa societate domestica et civili, scil. ad dissidia componenda, ad inimicos reconciliandos, ad justam restitutionem faciendam, ad scandala vitanda aut reparanda. Et cum lex confitendi omnes afficiat, scil. divites et pauperes, superiores et inferiores, in memoriam omnibus revocat quod,

omnes sumus ut dicitur in Evangelio « servi inutiles » qui non debent in seipsis gloriari, sed solum in Domino.

In Supplemento, q. 9, art. 4, explicantur conditiones bonæ confessionis ut hos diversos effectus producat, et eo magis quo accuratius fit et cum majori contritione. S. Thomas in hoc loco explicat sexdecim conditiones ferventis confessionis quæ sic enuntiantur in quatuor versibus:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans et sit parere parata.

S. Thomas explicat quod dictarum conditionum pleræque sunt de necessitate confessionis, duæ sunt de bene esse ipsius scil. quod sit frequens et accelerata. Hoc prædicandum est in exercitiis spiritualibus.

Notandum est denique quod convenientia confessionis quodammodo apparet rationi naturali si rectitudinem suam servat. Hoc constat præsertim ex aliquo dialogo Platonis, cui titulus est *Gorgias*, est inter pulchriores dialogos Platonis. Non licet ignorare hunc dialogum, sicut nec licet ignorare finem Convivii, de amore Summi Boni.

Cf. Platonis Opera, ed. Didot, volumen III, p. 24, Argumentum seu compendium hujusce dialogi. In eo ostenditur *quod turpius est injuriam facere quam pati, et felicius est pœnam debitam portare quam eam effugere*. Unde, post crimen a se commissum, homo nefarius, suam culpabilitatem agnoscens, deberet ipse ad judices ire, suam culpabilitatem aperte declarare, et postulare etiam quod sibi debita infligatur pæna, ut rursus justitiæ statuetur ordo, ut ipse sceleratus, crimen suum sic reparando, in ordinem justitiæ rursus ingrediatur. Hic dialogus sic proponit in ordine naturali quamdam ideam justificationis per reparationem criminis, in justa acceptatione pænæ infligendæ. Conclusio dialogi deducitur ex hac propositione prius a sophistis concessa et quam postea Callicles voluit retractare: « *pejus est injuriam facere, quam pati* ». Si enim ita est: felicius est pænam pro crimine debitam subire, quam eam effugere. Ergo auctor criminis deberet potius ire ad judices ad pænam debitam subeundam, quam crimen suum abscondere ad pænam effugiendam.

Insuper in hoc dialogo, Socrates loquitur secundum traditiones religiosas *de remuneratione bonorum et de pœnis malorum post mortem:* Has autem pænas post mortem nullus malus poterit effugere.

Ergo oporteret in præsenti vita potius subire pænam, quam eam vitare.

Hæc autem veritas servatur in revelatione christiana, scil. in sacramento pænitentiæ, ubi etiam atrocia crimina sincere et secreto declarantur, et remittuntur cum pæna debita, sed propter infinita Salvatoris merita.

CAPUT V

DE SATISFACTIONE

Cf. Suppl., q. 12ª ad 15ᵃᵐ. Concilium Tridentinum, Denz. 904-906, et 922-924.

Art. I. - Quomodo definienda est satisfactio ut est pars sacramenti?

Ex ipso Concilio Tridentino eruitur hæc definitio: Satisfactio est voluntaria acceptatio seu toleratio pænæ a confessario impositæ, ad *compensandam injuriam Deo illatam, et solvendam pœnam temporalem* etiam post remissum peccatum ordinarie debitam.

In quo erraverunt Protestantes circa satisfactionem? Dixerunt peccatum non posse a Deo condonari quin simul sit plena remissio pænæ peccato debitæ: sic tollunt necessitatem purgatorii. Quare? Quia juxta eos ad justificationem plene sufficit *sola fides fiducialis* de remissione peccatorum nostrorum per infinitam Christi satisfactionem, qui omnia debita nostra solvit.

Hæc protestantium doctrina damnata est in Concilio Tridentino, Denz. 922: « Si quis dixerit *totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo,* satisfactionemque pænitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, an. sit ».

Hæc doctrina jam formulata est antea a S. Leone I (Denz. 146) et a Concilio Florentino, n. 699.

In capite correlativo, Concilium Trid. (Denz. 904) ait: « Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui *ante baptismum per ignorantiam* deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono *scientes templum Dei violare* (I Cor. III, 17) et Spiritum Sanctum contristare (Eph., IV, 30) non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta... in graviora peccata labamur... Hæ satisfactoriæ pænæ, cautiores et vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt... Sic conformes efficimur Christo qui pro peccatis nostris satisfecit, certissimam quoque inde arrham habentes quod, *si compatimur et conglorificabimur* (Rom. VIII, 17). Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, *eo* cooperante *qui nos confortat, omnia possumus* (Phil. IV, 13) ». Unde satisfactio consistit in bonis operibus,

quibus Deus vere colitur et quæ vim habeant ex meritis Christi. Denz. 904 sq. 923.

Notandum est quod Jansenistæ erraverunt in sensu opposito, contendentes pænitentes non debere absolvi nisi prius peracta laboriosa diuturnaque pænitentia ipsis injuncta (cf. Denz. 1306, 1308, 1437, 1535).

Art. II. - **An veritas fidei definita a Concilio Tridentino circa satisfactionem sufficienter inveniatur in deposito Revelationis formaliter - implicite?**

Respondetur. Ex Sacra Scriptura constat, tum factis, tum dictis non totam pænam semper condonari cum culpa.

In Veteri Testamento videmus Adamum in statum gratiæ restitutum, pænas temporales subire (Sap. X, 1-2): « Deus eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia », remanserunt tamen pænalitates vitæ, dolor et mors, ut pænæ peccati. Item Moyses postquam veniam peccati incredulitatis obtinuerit, in terram promissam in pænam peccati intrare non potuit (Num. XX, 12). David, in pænam peccati remissi, morte filii sui afflictus est (II Reg. XII, 13-14). - Protestantes objiciunt: hæ pænæ fuerunt solum in emendationem. - *Respondetur*: Fuerunt inflictæ et in emendationem et in castigationem peccati, ut ex contextu patet; et ex eo quod non solum adulti sed etiam infantes in pænam peccati moriuntur.

Insuper sæpe in prophetis sunt exhortationes non solum ad conversionem cordis sed ad opera satisfactoria. Cf. Joelis II, 12: « Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu et in planctu ». Daniel IV, 24: « Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum ». Apud Luc. III, 8: « Præcursor dicit: « Facite ergo fructus dignos pænitentiæ ».

Denique ipse Christus dixit Mt. X, 38: « Qui non accipit crucem suam et sequitur me non est me dignus ». Item Mt. XVI, 24; Mc. VIII, 34; Luc. IX, 33 et XIV, 27. Item pluries S. Paulus ait nos salvari non posse, nisi cum Christo patiamur et « adimpleamus ea quæ desunt passionum Christi in carne nostra, pro corpore ejus, quod est ecclesia ». Col. I, 24.

Ex his textibus colligitur Dominum non ita pro nobis satisfecisse, ut ab omni obligatione satisfaciendi liberemur, sed ut cum eo magis efficaciter peccata expiare valeamus. Sicut enim causa prima non reddit causam secundum inutilem, sed facit eam agere, communicando ei dignitatem causalitatis, ita Christus per respectum ad membra ejus corporis mystici.

Pariter in Traditione, Patres unanimiter opera pænitentiæ seu satisfactoria commendaverunt, ita Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus. Protestantes debuerunt hoc factum clare agnoscere.

Unde Concilium Tridentinum merito hanc veritatem ut veritatem fidei in deposito revelationis contentam definivit. Et addidit (Denz. 906): quod satisfacere possumus pro pæna peccatis nostris debita non solum

per satisfactionem sacerdotis arbitrio impositam aut a nobis sponte oblatam, sed per temporalia flagella a Deo inflicta et patienter a nobis tolerata.

Cf. circa flagella et castigationes hujus vitæ, Suppl., q. 15, art. 2.

Art. III. - **Ratio convenientiæ** hujusce satisfactionis apparet tam ex parte Dei, quam ex parte nostra, ut exponitur in Suppl., q. 13, art. 1, 2; q. 14, art. 1, 2; q. 15, art. 1, 2, 3 et in indice Summæ Theol. ad Verbum Satisfactio, n. 18-29.

Ex parte Dei convenientissima est satisfactio, ut jura justitiæ divinæ ut fieri potest salventur; non possumus quidem offerre Deo satisfactionem æqualem, quam solus Christus offerre potuit, sed cum Christo imperfectam. Sic etiam leges melius servantur in futurum a pænitente, alii etiam a malo avertuntur, et bonum societatis promovetur.

Ex parte pænitentis pariter convenientissima est satisfactio, quia ut dicit Concilium Tridentinum (Denz. 904) sic « magis a peccato revocatur, cautior et vigilantior efficitur ». Etiam ut ibid. dicit Concilium, sic affertur remedium pro reliquiis peccati, et vitiosi habitus paulatim tolluntur per exercitium virtutis oppositæ.

Contra Jansenistas, certum est quod pænitentes, qui votum satisfaciendi habent possunt absolvi antequam impleverint sacramentalem satisfactionem. Hoc constat ex praxi etiam antiqua Ecclesiæ. Denz. 1306.

Ratio convenientiæ est quod Ecclesia erga pænitentes imitatur Deum, qui perfecte contritis statim peccata remittit, etiam ante adimpletionem satisfactionis, ut constat in exemplo Davidis et testimonio Ezechielis XXXIII, 12: « Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua ». Deus perfecte contritis statim peccata remittit per infusionem gratiæ, sic remittitur simul cum culpa pæna æterna, non tamen semper tota temporalis pæna, ut dictum est.

Sic sufficienter exposita sunt ea quæ pertinent ad actus pænitentis quæ sunt materia hujusce sacramenti scil. ad contritionem imperfectam et perfectam, ad confessionem et ad satisfactionem sacramentalem.

CAPUT VI

DE EFFECTIBUS HUJUS SACRAMENTI

In hoc capite sunt quatuor sectiones:

1ª De remissione peccatorum mortalium, IIIª q. 86.
2ª De remissione peccatorum venialium, q. 87.
3ª De remissione pœnæ peccato debitæ, q. 86, art. 4 et 5.
4ª De reviviscentia meritorum, q. 89.

Quoad hos effectus oportet distinguere prout pænitens aut in peccato mortali versatur, aut jam est in statu gratiæ.

Si est in peccato mortali, 1° accipit *gratiam peccati remissivam,* quæ dicitur gratia resurrectionis, aut sanationis, aut reconciliationis, 2° accipit eo ipso jus ad *gratias actuales* tempore opportuno recipiendas, quibus pro peccatis præteritis pænitens satisfacere valeat et futura in posterum vitare; 3° accipit *remissionem pœnæ æternæ* et minuitur pæna temporalis peccato debita; 4° *denique reviviscunt merita* per peccatum mortificata.

Si autem pænitens jam est in statu gratiæ accipit 1° *augmentum gratiæ habitualis* cum jure ad gratias actuales contra peccatum; 2° *remissionem peccatorum venialium* quæ cum contritione confessus est; 3° partialem saltem *condonationem pœnæ temporalis.*

QUÆSTIO I. — DE REMISSIONE PECCATORUM MORTALIUM

Cf. IIIª, q. 86.

Art. 1. - **Nullum peccatum est irremissibile in via.** S. Thomas ostendit quod omnia peccata post baptismum commissa possunt per sacramentum pænitentiæ remitti dummodo cum sufficienti attritione recipitur

Hoc est de fide ut diximus Cf. Concilium Tridentinum n. 896 et antea Edictum S. Callisti et S. Gelasii, Denz. 43, 167.

Ratio est quia *peccatum hominis viatoris cujus liberum arbitrium flexibile est ad bonum et malum, est semper remissibile,* quantumvis sit grave. Sic differt peccatum viatoris a peccato dæmonum et damnatorum quorum affectus est confirmatus in malo, ita quod non potest eis displicere peccatum, in quantum est culpa, sed eis solum displicet pæna, ratione cujus aliquam pænitentiam sed omnino infructuosam habent.

Unde negare prædictam veritatem fidei esset negare liberum arbitrium viatoris, vel virtutem gratiæ.

Hæc virtus gratiæ pulcherrime exprimitur in hoc art. 1°, q. 86, inter ultimos quos dictavit S. Thomas. Dicit enim: « Per hoc derogaretur virtuti gratiæ, *per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad pœnitentiam,* secundum illud Prov. XXI, 1: « Cor regis in manu Dei, et quocumque voluerit, vertet illud ».

Unde omnis viator, quantumvis culpabilis, pænitere potest. Et *vera pœnitentia potest omne peccatum remittere.*

Hoc negare esset limitare infinitam Dei misericordiam, et valorem Passionis Salvatoris, ut pulchre dicitur in ultima parte corporis articuli.

Ad 3um peccatum contra Spiritum Sanctum est irremissibile, si est finalis impænitentia; antea vero difficile remittitur, quia non habet excusationem, et directe opponitur gratiæ qua remitteretur; sed tamen per specialem misericordiam aliquibus remittitur de facto.

Art. 2. - **Impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentia ut est virtus,** scil. sine immutatione et conversione voluntatis quæ prius erat aversa a Deo. Sed cum contritione perfecta, sufficit votum implicitum sacramenti pænitentiæ in his qui non possunt hoc sacramentum recipere.

Ad 1um notanda est magna differentia inter justificationem pueri et adulti. In parvulo dum baptisatur sufficit *habitualis* immutatio voluntatis per infusionem gratiæ, in adulto debet esse *actualis.*

Art. 3. - **Impossibile est per pœnitentiam unum peccatum sine alio remitti.**

Principalis ratio est quia omne peccatum mortale contrariatur gratiæ, et excluditur per infusionem gratiæ habitualis. Agitur solum de peccatis mortalibus. Dicitur enim infra q. 87, art. 3, ad 2um, quod unum veniale potest dimitti sine alio. Ad 3um omnia peccata mortalia non sunt connexa quantum ad conversionem ad bonum commutabile, sed sunt connexa quantum ad aversionem a Deo.

Secunda ratio est quod peccatum non potest remitti sine vera pænitentia ad quam pertinet peccatum detestari quatenus est offensa Dei. Atqui omnia peccata quibus homo avertitur a Deo, Deum offendunt; ergo non potest aliquis vere de uno peccato mortali pænitens esse quin de omnibus aliis doleat, saltem *virtualiter* imo *formaliter* si de eis actu cogitat.

QUÆSTIO II. — DE REMISSIONE PECCATORUM VENIALIUM

q. 87.

Art. 1. - **Utrum peccatum veniale remitti possit sine pœnitentia.**

Non requiritur sacramentum pænitentiæ, sed requiritur *quædam virtualis displicentia.*

Ratio est quia manente causa manet effectus, unde *quamdiu voluntas adheret peccato veniali hoc peccatum manet.*

Ut autem voluntas non amplius adhæreat peccato veniali, requiritur quædam *virtualis displicentia,* quæ est quid medium inter habi-

tualem displicentiam, quæ habetur per habitum caritatis et quæ non excludit peccatum veniale, et actualem displicentiam, quæ requiritur ut adultus transeat a statu peccati mortalis ad justificationem.

Quare pro remissione peccati venialis non requiritur actualis displicentia? Quia jam homo justus est, et sufficit quod feratur secundum affectum in Deum, sic virtualiter ei displicet quidquid retardat hunc motum ad Deum (cf. ad 3um).

Ad 1um justus potest vitare singula peccata venialia, sed non omnia. Debet habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda.

Ad 2um: Baptismus sanguinis purgat ab omni culpa et veniali et mortali.

Art. 2. - **Ad hoc quod peccatum veniale tollatur in justo, non requiritur quod infundatur gratia habitualis,** quia jam in eo est gratia habitualis, sufficit motus caritatis in Deum. Sed quandocumque homo justificatur, remittuntur ei etiam peccata venialia, quia non justificatur sine actuali motu libero in Deum.

Ad 2um: Quando peccatum veniale remittitur per sacramentum pænitentiæ, habetur augmentum gratiæ habitualis, et tunc remittitur ex opere operato saltem mediate.

Ad 3um: Ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiæ; sed ad tollendam maculam peccati venialis sufficit aliquis actus caritatis erga Deum, per quem removetur inordinata adhæsio ad rem temporalem.

Art. 3. - **Utrum peccata venialia remittantur per sacramentalia.**

Utique prout sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum. *Ad 2um* potest tamen impediri remissio *quantum ad aliqua peccata venialia,* quibus mens actualiter inhæret. Sic unum veniale potest dimitti sine alio (cf. q. præced., art. 3 et art. 4, ad 3um).

Art. 4. - **Veniale peccatum non potest remitti sine mortali peccato.**

Quia non potest remitti nisi per virtutem gratiæ seu motum caritatis, qui non possunt esse cum peccato mortali (cf. ad 2um).

QUÆSTIO III. — DE REMISSIONE PÆNÆ PECCATO DEBITÆ
q. 86, art. 4.

Sacramentum pænitentiæ semper remittit pænam æternam cum culpa. Hoc est fide sec. Concilium Trid. (Denz. 807). Ratio est quia remissio peccati mortalis fit per infusionem gratiae habitualis quæ tollit aversionem a Deo et nos facit filios Dei adoptivos cum jure ad æternam beatitudinem; ergo excludit pænam æternam quæ debetur peccato mortali, ut est aversio a Deo fine ultimo.

Hoc est exemplum conclusionis theologicæ quæ procedit ex duabus præmissis revelatis et quæ potest definiri ut dogma, ut generaliter tenent theologi (cf. Salmantic. *de Fide,* disp. I, dub. IV, n. 127).

Attamen sacramentum pænitentiæ non semper tollit totam pænam temporalem, sed eam minuit.

Hoc etiam est de fide sec. Tridentinum 896 contra Protestantes juxta quos remissa culpa non remanet reatus pænæ temporalis, ex quo inferunt non esse purgatorium.

Ratio est, ut dicit S. Thomas ibid. quia pæna temporalis debetur peccato ut est conversio inordinata ad bonum commutabile.

Atqui hæc conversio quæ est sive in peccato mortali, sive in veniali, tollitur per oppositum motum liberum conversionis ad Deum, et secundum intensitatem ejus. Sic per contritionem intensissimam tollitur etiam tota pæna temporalis, ita fuit in conversione S. Pauli et mulieris peccatricis.

Ad 2um: Remissio reatus pænæ temporalis pertinet ad gratiam cooperantem, in quantum homo cum ejus auxilio patienter pænas hujusce vitæ tolerat.

Ad 3um: Notanda est differentia inter baptismum et pænitentiam. « In baptismo homo participat totaliter virtutem passionis Christi et sic consequitur remissionem reatus totius pænæ, est donum primi adventus Domini in anima. In pænitentia vero consequitur virtutem passionis Christi secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia pænitentiæ... ».

Protestantes negando quod post remissionem culpæ sæpe remaneat reatus pænæ temporalis, negaverunt pariter purgatorium, opera satisfactoria et indulgentias.

Art. 5. - **Utrum remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati.**

Cf. Suppl., q. 30, art. 1 ad 2um.

Hac expressione « reliquiæ peccati » intelliguntur satis generaliter et debilitas spiritualis a peccato proveniens et quidam pravi habitus acquisiti, in via corruptionis, qui quamvis non sint amplius quid moraliter culpabile remanent ut *dispositiones in esse physico,* causatæ ex præcedentibus actibus peccaminosis. Sic ex præteritis peccatis quamvis remissis voluntas remanet proclivior ad peccandum, et intellectus quodammodo adhuc cæcus saltem obnubilatus.

S. Thomas dicit: « Nihil prohibet quin, remissa culpa remaneant *dispositiones ex præcedentibus actibus causatis, sed debilitatæ* ».

Ratio est quia hæ dispositiones sequuntur peccatum ut est conversio ad bonum commutabile *quæ non totaliter* tollitur dum tollitur aversio a Deo, nam aliqualis conversio ad bonum commutabile potest esse simul cum gratia habituali, ut patet in peccato veniali.

Quandoque tamen, ut in ferventissima conversione Pauli vel Magdalenæ tolli possunt omnes reliquiæ peccati.

Corollarium: Requiritur mortificatio ad tollendas progressive reliquias peccati, quæ disponerent ad rursus eodem modo peccandum.

Art. 6. - **Remissio culpæ est effectus pœnitentiæ secundum quod est virtus, sed principalius secundum quod est sacramentum.**

Nam sacramentum operatur principalius per formam scil. per absolutionem, quam per materiam, scil. quam per actus pænitentis qui procedunt a virtute pænitentiæ.

QUÆSTIO IV. — DE REVIVISCENTIA VIRTUTUM ET MERITORUM PER PÆNITENTIAM

Cf. S. Th., q. 89. Cf. Cajetanum, Joannem a S. Thoma, Gonet, Billuart.

1° Certum est quod peccata semel per pænitentiam remissa non reddeunt simpliciter per subsequens peccatum. Cf. S. Thomas, q. 88, a. 1: dicit Micheas, VII, 19: « Projiciet Dominus in profundum maris omnia peccata nostra ». Sed peccatum sequens est gravius propter ingratitudinem.

Id est peccata per pænitentiam prorsus in se abolentur et destruuntur: ita nihil eorum dicitur remanere in Dei memoria. E contra, ut statim dicendum est, et in hoc est magna consolatio, bona opera per peccatum mortificata non prorsus abolentur; sed ita manent semper in memoria et acceptatione Dei, ut, sublato peccato, reviviscant.

2° - Certum est quod virtutes infusæ per peccatum amissæ *restituuntur per pœnitentiam,* q. 89, art. 1; quia remissio peccatorum mortalium fit per infusionem gratiæ sanctificantis, ex qua sequuntur virtutes infusæ velut ejus proprietates (cf. Conc. Trid., Denz. n. 799).

Objectio: multi pænitentes post conversionem suam adhuc patiuntur difficultatem in operando actus virtutum. Hoc est signum quod non restituuntur virtutes infusæ quæ faciliter operantur.

Respondetur, secundum S. Thomam, q. 89, art. 1 ad 3um, remanet difficultas extrinseca, concedo propter reliquias peccati, ex parte subjecti; remanet difficultas intrinseca, nego; quia ipsa virtus infusa dat facilitatem intrinsecam ad actum suum.

S. Thomas quærit q. 89, art. 2: **Utrum post pœnitentiam resurgat homo in æquali virtute;** v. g. si cadit a caritate proficientis, resurgitne semper in caritate proficientis, an quandoque in caritate incipientis.

Respondet S. Thomas. — « Pænitens resurgit quandoque *in majori* gratia, quandoque *in æquali,* quandoque *in minori* ». Hoc innuit Concilium Trid. Denz. 799; agendo de justificatione adulti: « Unusquisque recipit justitiam secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult et *secundum propriam cujusque dispositionem* ».

Hic textus Concil. Trid. non favet opinioni Suarezii et plurium modernorum secundum quam post pænitentiam resurgit homo in æquali virtute, quantumvis sit remissa ejus contritio. Generaliter antiqui theologi loquuntur sicut S. Thomas.

Ratio est quia pænitens consequitur majorem vel minorem gratiam *prout contritio ejus est intensior vel remissior;* nam motus liberi arbitrii, qui est in justificatione impii, est ultima dispositio ad gratiam, et secundum majorem dispositionem datur major gratia.

Cf. *ad* 1um etiam electi non semper resurgunt in maiori gratia, sed in permanentiori gratia, quæ dicitur permanentior non in se (si non est major) sed ratione subjecti, seu hominis, qui fit cautior et humilior. Item S. Th. in Ep. ad Rom., VIII, 28.

Virtutes autem infusæ resurgunt in eodem gradu ac gratia habitualis cujus sunt proprietates. (Cf. Cajetanum).

Sic homo recuperat dignitatem filii Dei, non vero innocentiam (a. 3).

4° - Utrum opera bona seu merita mortificata per pœnitentiam reviviscant. art. 5.

In hac quæstione est aliquid communiter admissum a theologis, scil. quod hæc opera reviviscunt, sed disputatur de *modo et gradu* quo reviviscunt merita.

Ad intelligentiam quæstionis, notandum est prius quod theologi communiter distinguunt opera quadruplicis generis quæ homo ordinatus ad ordinem supernaturalem elicere potest; scil. opera viva, mortua, mortifera et mortificata.

Hæc divisio sic proponi potest ut fiat per membra ad invicem opposita:

Opera
- bona
  - quæ facta sunt *in statu gratiæ*
    - et non impediuntur a suo effectu meritorio: *opera viva*
    - et impediuntur a suo effectu: *opera mortificata*
  - quæ fiunt in *statu peccati*: *opera mortua*: etiam si sint salutares, ut actus fidei et spei, sed non meritorii.
- non bona, imo mala, quando sunt peccata mortalia dicuntur *opera mortifera* quibus destruitur vitæ gratiæ.

S. Thomas in art. 6 ostendit quod bona opera mortua per pænitentiam non vivificantur, quia transierunt et non remanent in acceptatione Dei, quia processerunt ut mortua, sed forte, ut ibid. dicitur ad 3um, ratione eorum tolerabilior erit pæna in die judicii.

Nunc quæstio est: an opera seu *merita mortificata* reviviscant, id est, an recuperent vim et efficaciam perducendi hominem, qui ea fecit, in vitam æternam.

1a Conclusio *est: merita per peccatum mortificata reviviscunt per pœnitentiam,* q. 89, a. 5. Hæc conclusio quamvis non sit de fide est tamen

certa et unanimiter asserta ab omnibus theologis ut dicit Billuart. *De pænit.*, diss. III, a. 5.

Patres utuntur duobus Sacræ Scripturæ textibus ad hoc probandum: In Heb. VI, 10, legitur « *Non injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis* ». Atqui, ut arguunt Patres et theologi post S. Epiphanium [1] hic agitur de operibus in gratia factis et mortificatis, nam S. Paulus scribit ad Hebræos quorum nonnulli in peccatum lapsi fuerant. Ergo reviviscunt merita mortificata, quasi remanserunt in Dei memoria. Et ea Deus remunerat.

Hic textus ad Heb. VI, 10, citatur a Concilio Tridentino (Denz. 809) agendo de merito bonorum operum. Insuper ad Gal. III, 4, S. Paulus, loquens de iis qui, post plura pro Christo tolerata, lapsi erant in Judaïsmum, dicit: « *Tanta passi estis sine causa! si tamen sine causa* ». Et circa hoc dicit S. Hieronymus: « Quicumque ob Christi fidem laboraverit et postea lapsus fuerit in peccatum sicut priora sine causa passus fuisse dicitur dum peccat, *sic rursum non perdit ea,* si ad pristinam fidem revertatur ».

Ita etiam S. Ambrosius et S. Chrysostomus citati a Billuart. l. c. - Suadetur etiam hæc conclusio ex Concilio Tridentino (Denz. 842) nam declarat bona opera justi « *vere mereri* augmentum gratiæ et vitæ æternæ consecutionem, *si tamen in gratia decesserit* ». Atqui ibi non exigitur ut a prima justificatione quis usque ad mortem sine interruptione perseveret, sed solum dicitur *si in gratia decesserit.* Ergo si quis mortaliter peccaverit et postea pæniteat, ejus merita reviviscunt.

Ratio theologica datur a S. Thoma, q. 89, a. 5, c.: hæc ratio suadet: Causa aliquomodo remanens, sed carens suo effectu propter impedimentum, eo ablato, debet, secundum quod remanet, effectum suum producere. Atqui merita mortificata, licet actu transierint, remanent *in acceptatione divina,* et per pænitentiam tollitur impedimentum peccati. Ergo merita mortificata reviviscunt, seu rursus effectum suum producere possunt.

Minor constat ex locis citatis Sacræ Scripturæ et Patrum scil. quod Deus de facto ex bonitate sua libere voluit acceptare merita ad præmium *pro semper* et non solum sub conditione perseverantiæ sine interruptione. Sic Deus, ut communiter dicitur, est proclivior ad præmiandum quam ad puniendum; et propterea non reviviscunt peccata, sed reviviscunt merita.

Insuper hoc ipso quod bona opera Deo semel placuerunt, nunquam illi displicent. Ita etiam sese gerunt sancti erga amicos qui eos offenderunt, restituta amicitia, sancti servant in memoriam non peccata præterita horum amicorum, sed eorum præterita merita.

Denique non plus valet culpa quam gratia; atqui culpa mortificat bona opera, ergo gratia ea rursus vivificat.

1 Hæres. 59, n. 2 P. G. XLI, 1019.

In quo gradu reviviscant merita?

Quæstio est: si aliquis habuerit v. g. quinque talenta et peccat mortaliter, resurgit ne semper cum quinque talentis, etiamsi habeat contritionem valde remissam? Sunt plures opiniones, præsertim tres.

1° - *Suarez* et multi recentiores tenent merita mortificata reviviscere quoad omnes gradus, *quantumvis sit remissa pænitentia.* Ita ut qui habuit merita ut quinque talenta, si resurgat cum contritione ut duo, habebit merita ut septem. - Hæc opinio non considerat quod quælibet perfectio recipitur in subjecto secundum ejus dispositionem et ideo in altiori gradu secundum meliorem dispositionem ut jam dictum est art. 2.

2° - *S. Thomas, communiter Thomistæ* et plures extranei, tenent merita reviviscere *secundum quantitatem præsentis dispositionis* seu pænitentiæ (cf. q. 89, a. 2 et 5, c. et ad 3um). Sed inter se dividuntur thomistæ ad hoc explicandum.

A. — Bannez, Sylvius, Contenson tenet quod, si contritio sit remissa (quamvis sufficiens), resurgens nihil recuperat de jure ad præmium essentiale præcedentibus meritis debito, sed tantum ad præmium accidentale, v. g.: qui habuit olim quinque talenta et habet contritionem ut duo, habet merita ut duo quoad præmium essentiale. Idem autem præmium essentiale confertur duplici titulo scil. meritorum præcedentium et dispositionis actualis. - Hæc opinio, quæ radicaliter opponitur opinioni Suarezii, videtur negare ipsam reviviscentiam meritorum, nam meritum definitur primo ut jus ad præmium essentiale.

B. — Sententia *probabilior* est: *Reviviscunt merita etiam ad præmium essentiale, non semper æqualiter ut erant, sed proportionaliter ad fervorem contritionis* [1].

Est sententia proposita a Soto, Alvarez, Gonet, Billuart; dum sententia Suarezii videtur peccare per excessum et sententia Bannez per defectum restringendo assertionem S. Thomæ (cf. Salmant. *De gratia:* de merito, disp. 5; Joannem ad. Thoma, *De Pænit.*, disp. 36, a. 2; Billuart, de *Pænit.*, diss. III, a. 5).

I. — *Probatur quod merita non semper reviviscunt in eodem gradu, quantumvis remissa sit contritio.* Hoc est contra Suarez et plures modernos. Ratio jam data est art. 2: scil. *causa non producit effectum in aliquo subjecto nisi secundum dispositionem subjecti.* Atqui contritio non solum est remotio impedimenti, sed dispositio ad reviviscentiam meritorum. Ergo hæc fit proportionaliter ad eam.

1 V. g. juxta D. Soto: Si contritio est *summa* seu perfectissima, recuperat integraliter antiquam gratiam (ut evenit pro Petro durante passione Domini); si contritio est *media,* restituitur medietas gratiæ; si est *quarta pars summæ,* seu valde remisa, restituitur quarta pars gratiæ pristinæ.

Confirmatur. 1° - Quia ubi non est specialis revelatio de aliquo puncto, debemus loqui de supernaturalibus proportione servata sicut de naturalibus, nam suavis Providentia disponit de supernaturalibus ad modum rerum naturalium. In ordine naturali, si aliquis habens optimum amicum, graviter ab eo offenditur, non restituitur in tota intimitate hæc amicitia si offendens non nisi remisse condonationem postulat.

2° - Sic salvantur jura tum misericordiæ tum justitiæ. 3° - Si merita semper reviviscerent in summo gradu, daretur occasio teporis; e contra præsens sententia inducit ad eliciendos actus ferventiores contritionis.

II. — Suadetur contra Bannez quod merita reviviscunt etiam ad præmium essentiale proportionaliter ad præsentem dispositionem, hoc sensu quod ultra jus ad gloriam essentialem correspondentem præsenti dispositioni, conferatur proportionaliter ad eam aliquid de jure ad præmium essentiale correspondens meritis reviviscentibus. Sed difficile est dicere præcise quid sit proprie hæc proportio gradus meritorum reviviscentium ad præsentem dispositionem.

Ratio hujus opinionis est quia alioquin reviviscentia meritorum non salvatur cum proprietate; debet esse *reviviscentia propria,* si non æqualis, ad minus proportionalis. Merita autem proprie reviviscere nihil aliud est quam ea iterum acceptari ad gloriam essentialem quam merebantur. Unde, si daretur solum æqualis gloria ac si merita non præcessissent, hæc merita non iterum acceptarentur ad gloriam essentialem, et igitur *non proprie reviviscerent* neque æqualiter ut erant, neque proportionaliter ad dispositionem præsentem. V. g. aliquis octoginta annis sancte vixit et in fine vitæ suæ peccat mortaliter, dum alter per idem tempus in luxuria vixit, uterque autem resurgit in eodem contritionis gradu ad quatuor; secundum Bannez sequeretur quod uterque acciperet eumdem gradum gloriæ essentialis. Hoc videtur inadmissibile.

Confirmatur: ex declaratione Pii XI in bulla Jubilæi 1924 (Denz. 2193): « quicumque enim pænitendo Apostolicæ Sedis salutaria jussa, Jubilæo magno vertente, perficiunt; iidem tum *eam,* quam peccando amiserant, *meritorum donorumque copiam ex integro reparant ac recipiunt,* tum de asperrimo Satanæ dominatu sic eximuntur, ut libertatem repetant, qua *Christus nos liberavit* (Gal., IV, 31) tum denique pœnis omnibus, quas pro culpis vitiisque suis luere debuerant, ob cumulatissima Christi Jesu, Beatæ Mariæ Virginis Sanctorumque merita plene exsolvuntur » [1].

1 Hæc verba Pii XI non sunt in favorem opinionis Suarezii, quia si ut vult Suarez semper merita ex integro reviviscerent, quantumvis remissa sit contritio. Pius XI non hoc citaret ut beneficium Jubilæi. Et hæc verba non favent opinioni Bannezii, quia ille qui facit bene quod faciendum est tempore Jubilæi etiam sine intensa devotione voluntatis, videtur, juxta hæc verba, recuperare secundum suam devotionem, omnia merita mortificata etiam quoad præmium essentiale, alioquin non diceretur « ex integro ».

Ex hac declaratione per pænitentiam, *saltem cum indulgentia jubilæi, reviviscunt merita ex integro, seu perfecte.*

Sic proportionaliter ad devotionem actualem, reviviscunt merita etiam ad præmium essentiale. Alioquin non proprie reviviscerent.

Alioquin, ut dictum est, in homine qui per octoginta annos sancte vixit, et postea mortaliter peccavit, nulla haberetur ratio præcedentium meritorum, et proinde non proprie reviviscerent. Sic misericordia Dei non proprie restitueret annos sanctitatis præteritos.

Nec sufficit dicere quod hic homo habebit majus præmium accidentale, quia merita *per se primo* respiciunt vitam æternam seu præmium essentiale, et ideo si illis non respondet speciale præmium essentiale, non proprie reviviscunt. Hoc videtur certum et si in hac quæstione de se valde obscura, negligitur id quod certum videtur, non possumus ad seriam probabilitatem pervenire.

Sic sententia proposita vitat nimium rigorem Bannezii et nimiam indulgentiam Suarezii. Per prædictum rigorem minuitur spes, et per nimiam indulgentiam peccatores fiunt præsumptuosi et bona opera negligunt. - Sic probabilius homo pænitens resurgit secundum fervorem dispositionis præsentis ad aliquem gradum præmii essentialis distinctum ab illo qui respondet præsenti dispositioni.

Objicit Bannez: S. Thomas dicit IIIª, q. 89, a. 5, ad 3um: « Ille qui per pænitentiam resurgit *in minori caritate* consequitur quidem præmium essentiale, secundum quantitatem caritatis in qua invenitur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima caritate factis quam de operibus quæ in secunda caritate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale ».

Respondetur: Hic textus potest interpretari in favorem utriusque opinionis, quamvis videatur favere opinioni Bannez. Sed potest sic intelligi: « ille qui per pænitentiam resurgit in minori caritate consequitur quidem *præmium essentiale* (correspondens scil. meritis antiquis de quo procedebat argumentum) secundum quantitatem caritatis in qua nunc invenietur ». Alioquin S. Thomas concederet quod merita non proprie reviviscunt. Dicit e contra in corpore art. « *reviviscunt* quia *remanent in acceptatione divina* » et remanent ut erant per respectum etiam ad præmium essentiale. Sed verum est quod hic pænitens resurgens *in minori caritate* de gradu majori non recuperato non habebit nisi gaudium accidentale.

Sic terminatur tractatus de Pœnitentia.

Cf. infra p. 422 *de reviviscentia sacramentorum.*

* * *

Quoad Indulgentias cf. Suppl., q. 25-27, ut videatur quamnam doctrinam tenebant theologi ante errorem Lutheri de hac re. Potestatem conferendi indulgentias negaverunt Waldeneses, Wicleffistæ, et Prote-

stantes. Concilium Tridentinum (Denz. 989) definivit hanc potestatem fuisse Ecclesiæ a Christo concessam. - Et indulgentia definitur: remissio pœnæ temporalis peccato debitæ, coram Deo valida, per applicationem thesauri Ecclesiæ, a Superiore legitimo extra sacramentum facta.

Hæc potestas fluit per modum corollarii ex tribus dogmatibus scil. ex superabundanti satisfactione Christi, ex potestate clavium et ex communione Sanctorum.

A sæculo secundo ad IVum concessio indulgentiarum apparet sub forma mitigationis *pœnitentiæ publicæ* intuitu intercessionis martyrum vel *quoad moribundos,* quo citius hi cælum ingredi possent. Sic jam condonabatur pars pœnæ, ideoque satisfactionis peccato debitæ, in favorem eorum qui ferventem vitam agebant.

A sæculo VII° ad IXum conceduntur indulgentiæ prout pænitentia canonica *commutatur* in alia opera mitiora, v. g. in visitationes basilicarum.

A sæculo XI° jam conceduntur *indulgentiæ proprie dictæ* seu remissio totalis aut partialis pœnæ peccato debitæ, præcipue ad promovendas expeditiones in terram Sanctam, aut ad debellandum contra Albigenses.

Initio sæculi XIV jubilæum institutum est cum plenaria indulgentia; mox statutum est ut Jubilæum celebraretur quolibet quinquagesimo anno; postea quolibet vigesimo quinto anno; tandem jubilaea extraordinaria concessa sunt. Est praxis salutaris et Concilium Tridentinum prohibuit quidquid superstitioni favere potest. S. Thomas Suppl. q. XXV, art. 1, ostendit quod indulgentiæ valent ad absolutionem non solum a pœnis canonicis, sed a pœnis purgatorii, et prosunt solum contritis et confessis (cf. Denz. 2193 de Indulgentia jubilæi, et *Dict. théol.* art. Indulgences) [1].

Plura de hac re S. Thomas ostendit *ibidem* q. XXV, XXVI, XXVII, scil. *Est in Ecclesia potestates dispensandi indulgentias* ex thesauro Ecclesiæ, scil. ex thesauro satisfactionum Christi et sanctorum. Hæc potestas conferendi indulgentias primario competit Summo Pontifici, et per ipsum in episcopos derivatur; non requiritur tamen potestas ordinis. *Indulgentia dividitur in totalem* seu *plenariam,* quæ sufficit ad tollendam tota pœnam restantem post culpam dimissam , et *in partialem. Ut indulgentia sit valida et rata requiruntur quatuor:* auctoritas in concedente, caritas in suscipiente, causa legitima, quæ sit scil. ad honorem Dei et Ecclesiæ utilitatem, et adimpletio operis injuncti. Unde indulgentia sine causa pia et rationalis est illicita et non est rata quantum ad remissionem coram Deo pœnæ, in hac vel altera vita luendæ (cf. Suppl. q. XXV, a 1 et 2). S. Thomas ostendit, Suppl. q. XXV, a. 3, quod licet pro temporali subsidio ad spiritualia ordinato indulgentias conferre, non autem pro temporali simpliciter. — *Indulgentiæ possunt applicari et prodesse defunctis, per modum suffragii.*

[1] S. Thomas, loc. cit. dicit contra eos qui docuerunt indulgentias valere solum ad absolutionem a pænis canonicis: « Hæc opinio non videtur vera. Primo, quia est *expresse contra privilegium Petro datum,* cui dictum est (Mt. XVI, 19) ut quod *in terra remitteret, in cœlo remitteretur...* Et præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens *magis damnificaret,* quam adjuvaret: quia remitteret ad graviores pænas, scil. purgatorii, absolvendo a pænitentiis publicis. Et ideo dicendum est quod indulgentiæ valent quantum etiam ad judicium Dei ».

Gratuito ergo et misericorditer Deus acceptat indulgentias applicatas defunctis; ea tamen acceptatione posita, intervenit justitia, quia satisfactiones de thesauro Ecclesiæ sunt justa compensatio et de condigno pœnarum quas defuncti pati debent in purgatorio. Cum autem Deus ex misericordia has indulgentias acceptat, non constat eum illas semper acceptare sive in toto sive in parte.

Dubium: In quonam sensu conceduntur pro defunctis indulgentiæ partiales v. g. *septem annorum.*

Respondetur communiter: Non in hoc sensu quod tot relaxentur anni de purgatorio quot remittuntur anni pœnitentiarum antiquorum canonum; acerbitas enim pœnæ unius diei in purgatorio, potest superare pœnas plurium dierum in hac vita, et incertum est quanto tempore qui lucratur indulgentias deberet pati in purgatorio.

Sed sensus est, quod remittatur tanta pœna peccatis debita coram Deo et in purgatorio luenda, quanta remitteretur per pœnitentiam unius vel plurium dierum, vel annorum, secundum antiquos canones imponi solitam. Quanta autem remitteretur, solus Deus novit.

DE EXTREMA UNCTIONE

SPECIATIM DE EJUS EFFECTIBUS

(Suppl. q. 30).

In C. Trid. (Denz. 926) definitum est contra protestantes quod extrema unctio infirmorum « est vere et proprie sacramentum a Christo D.no institutum et a B. Jacobo Apostolo promulgatum ».

Legitur enim in Epist. Jacobi, V, 14-15:

« *Infirmatur quis* in vobis? Inducat (seu vocet) *presbyteros* ecclesiæ et *orent super eum, ungentes eum oleo* in nomine Domini, et *oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei* ».

Si infirmatur, scil. graviter, voce presbyteros scil. sacerdotes rite ordinatos, ut constat ex locis parallelis (Act. XIV, 22; XV, 2; I. Tim. IV, 14; V, 17, 19). Orent super eum, ungentes eum oleo (hoc est signum sacramentale) et oratio fidei, scil. sacerdotis, salvabit infirmum, hoc intelligi potest a sanitate corporis; sed sequentia intelligi debent de gratia producta a prædicta unctione cum oleo scil.: « alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, remittuntur ei ».

Non agitur de gratia gratis data curationum, quia si de ea esset sermo, non presbyteri vocandi essent, sed qui donum curationum habebant; nec deberet præscribi determinata materia, quia hoc relinquebatur divinæ inspirationi. Insuper qui donum miraculorum exercebant nullo modo peccata remittebant per exercitium hujus potestatis.

Denique agitur de ritu in futurum servando, nam hæc verba S. Jacobi quibus promulgatur hoc sacramentum sunt generalia et naturaliter ad omnia tempora sese extendunt et insuper hoc traditione probatur.

Quoad traditionem cf. R. de Journel, Index Theol. n. 552.

Per quatuor priora sæcula, nonnisi obiter Patres de hoc sacramento loquuntur, non enim est sacramentum necessarium ad salutem, sed solum utile. Sunt tamen testimonia S. Chrysost. et Euchologion S. Serapionis IV sæc. Sæculo V, celebre est testimonium Innocentii I, de sancto oleo pro infirmis, quod est « genus sacramenti » (Denz. n. 99). Item in liturgia mozarabica, liber Ordinum de eo loquitur (cf. *Dict. Theol.* art. Extreme Onction).

Insuper est consensus utriusque Ecclesiæ, latinæ et grecæ, etiam schismaticæ et sectarum orientalium; ex hoc manifestatur antiquissimam esse administrationem hujus sacramenti.

Convenientia denique Extremæ Unctionis ostenditur a S. Th. Suppl., q. 29, a. 1, 2, 3, scil. Christus instituit sacramenta ut fidelibus subveniret in præcipuis vitæ circumstantiis et præcipuis difficultatibus.

Atqui in mortis articulo speciales sunt difficultates, in primis anxietates propter peccata præterita, pugnæ acriores contra tentationes diaboli, timor judicii divini, torpor mentis aut vivus dolor. Ergo si conveniens est baptismus, confirmatio, matrimonium, pænitentia, ita extrema unctio.

De materia et forma hujus sacramenti cf. S. Th. Suppl., q. 29.

Materia remota est oleum olivæ (c. Flor., Denz. 700) ab Episcopo benedictum (c. Flor. ibid.). Hæc benedictio requiritur ad validitatem (Denz. 1628). Materia proxima est unctio olei ab Episcopo benedicti; ex rituali sunt septem unctiones. Forma est deprecatoria juxta rituale Romanum, verba essentialia sunt: « per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti, Amen », Denz. 1996.

DE EFFECTIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS

Cf. Suppl., q. 30, a. 1 et 2. Sec. S. Thomam et communiorem sententiam « principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccatorum quoad *reliquias peccati* et ex consequenti quoad culpam si eam inveniat ». Imo tertio « sequitur corporalis sanatio quando hæc expedit ad spiritualem sanationem, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis ».

Sic enumerantur tres effectus: 1) tollere reliquias peccati et eo ipso confortare animam contra difficultates urgentes in articulo mortis; hic est effectus primarius; 2) remittere culpam etiam mortalem « si infirmus sit in peccatis » ut dicitur in Ep. Jacobi, V, 15, et hic effectus, cum sit conditionatus, non est primarius sed secundarius; nam effectus primarius modo absoluto producitur, dummodo non sit obex. Insuper extrema unctio est sacramentum vivorum, per se supponens statum gratiæ. Nec ordinatum est per se ad remittenda peccata venialia, quibus remittendis sacramentum pænitentiæ institutum fuit et plane sufficit; 3) tertius effectus est sanitas corporis, si animæ expediat, ex testimonio S. Jacobi et ex C. Flor. (Denz. 700) ac Trid. (Denz. 909). Hic effectus, ut conditionalis, est etiam secundarius et producitur sec. quod expedit ad principalem.

Hæc sententia quæ communior est, magis fundatur, ut patet quam opininio Scoti juxta quam effectus primarius est remissio peccatorum venialium, et quam opininio S. Bellarmini et Tournely, sec. quam effectus primarius esset remissio non solum venialium sed etiam mortalium, quæ per accidens non fuerunt antea remissa.

Speciatim explicandus est effectus qui est primarius sec. S. Th. et communiorem sententiam cf. Suppl., q. 30, a. 1, legere corpus art. cf. Billuart, *De Extrema Unctione*, diss. unica, art. IV.

Quid intelligendum est hic, sec. S. Th., per *reliquias peccati*. S. Th. hoc dicit in corp. art. in fine primæ sectionis: est debilitas spiritualis ex peccato proveniens, dicit: « est quædam debilitas et ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum ».

Item *ad* 2um in finem: « Reliquiæ peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictæ, quæ sunt quidam habitus inchoati, sed quædam debilitas spiritualis in ipsa mente existens, qua sublata, etiam eisdem habitibus vel dispositionibus manentibus (quæ in purgatorio postea tolluntur si remanent) non ita potest inclinari mens ad peccatum (inter tentationes in articulo mortis) ».

1um **Coroll.** indicatum ad 2um: « Extrema unctio peccatum tollit..., similiter diminuit reatum pœnæ temporalis, sed ex consequenti, in quantum debilitatem tollit, quia eamdem pœnam levius portat fortis quam debilis ».

2um **Coroll.** (ibid.): « Unde non oportet quod propter hoc minuatur satisfactionis mensura ». Billuart l. c. dicit: « Si remissio reatus pœnæ temporalis foret effectus principalis ac primarius extremæ unctionis, sequeretur quod infirmus recipiens hoc sacramentum cum debita dispositione, nihil amplius haberet luendum, sacramentum enim infaillibiliter operatur suum effectum primarium in subjecto bene disposito ».

1um **Dubium**: An extrema unctio tollat pravos habitus ex peccato relictos, qui vocantur etiam quandoque reliquiæ peccati.

Resp.: sec. communiorem sententiam Extrema unctio minuit tantum hos pravos habitus sic in esse physico remanentes in mente, et minuit eos per gratias actuales in hoc sacramento collatas. Quidam tamen affirmant hos pravos habitus tolli ab Extrema unctione. — S. Th. ad 2um in fine videtur admittere quod non tolluntur sicut tota pœna temporalis nisi per intensum amoris actum qui quandoque hoc momento elicitur.

Dubium secundum: an fidelis propter intensum fervorem cum quo recipit extremam unctionem possit totaliter liberari a purgatorio?

Affirmative, et hoc notandum est: in articulo mortis, ratione intensi fervoris, actus caritatis potest liberare a tota pœna purgatorii, præsertim si moribundus cum magno spiritu fidei et amore, seipsum intime unit cum missis quæ tunc celebrantur, scil. cum oblatione et sacrificio Christi, quod continuatur numerice idem quoad substantiam, modo incruento, in missis.

Ut autem hoc recte et profunde fiat convenit exhortari moribundum, ut faciat, in unione cum perpetua Christi oblatione, sacrificium vitæ suæ secundum quatuor fines sacrificii, scil. ut det cum Christo vitam suam in sacrificium adorationis, reparationis, supplicationis, ad obtinendam gratiam perseverantiæ finalis, et gratiarum actionis pro omnibus

beneficiis acceptis. Sic ratione intensi amoris Dei posset liberari a toto purgatorio, sec. illud Trid. (Denz. 940 e 950), « Sacrificium missæ non soli prodere sumenti, et pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offertur ». Ait etiam C. Trid. 799 (de justif. adulti) « unusquisque recipit justitiam sec. mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult et sec. propriam cujusque dispositionem et cooperationem ». Hoc verum est etiam pro remissione pœnæ temporalis.

S. Th. a. 1 ad 3 dicit quod gratia sacramentalis producitur per ultimam unctionem. — Minister est sacerdos et solus ille. Subjectum est homo graviter ægrotans. Hoc sacramentum, non imprimens characterem, potest reiterari quoties etiam, post reconvalescentiam, fidelis reincidit in periculum vitæ (Denz. 910).

DE ORDINE

Cf. S. Th., Suppl., q. 34, a. 1, 2; q. 35, a. 1, 2; q. 38, a. 1; q. 40, a. 4 et 5.

Ordo est sacramentum a Christo institutum, characterem imprimens, cujus complementum ultimum est gradus episcopalis, ita ut ad episcopum tamquam ad ministrum proprium pertineat hoc sacramentum conferre.

Ordo *in genere* est dispositio sec. prius et posterius per respectum ad aliquod principium; sic loquimur de ordine numerorum, dierum, sæculorum, de ordine causarum, de ordine civitatis aut regni, et etiam totius universi. Et ordo dicitur per prius de subordinatione quam de coordinatione, nam ut dicit S. Th. 1ª-IIªe, q. 100, a. 6 « primum est quod miles subdatur duci... secundum vero, ut aliis coordinetur ». Sic in aliqua diocesi, sacerdotes subordinantur Episcopo, et coordinantur inter se. Subordinatio ista sacra vocatur hierarchia quæ ex variis gradibus constat ad unum finem tendentibus, scil. ad sanctificationem animarum (Suppl., q. 34, a. 2, ad 4).

Ordo *est notio analogica,* quæ applicatur in diversis generibus rerum. Imo in rebus sacris ordo dicitur analogice proprie de tribus: 1) de ipsa sacra hierarchia; 2) de potestate sanctificandi et cultum ex officio exercendi; 3) de ordinatione seu ritu quo confertur potestas ordinis. Sic nomen effectus transfertur ad causam scil. ad ordinationem qua conferuntur diversi gradus ordinis clericalis. Agitur nunc de ordine ut idem sonat ac ordinatio. C. Trid. contra protestantes (Denz. 959, 963, 966) definivit quod Ordo est verum sacramentum a Christo institutum quo producitur character seu spiritualis potestas et gratia ad conficiendam Eucharistiam et ad alia sacramenta ministranda vel munia sacra rite obeunda.

Existentiam Ordinis negant generatim Protestantes, exceptis ritualistis. Contendunt enim omnes fideles vi baptismi sacerdotio instructos esse, nec egere nisi publica deputatione ut sacerdotale officium exerceant. Ita etiam modernistæ dixerunt sacerdotium esse institutionem mere ecclesiasticam (Denz. 2050, 2054, seq.). Hœc est hæresis proprie dicta, contra definitionem C. Trid. (Denz. 963) et Conciliorum præcedentium v. g. Florentini.

QUANDONAM ORDO INSTITUTUS EST A CHRISTO?

1) Apostoli fuerunt speciatim a Christo *electi* his verbis: Marc. I, 16-20: « Venite post me, faciam vos fieri piscatorem hominum ».

2) Postea Apostoli speciali ritu consecrati sunt et ad specialia deputati, dum Christus in ultima cœna dedit eis et eorum successoribus potestatem consecrandi Eucharistiam: « *Hoc facite in meam commemorationem* » (Luc. XXII, 19; I Cor. XI, 24). Hic textus citatur a C. Trid. (Denz. 949) ut continens ipsa institutionis verba et hoc est de fide (cf. Denz. 957 seq. et 963). His verbis Christus Apostolos instituit sacerdotes. — Postea eis dedit potestatem remittendi peccata, ut refertur in Evang. Jo. XX, 22: « Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt ».

Insuper sacerdotium sic institutum debet esse, sec. voluntatem Christi, perpetuum, ut perpetuo offeratur sacrificium Eucharisticum, et ut remitti possint peccata pænitentibus. — Denique ipsi Apostoli alios ministros instituerunt ritu quodam externo et visibili, scil. impositione manuum (Act. VI, 6; XIII, 3; XIV, 22; I Tim. IV, 14; II Tim. I, 6); sic sacerdotes a ceteris fidelibus discernebantur et his solis competebat officium regendi Ecclesiam Dei (Act. XX, 28) dispensandi mysteria Dei (I Cor. IV, 1) et offerendi dona et sacrificia (Hebr. V, 1).

An constet ritum, quo conferebatur hæc spiritualis potestas, esse vere et proprie sacramentum?

Utique, quia erat: 1° signum sensibile (impositio manuum); 2° productivum gratiæ; 3° a Christo institutum.

Quod hoc signum sensibile fuerit productivum gratiæ hoc constat præsertim ex duobus textibus S. Pauli (I Tim. IV, 14): « Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii ». Dicit etiam S. Paulus (II Tim. I, 6): « Admoneo te ut ressuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum ». Addit S. Paulus (I Tim. V, 22) quod hæc impositio paucis tantum et caute danda est. Sic jam ex S. Scriptura constat quod duplex potestas confertur sacerdoti in ordinatione: una in verum Corpus Christi ad illud consecrandum; altera in Corpus Christi mysticum ad illud pascendum et judicandum in foro interno. — Unde, ut ait Billuart, quamvis sacerdos ut sic, sit tantum ad sacrificandum, sacerdos tamen novæ legis et prout est a Christo institutus est ad sacrificandum et judicandum, sic est simul sacrificator et judex.

Unde Ecclesia distinguit sacerdotium proprie dictum a sacerdotio late dicto.

Quoad Traditionem R. de Journel *Ench. patr.,* Index theol. n. 553 seq. ostendit ex variis documentis Patrum quo ordo est verum sacramentum quo distinguuntur clerici a laicis; — quod Episcopatus, presby-

teratus et diaconatus constituunt ordines majores; — subdiaconi sunt adjutores diaconorum, tardius tantum ab Ecclesia instituti.

Jam sæculo II° et III° Patres clare dicunt aut supponunt ordinem sacerdotalem, seu sacram hierachiam, a laicis jure divino distingui, et ad sacram hierarchiam pertinere episcopatum, presbyteratum et diaconatum.

Sunt præsertim testimonia S. Clementis Romani, S. Ignatii, Tertulliani (cf. Journel). S. Ignatius ad Trallianos, II, 3 (Journel 48) vocat diaconos ministros mysteriorum Jesu Christi. Ex his text. constat sacerdotes habere potestatem consecrandi Eucharistiam.

Sæculo IV et V, diserte affirmatur impositione manuum conferri non solum potestatem consecrandi, sed et gratiam, cf. præsertim S. Chrysost. de Sacerdotio, III, 4, S. Aug. Contra epistolam Parmeniani, l. II, c. 13. Innocentius I aperte docet in ordinatione conferri « plenitudinem Spiritus sancti » Ep. 24 ad Alex. n. 4, P. L., t. 20, c. 550.

Hoc constat etiam ex universali Ecclesiæ praxi, quæ consignatur in libris liturgicis etiam antiquissimis utriusque Ecclesiæ græcæ et latinæ.

Convenientia hujus sacramenti explicatur a S. Th. Suppl., q. 34, a. 1. Ad divinam providentiam pertinet ut in societate ecclesiastica sint duces spirituales qui populum christianum regant, et qui ritu sacro et speciali ad hoc deputentur, accipiendo specialem potestatem et gratiam.

Estne de fide episcopatum et presbyteratum ad sacram hierarchiam pertinere? Est de fide definita in C. Trid. (Denz. 966): « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, an. s. ».

Ex hac definitione sequitur etiam ut quid theologice certum quod diaconatus sit sacramentum, quia inter ministros ad minus numerandi sunt diaconi.

Constat etiam ex pluribus aliis declarationibus antiquioribus quod Episcopatus, presbyteratus et diaconatus sunt divinæ institutionis (cf. Denz. 42, 305, 356, 958, 966) et quod subdiaconatus est etiam ordo major 45, 153, 305, 958. — Hierarchia continet etiam ordines minores 45, 153, 305, 958.

Certum est etiam (licet a quibusdam olim negatum, ut a Durando), diaconatum esse sacramentum. Hoc constat S. Scriptura (Act. VI, 17; I Tim. III, 8-13), nam per impositionem manuum ordinabantur; hoc apparet etiam ex praxi Ecclesiæ semper usitata ordinandi diaconos per manuum impositionem, et denique in Trid. ut dictum est.

Controvertitur num subdiaconatus et minores ordines habeant rationem sacramenti, et producant ex opere operato gratiam et characterem.

Multi, præsertim inter modernos, negant quia, ut aiunt, hi ordines instituti sunt ab Ecclesia in medio sæculi III tanquam partiones diaconatus. Hoc constat ex Epistola S. Cornelii papæ ad Fabium (Denz. 45 et longius P. G. XX, 622).

Alii tamen cum S. Th. (Suppl., q. 37, a. 2 ad 2um) putant hos ordines in fonte suo, seu in diaconatu, esse institutionis divinæ, et Christum reliquisse Ecclesiæ potestatem dividendi diaconatum in varios ordines inferiores quibus gratia conferri potest. Hæc opinio adhuc a pluribus consideratur ut probabilior. Illustratur a S. Thoma, Suppl. q. 37, a. 2, ad 2, et S. Doctor hos ordines considerat ut partes potentiales sacramenti Ordinis (cf. Billuart, de Ordine, diss. I, a. 3) sicut dantur partes potentiales animæ, scil. nutritivum, sensitivum sunt partes animæ intellectivæ. Ita etiam sunt pariter partes potentiales alicujus virtutis, scil. virtutes adjunctæ, quæ ordinantur ad aliquos actus secundarios, vel materias, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis, sic veracitas ets pars potentialis justitiæ, cf. IIa-IIae, q. 48, a. 1. Sic explicata hæc opinio vere probabilior videtur et longius defenditur a Billuart, loc. cit.

Alia controversia fuit circa episcopatum, scil. An episcopatus et presbyteratus sint duo ordines et duo sacramenta vere distincta; cf. Suppl. q. 40, a. 5 et Billuart, de Ordine d. IV, a. 2. — Quidam affirmant dicentes ab utroque producitur distinctus character. Ita S. Bellarminus, Tournely et recentius Perrone, Hurter. Alii vero scil. S. Th., cum quo citantur S. Alb., S. Bonav. Scotus, Soto, etc. negant cum aliqua distinctione.

S. Th. Suppl. q. 40, a. 5 dat duas conclusiones:

1a Episcopatus non est ordo, sec. quod ordo est *sacramentum*. Quia sacramentum ordinis ad Eucharistiam ordinatur (q. 37, a. 2 et 4). Atqui quoad consecrationem Eucharistiæ, Episcopus non habet potestatem superiorem sacerdote, ergo:

2a Episcopatus est ordo sec. quod ordo est *officium* respectu quarumdam actionum sacrarum. Sic enim Episcopus habet potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici, supra sacerdotem, ita ut simplex sacerdos non possit in aliqua diœcesi audire confessiones nisi accipiat facultates ab Episcopo.

Sequitur ex prima conclusione quod consecratio episcopalis non imprimit characterem.

Thomistæ, ut Billuart, hanc opinionem sic explicant: ordo dupliciter accipitur: 1° stricte ut sacramentum ordinatum ad Eucharistiam; 2° late, communius, sec. quod est officium respectu quarumdam actionum sacrarum. Item Episcopatus potest sumi dupliciter: 1° adæquate sec. omnem potestatem quam importat, scil. consecrandi, absolvendi, ordinandi, confirmandi et gubernandi; 2° inadæquate pro eo quod addit simplici sacerdotio, scil. pro potestate tantum ordinandi, confirmandi et gubernandi.

Et concludunt:

1° *Episcopatus adæquate sumptus* vere est ordo stricte sumptus seu sacramentum ordinis, quia essentialiter importat sacerdotium

quod est certe sacramentum. Hoc ab omnibus admittitur et sic C. Trid. dicit quod Episcopatus et presbyteratus ad sacram hierarchiam pertinent.

2° *Episcopatus inadæquate sumptus* pro eo quod addit simplici sacerdotio probabilius non est ordo stricte sumptus seu sacramentum ordinis, nec proinde ordo distinctus a sacerdotio, sed est ejus *extensio* et perfectissimum complementum.

Ratio hujus secundæ conclusionis est:

1° quod C. Trid. (Denz. 958) recensendo ordines, septem tantum numerat, omisso episcopatu. Atqui si episcopatus esset ordo distinctus a sacerdotio non essent solum septem ordines, sed octo.

2° ratio theologica ea est quæ jam data a S. Th. Suppl., q. 37, a. 2: Episcopatus non dicit specialem habitudinem ad Eucharistiam consecrandam, non enim potest Episcopus magis consecrare quam simplex sacerdos. Distinctio autem ordinum accipitur sec. habitudinem ad Eucharistiam consecrandam aut ad aliquod ministerium ordinatum ad sacramentum Eucharistiæ, quæ est finis cœterorum et sacramentum sacramentorum.

Unde Episcopatus non potest esse nisi complementum sacerdotii, quo scil. fit potens alios ad Eucharistiæ ministerium ordinare.

Confirm. Alioquin si Episcopatus esset ordo proprie dictus, distinctus a sacerdotio, esset illi inferior, nam potestas consecrandi Corpus Christi est longe excellentior quam potestas consecrandi sacerdotes et calices. Potestas in Corpus Christi naturale, quam confert sacerdotium longe præstat potestati in Corpus Christi mysticum quam confert Episcopatus.

Objicitur. Episcopatus continet sacerdotium, sicut sacerdotium diaconatum. Atqui hi duo ultimi ordines sunt distincti. Ergo pariter.

Resp. nego paritatem, episcopatus enim continet sacerdotium non solum eminenter virtualiter, sed eminenter formaliter ita ut non possit esse episcopus sine sacerdotio; sic ille qui non est sacerdos non potest valide fieri Episcopus, dum ille qui non est diaconus (sed solum subdiaconus) potest valide fieri sacerdos.

Alia obj. Consecratio episcopalis confert characterem specialem, quia dat specialem spiritualem potestatem ad ordinandum et confirmandum.

Respondetur: Ad hoc sufficit quod episcopatus sit complementum intrinsecum sacramenti ordinis; sic *per consecrationem episcopalem non confertur specialis character, sed extenditur character sacerdotalis*, per realem et physicum modum ad ministeria ulteriora, sicut in ordinatione presbyteri character sacerdotalis ad consecrandum extenditur ad absolvendum, quando dicitur: « Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, etc... ». — Et sufficit quod episcopatus sit complementum intrinsecum sacerdotii, ut conferat gratiam, sicut satisfactio sacramentalis post absolutionem.

Unde probabilius episcopatus non est ordo stricte dictus nec sacramentum distinctum a sacerdotio, sed ejus extensio et *perfectissimum complementum.*

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI ORDINIS

Cf. S. Thomam Suppl., q. 34, a. 4 et 5, et q. 37, a. 5.

Status quæstionis. Non sine difficultate est hæc quæstio, quæ fuit disputata sæculo XIII, et etiam nunc remanet controversia. In S. Scriptura II Tim. I, 6, non alia materia Ordinis datur nisi manuum impositio et per novem priora sæcula *sola manuum impositio* fuit adhibita ut materia in utraque Ecclesia. A sæculo decimo, *porrectio intrumentorum*, scil. calicis et patenæ pro sacerdotibus, traditio Evangelii pro diaconis, in Ecclesia Latina, non autem in Græca, usurpata fuit. Quæritur ergo: quænam est materia essentialis?

Variæ sententiæ. Sunt tres præcipuæ: duæ extremæ ad invicem oppositæ et inter eas tertia quæ illustratur a superiori principio:

1.ª Sententia: *Sola impositio manuum est materia essentialis*, quia ipsa sola fuit adhibita per novem sæcula tum in Oriente tum in Occidente; proinde porrectio instrumentorum est solum ritus ecclesiasticus, sæculo X° introductus ad clarius designandam potestatem ordinatione collatam.

Ita docuerunt S. Bonaventura, Durandus, S. Alphonsus, Franzelin, Palmieri, Pesch, Gasparri, fere omnes recentes theologi, canonistæ et liturgistæ.

Sed pro ista sententia magna difficultas est, quæ oritur ex ejus oppositione ad Decretum Concilii Florentini pro Armenis, ut statim dicendum est.

2.ª Sententia: *Sola traditio vel porrectio instrumentorum est materia essentialis Ordinis.* Ita Capreolus, Dominicus Soto, Vasquez, Gonet etc. Hi invocant Concilium Florentinum (Denz. 701) in quo dicitur, in Decreto pro Armenis: « Sextum Sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenæ cum pane porrectionem ».

Defensores hujusce secundæ sententiæ dicunt contra præcedentes: in hoc textu non agitur de materia accessoria vel accidentali, quia ibidem C. Florentinum assignat essentialem materiam et formam aliorum sacramentorum.

Recenter defensores primæ sententiæ responderunt: hoc Decretum ad Armenos in Conc. Flor. est solum instructio practica accessoria, alioquin esset error historicus in ipso Concilio [1].

E contrario plures ostenderunt hoc Decretum Conc. Flor. esse proprie actum Concilii œcumenici et habere auctoritatem non solum disciplinarem, sed vere dogmaticam [2]. Hoc patet ex ipsis verbis initii hujusce decreti: « Ecclesiasticorum sacramentorum *veritatem* pro ipsorum Armenorum tam *præsentium* quam *futurorum* faciliore *doctrina* sub hac brevissima redigimus formula ».

Unde proponitur doctrina vera pro omni tempore, quamvis non sit solemnis definitio.

Hoc non satis consideraverunt defensores primæ sententiæ; problema enim considerandum est non solum sub aspectu historico, sed etiam sub aspectu dogmatico, de valore decreti dogmatici alicujus Concilii œcumenici.

Sed remanet magna difficultas pro secunda sententia, scil. sola impositio manuum fuit in usu per novem priora sæcula et sola adhibetur nunc in Ecclesia græca et de ea loquuntur S. Scriptura et C. Trid. (Denz. 910).

3.ª Sententia: *In sacramento Ordinis est,* in Ecclesia latina, *duplex materia partialis,* scil. porrectio instrumentorum et tertia impositio manuum, et *duplex forma partialis* correlativa, sicut per ordinationem sacerdotalem confertur duplex potestas, scil. consecrandi et absolvendi; - apud Græcos tamen materia et forma presbyteratus est sola impositio manuum cum his verbis: « divina gratia etc. ».

Ita Petrus Soto, Estius, Bellarminus, Lugo, Billuart. Citatur S. Thomas in favorem hujusce sententiæ, comparando diversos ejus textus. In Suppl., q. 37, a. 5, dicit: « quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur ». Et in IIIª, q. 84, a. 4, S. Thomas ait: « Impositio manuum in sacramentis Ecclesiæ fit ad significandum aliquem copiosum gratiæ effectum.... et ideo fit in sacramento ordinis in quo confertur quædam excellentia potestatis in divinis mysteriis, unde et II Tim., I, 6, dicitur: « Resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum ». - Secundum plures defensores hujusce tertiæ sententiæ per porrectionem instrumentorum confertur *potestas consecrandi* corpus Christi verum, et per impositionem manuum *potestas absolvendi.*

[1] Card. VAN ROSSUM, *De essentia sacramenti Ordinis,* Friburgi Bresg.. 1914, n. 459 ss., 481.

[2] Ita J. DE GUIBERT, *Bulletin de littérature ecclésiastique,* 1919, p. 81-95, 150-162, 195-215. — GALTIER, *Dict. théol. cath.,* art. *Imposition des mains,* col. 1408-1424. — E. HUGON, *Tr. dogm. de Pœnitentia,* 1927, p. 701. — HERVE *de Pœnitentia,* n. 506.

Hæc tertia sententia videtur probabillior, quia Scriptura requirit impositionem manuum, ita etiam C. Trid. (Denz. 910, 959), et C. Flor. videtur assignare porrectionem instrumentorum ut etiam necessariam apud Latinos. Remanet tamen difficultas ex hoc quod in Ecclesia græca non adhibetur traditio instrumentorum, nec olim fuit adhibita in Ecclesia latina.

Principium solutionis, ut explicant Billuart, et recentius Card. Billot, Hugon, Hervé, est quod Christus non instituit materiam hujus sacramenti determinando quasi in specie hanc vel illam rem esse materiam, sed determinando tantum quasi in genere conferendum esse per aliquod signum sensibile quod foret significativum potestatis traditæ. Hoc sufficit ad institutionem sacramenti a Christo, nam *quodlibet sacramentum proprie « specificatur » per effectum ad quem essentialiter ordinatur.* Unde Christus reliquit Ecclesiæ, sicut pro confirmatione, ultimam determinationem materiæ sacramenti Ordinis.

Sic Ecclesia determinavit pro Latinis quod porrectio instrumentorum cum forma correlativa esset signum legitimum potestatis consecrandi, et impositio manuum cum forma correspondente signum legitimum potestatis absolvendi. Determinavit etiam quod pro Græcis impositio manuum cum forma correlativa esset signum legitimum utriusque potestatis. Consequenter Græcus ordinatus ritu Latinorum, aut Latinus ritu Græcorum sine dispensatione Summi Pontificis, invalide ordinaretur.

Ad difficultatem autem quod materia essentialis sacramenti debet esse semper et ubique eadem respondetur: Debet esse *eadem formaliter in ratione signi sensibilis,* ut a Christo instituta ad talem effectum producendum, conc.; *eadem materialiteer, in ratione rei,* nego. Unde sufficit quod Christus voluerit *instituere aliquod signum ad talem effectum specificum producendum,* et reliquit Ecclesiæ potestatem determinandi materialiter hoc signum ad prædictum effectum significandum et efficiendum.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI ORDINIS

Sunt duo effectus (Suppl. q. 35).

1° Augmentum gratiæ habitualis, cum quo connectitur jus ad gratias actuales suo tempore concedendas ad sanctam celebrationem missæ, et ad digne ac sancte exercendum ministerium animarum, imo ad sanctius semper exercenda omnia opera vitæ sacerdotalis; quia hic etiam debet esse progressus, prout, præsertim pro sacerdote, perfectio caritatis cadit sub supremo præcepto ut finis ad quem omnes tendere debent, unusquisque sec. suam conditionem, et ideo magis sacerdos quam alii.

Unde S. Th. dicit Suppl., q. 35, a. 1, ad 3: « ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens... » cf. S. Paulum, II Tim., I, 6 et C. Trid. (Denz. 960).

Item S. Th. dicit IIa-IIae, q. 184, a. 8 c. in fine: sacerdos etiam non religiosus debet habere majorem sanctitatem quam religiosus conversus, « quia per sacrum ordinem deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in sacramento altaris, ad quod requiritur major sanctitas interior quam requirat etiam status religiosus ». Item Suppl., q. 36, a. 1.

Unde anima sacerdotalis debet crescere de die in diem in sanctitate ut sanctius exerceat omnia opera vitæ sacerdotalis. In exordio Ecclesiæ gratiæ gratis datæ sæpe sacram ordinationem comitabantur, v. g. donum linguarum, donum miraculorum, spiritus prophetiæ ut constat ex Act. Ap. et I Tim. IV, 14: « noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii ».

Hodie autem raro hæc privilegia conceduntur, dantur tamen, ut constat ex precibus quæ in Pontificali reperiuntur, auxilia quibus ordinati magis idonei efficiantur acquisitioni sacræ doctrinæ et administrationi rerum spiritualium, dummodo faciant quod in se est.

Alius effectus est character (Suppl., q. 35, a. 2) Est de fide sec. C. Trid. (Denz. 964) « per sacram ordinationem imprimi characterem ». Hujusmodi character saltem in duobus ordinibus imprimitur scil. in presbyteratu et diaconatu; de aliis autem controvertitur, cum dubitetur num ordines infra diaconatum sint sacramenta, et de episcopatu an sit ordo distinctus a sacerdotio.

Juxta probabiliorem sententiam character sacerdotalis non est aliud quam ipsa potestas ordinis animæ intime et indelibiliter inhærens, circa Corpus Christi in Eucharistia, et circa Corpus mysticum, per sacramentorum administrationem et verbi divini prædicationem. Propter characterem ordinatio nequit reiterari.

Quisnam est minister ordinarius sacramenti Ordinis? — De fide est sec. Trid. (Denz. 967) quod est Episcopus. — Sic nullibi legitur quod in Ecclesia olim, etiam tempore persecutionis, cum urgeret necessitas, simplices presbyteri ordinaverint alios sacerdotes.

Hinc colligitur Episcopum, vi suæ ordinationis episcopalis, etiamsi fuerit hæreticus aut schismaticus, potestatem habere omnes ordines valide conferendi, dum modo servet essentialia sacramenti et habeat intentionem faciendi id quod facit Ecclesia.

Ut S. Thomas ostendit (Suppl., q. 38, a. 2), etiam ordinatio facta ab Episcopo hæretico vel simoniaco est valida, dum serventur essentialia formæ et materiæ et adhuc velit facere id quod facit Ecclesia. Ita S. Bonav. contra antiquum errorem.

Ideo ordinationes anglicanæ, non ex defectu potestatis in ministris declaratæ sunt nullæ, sed ex defectu formæ et intentionis (Denz. 1963 sq.).

Notandum est quod presbyteri, cum delegatione S. Pontificis, possunt esse ministri extraordinarii ordinum minorum et subdiaconatus. Ita abbates regulares sui subditis ordines minores conferunt.

Subjectum sacramenti Ordinis non potest esse, jure divino, nisi homo viator, baptizatus, sexus masculini. Mulieres sunt prorsus incapaces, sec. illud S. Pauli: I Tim. II, 11-12: « Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto ». S. Magdalena annuntiavit quidem Apostolis factum resurrectionis, sed non doctrinam. Sacerdotium femineum semper habitum est in Ecclesia ut pagana impietas.

De altitudine sacerdotii, cf. præsertim S. Chrysostomum *de Sacerdotio*. Secreta cordis, abscondita pro ipsis angelis, sacerdoti revelantur in confessione, ad absolutionem accipiendam; sic sacerdos vere est alter Christus sive celebrando missam sive exercendo ministerium animarum.

DE MATRIMONIO

BREVISSIMUM COMPENDIUM DOCTRINÆ DOGMATICÆ

1° De essentia matrimonii, ut est contractus et ut est sacramentum; 2° De origine seu institutione matrimonii; 3° De ejus indissolubilitate.

1.° De essentia matrimonii: *Matrimonium est essentialiter consociatio viri et mulieris, quæ a Christo elevata est ad dignitatem veri sacramenti.* Ipse contractus matrimonialis elevatus est a Christo ad dignitatem sacramenti inter baptizatos, ita ut ipse contractus sit sacramentum. Hæc est doctrina Ecclesiæ cf. Denz. 144, 702, 969, 971, 1854.

Matrimonium igitur potest considerari 1° ut contractus, sicut fuit ab initio, 2° ut sacramentum, sicut in nova lege.

A. Matrimonium ut contractus. Secundum Codicem Juris can. (can. 1081, n. 2): « consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat jus in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » et consequenter ad ejus educationem et ad vitæ communis consortium. Hæc est definitio matrimonii ut est contractus. Ideo matrimonium est impossibile inter personas quæ non sunt aptæ ad generandum.

Unde, ut dicitur in Codice, can. 1013: « Matrimonii *finis primarius* est procreatio atque educatio prolis; *secundarius* mutuum adjutorium et remedium concupiscentiæ. - *Essentiales autem matrimonii proprietates* sunt *unitas* et *indissolubilitas*, quæ in matrimonio christiano obtinent peculiarem firmitatem ratione sacramenti » cf. S. Thomam I^{a}-II^{ae} q. 102, 5, ad 3 et II^{a} II^{ae} q. 154, 2: Matrimonium jam de lege naturæ est indissolubile [1].

B. Matrimonium ut sacramentum definitur: Sacramentum novæ legis, in ipso consensu reciproco contrahentium legitime præstito con-

1 Dicit S. Thomas I^{a}-II^{ae}, q. 102, a. 5, ad 3um: « Matrimonium fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ, non autem prout est sacramentum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, quæ nondum erat facta. Unde et in veteri lege dabatur libellus repudii, quod est contra rationem sacramenti ». Et II^{a}-II^{ae}, q. 154, a. 2: « Manifestum est quod ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis cura patris, a quo est instruendus et defendendus et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam hominis est quod utatur vago concubitu... Ideo matrimonium dicitur esse de jure naturali ». Sed ut apparet ex his quæ dicta sunt I^{a}-II^{ae}, q. 102, a. 5, ad 3, indissolubilitas est de prima intentione matrimonii ut est sacramentum, et de secunda intentione matrimonii ut est in officium naturæ; hæc enim indissolubilitas non est de primariis conclusionibus juris naturæ, sed de secundariis.

sistens, quo gratia conjugibus confertur ad matrimonii officia rite adimplenda.

Unde invalidatur matrimonium conditione contra ejus substantiam adjecta, v. g. « contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas » (Denz. 146; Codex, can. 1092).

Forma hujus sacramenti non est benedictio nuptialis (Denz. 1766) sed est ipse et solus consensus expressus, qui regulariter fit verbis de præsenti, sed potest fieri signis (Denz. 334, 397, 404, 702, 1766, Codex., can. 1081, 1086 n. 1, 1088, n. 2 verso.

Materia sacramenti matrimonii est etiam ipse consensus, quatenus reciprocam corporum traditionem exprimit.

Ministri hujus sacramenti sunt ipsi contrahentes, cf. S. Thomam Suppl. q. 45, a. 5: « Consensus expressus per verba de præsenti, inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit...; alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti... Et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentia sacramenti ». Idem docuerunt S. Bonaventura IV Sent., d. 28, q. 5, aliique theologi usque ad sæculum XVI. Et Conc. Trid. (Denz. 990) declaravit *rata et vera* fuisse matrimonia clandestina, id est absque præsentia sacerdotis contracta, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. Ratio est quia ipse contractus matrimonialis inter christianos elevatus est ad dignitatem sacramenti.

Matrimonium christianum est vel ratum, vel consummatum (Denz. 976). *Effectus* hujusce sacramenti est gratia unionem maritalem sanctificans (Denz. 969 sqq.) — Sic enim ad procreationem et educationem prolis uniuntur conjuges vinculo indissolubili; obligationes eorum sunt adeo graves ut non raro requirant non communem, sed heroïcam virtutem ad quam requiritur gratia.

2.° De origine matrimonii. Matrimonium *ut contractus* institutum est tum a jure naturali ad propagationem generis humani, tum a voluntate positiva Dei expressa in Genesi, I, 27: « *Masculum et feminam creavit eos Dominus. Benedixitque illis et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram* ».

Item legitur in Genesi, II, 18 : « *Dixit Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: Faciamus ei adjutorium simile sibi... Dixitque Adam: Hoc nunc, os ex ossibus meis et caro ex carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* ».

Matrimonium autem *ut sacramentum* est a Jesu Christo institutum et confert gratiam, ut declaratur et explicatur a Conc. Trid. (Denz. 969-971). Concilium citat verba Domini Math., XIX, 4-9, dum respondit ad pharisæos dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa? Respondens Jesus ait eis: « Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt

duo in carne una? Itaque jam non sunt duo, sed una caro. *Quod ergo Deus conjunxit homo non separet.* Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere? Ait illis: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic* ».

Conc. Trid. ibid citat etiam verba S. Pauli: « *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea. ...Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* ». Ephes., V, 25-33.

Ex hoc sequuntu. essentiales proprietates matrimonii: *unitas* ex lege divina excludens tum polyandriam, tum polygyniam (Denz. 408, 465, 969, 972), et *indissolubilitas*. Denz. 250, 395, 424, 702, 969 sq. 975.

3.° De indissolubilitate vinculi matrimonialis. Hoc vinculum inter conjuges enascitur ex valido matrimonio et est ex natura sua perpetuum et exclusivum, ita ut *in matrimonio rato et consumato inter baptizatos nullo modo solvi possit* (Denz. 406, 702, 969, 975, 977, 1470, Codex 1118); nulla humana potestate, nullaque causa præter quam morte dissolvitur (Codex, ibid.).

Attamen matrimonium ratum, sed *non consummatum,* inter baptizatos, vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur per sollemnem professionem religiosam et dissolvi potest per dispensationem Sedis Apostolicæ. Codex, 1119.

Legitimum denique *inter non baptizatos* matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei *ex privilegio Paulino* (I Cor., VII 12-15) cum conjux conversus, renuente altero pacifice cohabitare, novum init matrimonium (cf. Cod. 1120).

Doctrina de indissolubilitate matrimonii sic definitur a Conc. Trid. (Denz. 853) « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, *propter adulterium* alterius conjugum *matrimonii vinculum non posse dissolvi;* et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit; A. S. ».

Hæc doctrina fundatur in his verbis Domini: « *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur; et qui dimissam a viro ducit, mœchatur* » Luc. XVI, 18; Item Marc., X, 11-12, cf. Matth., V 32. - Item S. Paulus I Cor., VII, 10, dicit: « Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, *uxorem a viro non discedere;* quod si discesserit, *manere innuptam,* aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat ».

Certum est insuper Patres, tribus proribus sæculis, ore unanimi docere matrimonium christianum esse indissolubile, etiam in casu adulterii. Ita Hermas, S. Justinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus et alii multi [1].

[1] Cf. ROUET DE JOURNEL, *Enchiridion Patristicum,* in fine, index theologicus, n. 572, 573, 574.

Objiuciuntur verba Domini apud Matth., XIX, 8: « Quicumque dimiserit uxorem suam *nisi ob fornicationem* et aliam duxerit, mœchatur: et qui dimissam duxerit, mœchatur ». Ex his verbis protestantes inferre volunt in casu adulterii matrimoniale vinculum solvi posse.

Respondet sanctus Thomas ad hanc difficultatem in Suppl., q. 62, a. 5, ad 4um: « exceptio illa, quæ est in verbis Domini, *refertur ad dimissionem uxoris.* Et ideo objectio ex falso intellectu procedit », scil. male infertur: « si causa fornicationis dimissa uxore, (vir) aliam duxerit, non mœchatur, et ita erit verum matrimonium ». Id est: verba « *nisi ob fornicationem* » referuntur ad præcedentia verba « dimiserit uxorem » non autem ad sequentia; nam statim postea dicitur «et qui dimissam duxerit, *mœchatur* »; id est, etiam pro uxore ob fornicationem *dimissa* seu separata vel repudiata remanet vinculum matrimonii, est *separata,* sed *non libera.* Pariter dicit S. Thomas in Matth., V, 32: « Quod si (vir) ipsam dimittat ob causam fornicationis, ut dicit Augustinus, ipse non facit eam mœchani, *sed ipsa* cujus est reatus. Nec dimittens sic potest illa vivente aliam ducere, ut tangitur I Cor. VII, 10 » (cf. S. Thomam in Matth., XIX, 9).

Ita communiter exegetæ catholici dicunt: Pharisæi Christum interrogaverunt de sola dimissione, nam inter se disputabant utrum liceret dimittere uxorem propter quamlibet causam, an propter adulterium tantum. Christus autem respondet ob solam fornicationem seu adulterium uxorem dimitti posse, et insuper quia volebat divortium a vinculo abolere (quod Moyses ad duritiam cordis permiserat, sed ab initio non fuit sic, ut dicitur Matth. XIX, 8), addit non licere etiam in hoc casu fornicationis, *dimissam uxorem* ducere, *sub pœna adulterii.* Dicitur enim « et qui *dimissam* duxerit, *mœchatur* » [1].

In hoc apparet altitudo matrimonii christiani, de quo dicit S. Paulus, Ephes., V, 32: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia ». Imo dicit ibidem: « Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ». Circa quod dicit S. Thomas (in Ep. ad Eph., V, 25): « certe ex amore quem habet vir ad uxorem magis caste vivit et pacifice uterque se habet », sic sese diligunt propter Deum, et sese mutuo adjuvant in tempore ut ad æternam beatitudinem perveniant.

[1] Cf. FILLION, *Evangile selon St. Mattieu,* XIX, 9. M. J. LAGRANGE, *Ev. selon St. Matthieu,* 1923, p. 103-106, 366-370; *Dict. théol. cath.* art. *Mariage,* col. 2058, ubi dicitur: « 1° Les passages parallèles affirment l'indissolubilité sans restriction et il sont formels... 2° Mais même dans le texte de Saint Matthieu, l'indissolubilité absolue s'impose... si l'on voit l'ensemble et le contexte... Jésus veut supprimer la tolérance accordée par Moïse à cause de la dureté de cœur des juifs, il abolit le *libellum repudii...* 3° C'est d'ailleurs dans ce sens qu'on a compris la pensée de Jésus. Saint Paul, qui attribue « au Seigneur » la loi du mariage indissoluble, ne connait pas de restriction (I Cor., VII, 10) et de même l'Eglise primitive ».

COMPLEMENTUM:
DE REVIVISCENTIA SACRAMENTORUM

An sacramentum valide susceptum, sed propter indispositionem subjecti infructuosum quoad gratiam, (vg. deficiente attritioni supernaturali) reviviscat quoad gratiam, recedente obice. Respondetur affirmative pro sacramentis quæ non possunt reiterari et quæ producunt characterem: remanent enim aliquo modo ea charactere, quem Deus elevat ut, recedente fictione, producant gratiam. Cf. S. Thoman pro Baptismo. III[a] q. 69, a 10 - et Commentatores ejus.

Certum est quod *baptismus* valide susceptus ab adulto cum fictione (v. g. quia deest attritio supernaturalis, quam hic adultus existimat habere) reviviscit recedente fictione. Dicit S. Augustinus, *De baptismo*, l. III, c. 13: « Tunc incipit valere baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint, ut vere dimissa non retineantur » Item S. Thomas III[a] q. 69, a 10.

Ratio Theologica est, quia peccatum originale non potest remitti nisi per baptismum aut ejus votum. Atqui non per novum baptismum, aut novi baptismi votum, quia baptismus, semel valide susceptus, renovari nequit. Ergo baptismus reviviscit quoad gratiam, charactere valide suscepto. Alioquin non satis esset provisum humanæ fragilitati.

Conditio requisita ad reviviscentiam est attritio, vel si fuerit peccatum mortale, attritio simul cum sacramento pœnitentiæ. Tunc peccatum originale et peccata commissa ante baptismum remittuntur per hanc reviviscentiam baptismi, et peccata commissa post baptismum, aut in ipsa susceptione baptismi, remittuntur per veram pœnitentiam.

Modus quo reviviscit baptimus quoad gratiam est per characterem jam valide susceptum, quem Deus elevat ut, recedente fictione, gratiam producat.

De Ordine et Confirmatione communiter admittitur reviviscentia, ne privetur homo gratiis sacramentalibus quae tantum valent ad obbligationes proprii status adimplendas. - *Conditio* requisita ad reviviscentiam est attritio, si fuerit obex mere negativus seu involuntarius, vel contritio aul attritio cum sacramento poenitentiae, si fuerit obex positivus.

Modus autem reviviscentiæ est per characterem, sicut pro baptismo.

Matrimonium et Extrema Unctio probabilius reviviscunt, juxta multos theologos, quia gratia horum sacramentorum est magni momenti in salutis negotio, nec potest aliter recuperari, scilicet pro matrimonio cum eadem persona, et pro extrema unctione in eadem aegritudine.

Conditio autem est attritio vel contritio prout jam explicatum est. *Modus*, juxta plures theologos, ut Joannem a S. Thoma, Hugon, etc. sic explicatur: « probabile est quod hæc sacramenta, que non imprimunt characterem, relinquunt in voluntate determinationem qua voluntas se subjecit sacramento, et recedente fictione, Deus elevat hanc determinationem ad producendam gratiam (quam sacramentum produceret), et hoc physice aut saltem moraliter.

De Pœnitentia, non videtur ponenda questio, et minus probabile est quod reviviscat, quia gratia potest recuperari per novam absolutionem. Insuper rarissime evenit ut valide et non fructuose recipiatur.

Quoad Eucharistiam, juxta communem sententiam, non reviviscit; quia nulla est specialis necessitas reviviscentiæ, cum hoc sacramentum iterum recipi possit. Insuper inconveniens videtur quod ille qui sacrilege communionem suscipit, postea fructus hujus communionis recipiat, nisi forte removeatur obex antequam sacræ species consumantur. Attamen Cajetanus admittit reviviscentiam Eucharistiæ.

De gradu quo confertur gratia, quando sacramenta reviviscunt, disputatur, sed juxta principia thomistica, proportionatur gratia gradui dispositionis qua removetur obex. Cf. Salmanticences, Disp. IV, dub. VIII.

EPILOGUS

DE GRATIIS SACRAMENTALIBUS ET DE PERFECTIONE CHRISTIANA.

Perfectio christiana specialiter consistit in caritate et principaliter est in adimpletione præceptorum dilectionis Dei et proximi [1]. Ita perfectio caritatis cadit sub præcepto supremo, non quidem ut materia, seu ut res statim adimplenda, sed *ut finis* ad quem omnes tendere debent, unusquisque secundum suam conditionem, hic in statu matrimonii, alter in statu religioso, tertius in vita sacerdotali in sæculo. Unusquisque quidem aspirare debet ad perfecte diligendum Deum « ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, ex tota mente, et proximum sicut seipsum ». Hoc est præceptum, et omnes debent etiam tendere ad vitam æternam, seu ad perfectionem patriæ [2]. Viator enim debet progredi usque ad itineris terminum.

Gratiæ autem sacramentales septem sacramentorum valde juvant ad hanc perfectionem consequendam. Gratia sacramentalis, ut supra dictum est, addit gratiæ habituali seu « gratiæ virtutum et donorum » modalitatem quamdam, quæ est velut lineamentum nostræ physionomiæ spiritualis et quæ augetur simul cum gratia habituali cujus est modus [3]. Dum enim character sacramentalis, ordinatus ad *validitatem* actuum correlativorum, non augetur, gratia sacramentalis ordinata ad hoc quod actus correlativi *sancte,* imo semper *sanctius* adimpleantur, ut convenit viatori qui ad Deum appropinquat, hæc gratia sacramentalis, inquam, augetur cum gratia habituali, cum caritate, aliisque virtutibus et donis. Item hæc gratia simul dat quoddam jus ad gratias actuales semper novas, imo semper altiores accipiendas ad perveniendum ad perfectionem, quæ cadit ut finis sub supremo præcepto. « Deus enim impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis et postulare quod non possis » ut dicit S. Augustinus et affirmatur in Concilio Tridentino (Denz. 804).

Si autem christianus non resistit gratiæ actuali sufficienti, accipit gratiam actualem efficacem, quâ effective ad prædictam perfectionem tendit.

Hoc melius apparet considerando gradationem gratiarum sacramentalium septem sacramentorum.

1 IIa-IIæ, q. 184, a. 1, 2, 3.
2 Ibid., a. 3, ad 2.
3 IIIa, q. 62, a. 2.

Baptismus enim est *spiritualis regeneratio* contra carentiam vitæ spiritualis. Tunc baptizatus incorporatur Christo ut membrum ejus et accipit cum gratia sanctificante omnes virtutes infusas et dona, cum modalitate gratiæ baptismalis quæ est proprie *christiana,* scil. dependens proprie a meritis Christi redemptoris, quod non verificabatur in gratia habituali Adæ innocentis aut Angelorum qui non fuerunt redempti. — Sic « de plenitudine Christi non omnes accepimus ». Baptizati illuminantur a Christo ad cognitionem veritatis et fecundantur ab eo ad bona opera exercenda.

Confirmatio deinde datur *ad robur* contra infirmitatem animæ, sic promovetur christianus spiritualiter ad ætatem perfectam, ut vere sit miles Christi.

Pœnitentia, post peccatum, restituit sanitatem spiritualem amissam; ex prima sui institutione respicit præteritum, sed ex consequenti, ut medicina præservans, respicit futurum; quandoque pænitens resurgit cum minori gradu caritatis, quandoque in æquali et quandoque in majori, secundum fervorem suæ contritionis [1].

Matrimonium juvat ad familiam constituendam et sanctificandam, confert gratiam adjuvantem ad actus vitæ conjugalis christiane adimplendos, scil. ad debitam procreationem et educationem puerorum secundum legem christianam et ad consortium conjugale inviolabiliter servandum usque ad mortem, ut vere disponat ad consecutionem vitæ æternæ.

Ordo autem constituit sacerdotem ad sacrificium publicum offerendum et ad absolvendos peccatores. Hoc sacramentum dat gratiam sacerdotalem ad sancte et semper sanctius celebrandam missam, ad absolvendas animas easque melius ac melius dirigendas in via Dei.

Extrema Unctio confertur ad tollendas reliquias peccati, quæ non sufficienter a pænitentia sublatæ sunt; sic corroborat animam ad agonem, seu ad ultimum certamen.

Eucharistia denique est altissimum omnium sacramentorum, continens non solum virtutem causativam gratiæ, sed Auctorem gratiæ; confert gratiam cibantem quæ nutrit animam, seu conservat et auget in ea vitam gratiæ; proinde, secundum hoc augmentum, quælibet communio deberet esse ferventior quam communio antecedens, usque ad ultimam in articulo mortis, ut homo optime præparetur ad gloriam.

Ut dicit S. Thomas IIIa, q. 65, a. 3: « omnia alia sacramenta ordinari videntur ad sacramentum Eucharistiæ, sicut ad finem. Manifestum est enim, quod sacramentum Ordinis ordinatur ad Eucharistiæ consecrationem; sacramentum vero Baptismi ordinatur ad Eucharistiæ receptionem, in quo etiam perficitur aliquis per Confirmationem, ut non

1 IIIa, q. 89, a. 2.

vereatur se subtrahere a tali sacramento; per Pænitentiam etiam et Extremam Unctionem præparatur homo ad digne sumendum corpus Christi; Matrimonium etiam saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, cujus unitas per sacramentum Eucharistiæ figuratur... Ita fere omnia sacramenta in Eucharistia consummuntur ».

Sic melius apparet quod effectus sacramentorum, scil. gratia, est semen gloriæ et sub influxu sacramentorum in vita boni christiani est velut continua germinatio vitæ æternæ, secundum illud Domini, Joan. VI, 55: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego ressuscitabo eum in novissimo die ».

INDEX ALPHABETICUS

(Referuntur paginæ)

INDEX GENERALIS

QUÆSTIONUM ET ARTICULORUM

(Referuntur paginæ)

INTRODUCTIO

Brevis conspectus tractatus de sacramentis in communi.

Iª PARS

DE EUCHARISTIA UT EST SACRAMENTUM

Q. LXXIII. — De sacramento Eucharistiæ secundum se.

Q. LXXIV. — De materia Eucharistiæ.

Q. LXXV. — **De præsentia reali et transsubstantiatione.**

Q. LXXVI. — **De modo quo Christus est in hoc sacramento.**

Q. LXXVII. — **De accidentibus eucharisticis.**

Q. LXXVIII. — **De forma sacramenti Eucharistiæ.**

Q. LXXIX. — **De effectibus hujus sacramenti.**

Q. LXXX. — **De sancta communione.**

Q. LXXXI. — **De modo quo Christus usus est hoc sacramento.**

Q. LXXXII. — **De ministro hujus sacramenti.**

II^a PARS

DE SACRIFICIO MISSÆ

CAP. I. — **De sacrificio in genere et de finibus ejus.**

CAP. II. — **De Missa ut est verum sacrificium.**

CAP. III. — **De effectibus et de valore sacrificii Missæ.**

CAP. VI. — **De effectibus sacramenti Pænitentiæ.**

DE EXTREMA UNCTIONE

DE ORDINE

DE MATRIMONIO

EPILOGUS